Digitized by Google

6
34-a
48

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
28 D
47

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

14 22 - a 2

6.34 a 48

45. 45.
a a
3. 4

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ
ROMA
VITTORIO EMANUELE
BIBLIOTECA NAZIONALE
ROMA
Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO

PRINCIPI

LUDOVICO XIV.

GALLIÆ ET NAVARRÆ

REGI CHRISTIANISSIMO

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE ROMA

CUjus fato meo factum dixero, POTENTISSIME REX, quod juſtis conatibus meis, quibus Galliæ meæ, Tibique inprimis de pace olim ſancto conciliatâ & aſſertâ Hymenæo gratulabar, invidioſus obex à decennio toto poſitus, hodie bonis utique avibus ſolvitur, dum tandem eunt in lu-

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE ROMA

Digitized by Google

cem auſpice Te, & obſtetricante quodammodo, eâque licentiâ quam facie noſtri apud Batavos hactenus captivi partus: in quibus, quod Jo. Barclaius quondam Avum tuum ſub perſona heroïca Poliarchi celebrando in Argenidis prima Parte fœliciter implevit: idem ego ſub Archombroti effigie virtutes, doteſque tuas effingendo ſecunda parte ingrediar, & Sereniſſ. Delphini tui liberalem, ingenuam & regendis populis aptam Indolem ſub nomine Theopompi in tertia parte exprimendo complectar, in quo effingendo, ſit fas dicere, Minerva meliori quodam pollice incubuit, & hunc ad ſceptri majeſtatem ita erudivit, nihil ut, quantum conjicio, remiſſu-

missurus sit de paterna, vel avita contentione ad gloriam. Ergo Te, fortissime Rex, per mille casus, & belli discrimina; sed & Theopompum Tuum per exercitationes Palladias, tantaque fortuna dignas; imo & per castos amores pudicæ juventutis quasi manu ducam Chirone fœlicior. Habebis autem virtutis & vitiorum certamina subignotis nominibus, nullibi tamen, quàm in aulis atrociora; & fortitudinem in Archombroto miraberis tuam: Tu siquidem præveneristi annos pubertatis, dum puer, sed nusquam imbellis perduelles attritos tui nominis auspicio ad pedes tuos adegisti, procellamque sævientem fœlici conatu sedasti. Tu vix

prius lucem hauſiſti, quàm aciem celebraſti, vix prius auram ſpiraſti, quàm Martem tuis exemplo tuo inſpiraſti. Tua à puero Princeps maturus Regno clavum ſuſcepiſti, ut cum omnis retrò memoriæ clariſſimis Imperatoribus, Principibuſque, de virtutis, omniſque magnæ laudis principatu decertares. Neque inficias ibo Avum tuum Henricum appetente fato inviſo, & invidioſo, toti orbi fuiſſe terrori, ut ſuis amori; ſed Tu potes gloriari à te reſtitutum priſtinum ſplendorem Imperii, ſi forte præteritæ ætatis ſordibus abſoleviſſet. Tu Religionis fautor ſacrilegos, inipios, & omne ſcelus ſtrictiſſimis judiciorum laqueis

Digitized by Google

queis refrænasti. Tu Pater Populi per universos late fines Galliæ legasti Judices Supremi juris, quibus esset scilicet jus vitæ & necis, quibus extra ordinem quærendi de vi, & de sceleribus, atque tyrannidis monstra mactandi potestatem fecisti. Tu in singulare certamen ausu temerario, & posthabita salutis æternæ cura se præcipitantes severissima lege coërcuisti. Tu judiciorum, foriique Reformator Rabularum avaritiam compressisti, dilationesque superfluas abstulisti. Tu ad commodum orbis Gallici commercium aucturus Herculeo mari Oceanum jungis fœciliori successu, quam olim Hercules, ipse major Hercule. Tu delicium

Digitized by Google

orbis neminem non admittis, vel audis ad opem tuam transfugientem; nemo ut à tuo conſpectu (quod Regium eſt) triſtis abſcedit. quid loquar trophæa intrà quæ natus es, & adoleviſti? Tu Gallica Lilia in mediò implantaſti Belgio, quod ipſe palmaris armorum tuorum terrore perterritum jugo tuo ſuaviſſimo intra trimeſtre ſpatium magna ex parte mancipaſti. *Veniſti, vidiſti, viciſti* Cæſare fœlicior; neque mirum. Dii laboribus omnia vendunt. nam quoties cervices tuas in caſtris diſcrimini objeciſti? quoties ſub Dio dormitaſti, aut noctes inſomnes in excubiis egiſti? quàm jure igitur ſtetit à te victoria quæ te victorem opimis

or-

Digitized by Google

ornat trophæis, & in cujus ſinu uti adoleviſti ſic creſcis belli laboribus indefeſſus. Tu exterarum gentium azylum, & ara: Tu oppreſſorum Mahumetanis armis patrocinium. Tu Pannones adverſus hoſtis communis arma furoremque nuper auxiliaribus Heroum tuoruni armis adjuviſti. Tu cinctam obſidione infidelium Turcarum Candiam ſuppetiis, & auro multo refoviſti. Tantum dicam ad amplitudinem Gloriæ tuæ, & ad res fœliciſſimè gerendas adjunctam ſibi fuiſſe fortunam, vel potius tam juſtis votis & conatibus tuis fauſto ſucceſſu Numen præſtantiſſimæ Mentis aſpiraſſe: nullum ut Heroëm ætas no-

Digitized by Google

ſtra præter te unum aut parem tibi ſuſpiciat. Cum igitur optimas Principis partes non dominando ſolum, ſed & corda tuorum poſſidendo perfectiſſime impleas, nemo erit, credo, qui te ſub Archombroti Heroïcis dotibus adumbratum à me jure ſuccenſeat.

HUMA-

Digitized by Google

HUMANISSIMO
LECTORI
BUGNOTIUS S.

SOLUTUM poëma offero tibi, humaniſſime Lector, Xenophontem, & Heliodorum in Græcis, atque Veteribus; Barclaium in Latinis, alioſque recentiores ſecutus; iiſdemque legibus alligatus quibus noſtræ ætatis Homerici Lemonius, Mambrunus, Marezius, Brebovias, Torquat. Taſſo, Capellanus, Sant. Amandus, Scudericus, &c. non vulgaris acuminis viri. Neque ſuccenſe tanquam ſeverus aliquis Cenſor, & patruus, ſi auſu temerario, & quaſi cereis pennis volatus tam ſublimes æmulatus ſum, ac nimium fidens animi inſtiti veſtigiis hominis qui me toto Cœlo anteceſſit. Si cæcus amor in Regem meum eò me compulit, ignoſcere facilius, culpamque vix alia ratione eluendam lubentiùs remittes. Solutam orationem ſtrictâ interpolavi ſimili œſtro ſtimulatus. Scilicet reficit animos varietas illa, & obtuſa ſerio ſermone ingenia hæc mutatio identidem remittit, animoſque jam intepeſcentes refovet, aut relaxat nimis intentos. Habes autem hic quidquid in politica reconditum, quidquid in antiquitate amœnum, & auguſtum eſt; & velut è ſcena aulæ tropicos, & certamina nullibi quam in aulis atrociora. Denique ſtupebis ad tam varios & ſubitos eventus, à quibus Principum fortuna non eſt immunis.

nis. Porro ne mirare, Lector, quod primam Argenidis Partem cum notulis illuſtraverim; reliquerim hanc ſecundam Patrem in ſua nocte, nulla tali face eidem præmiſſa. Verum ſi quas ad tenebras caliget oculus tuus, quod vix crediderim, habebis in decurſu narrationis quod hanc caliginem diſpeſcat penituſque detergat: Ipſamet clavis vix fuerit tibi ignota. Quæ ſi æqui bonique conſulueris, prodibunt etiam in lucem novæ opellæ oratione ſoluta vel ſtricta. Ibunt Deo dante in publicum Borbonidos libri duodecim, Poëma epicum, cum catulum hunc meum lambendo gnavius effinxero.

Hoc tu fonte bibes aularum arcana, ſtrophaſque,
Ambitioſa bibes bella, trophæa, dolos.
Calcatum vitium, virtutis fortia cernes
Facta, bibes lepidos ſed ſine dente ſales.
Si quandoque gemat ruituræ proxima Virtus
Ut Palma, indomitum tollet ad aſtra caput.
Ludimus in ſcena, mundus ſit fabula; lævo
Hunc fortuna orbem volvit iniqua pede.

Ad

Digitized by Google

Ad LECTOREM

Pro interpolata vario carmine profa.

Te quoque, mi Lector, pede nunc; nunc ire caballo;
Nunc juvat ire rotâ, nunc juvat ire rate.

Pro Libello N. R. P.

Stet liber hic formica maris dum exhauſerit undam:
Aut vaſtum pedibus Teſtudo perambulet orbem.
Stet liber hic donec Phœbus ſua lumina mundo
Prabeat, aut nocturna regat dum Sidera Phœbe.
Stet liber hic donec montana cacumina valles
Æquent; aut Borea Titan luſtraverit axes.
Stet liber in medio donec ſtet Cynthia curſu,
Et donec redeant ad primum Sidera punctum.

ROMA

Ad Authorem libelli J. F. B.

Eximium tu ſemper opus ſub mente volutas
Et tibi ſunt ingens otia grata labor.
Crediderim, ni Virgo foret, te Pallade natum;
Aut Jovis è cerebro te quoque progenitum.

Author ad Libellum.

Perdita credideram, vos ſcripta; ſed ecce decennem
Pœne annum mihi vos reſtituiſſe juvat.
Scilicet ex illo Batavas vitiaverat auras
Sæva lues; bellum & dira ſecuta fames.
Aſpera tu tandem rupiſti, Archombrote, fata,
Dum vincis quæ te cunque periclo premant.
Interea in tenebris, ſquallore, ſituque jacebas,
Cum mihi te tandem reddidit alma dies.
Hei mihi! qualis ades poſt tot diſcrimina lethi;
Bella per, & peſtes; hei mihi qualis ades!

Sed

Sed tamen ô tu qualis ades, nunc quæso, penates
Ingredere, atque tuum, nate, reviſe patrem.
Imo tuere tibi vix notum forte parentem:
Dum juvat antiquos irremeaſſe lares.
Evaſiſſe juvat, liber, è Borealibus oris
Et tandem in patrias te repedaſſe plagas.
Jam liberi liber, fucatos indue mores;
Geſta vel ambiguis contege noſtra modis.
Sed tamen Heroë in noſtro, Ludovice, triumpha:
Prolem ſit tibi laus inſtituiſſe tuam.
Sit tibi laus finem belli te reddere pacem,
Detur ut innocuos præteriiſſe dies:
Et tibi tergeminis frontem vincire coronis,
Quà tua te virtus, & pia facta vehent,

Nympha Belgii.

Belgicus ecce Leo, Gallo cantante, tremiſcens
Infremit, aſpectus non auſus ſiſtere contra
Horret, & indociles ponit jam inglorius iras,
Dum tractum Hannonium, Brabantinumque repoſcit
Gallus, & hunc auſpex conferto milite complet.
Belgica Nympha ſuas pariter dabat ore querelas
Seu quæ Lyſam habitat, ſeu quæ colit humida Sealdis
Littora, vel quotquot præſunt fluvialibus undis;
Quotquot prata habitant, montana cacumina quotquot
Incoluïſſe ferunt, & Orcades, atque Napeæ.
His quæ Nympha præeſt, vel dum ſuperatur, adorans
Victorem, quærulo hunc ſequitur lachrymabilis ore.
Mœſta ſcena ferox aleæ, bellique theatrum
Sæpe inflamati captivo in pulvere triſtes
Relliquias verſo: quin primo fulmine Martis
Quaſſa cado, lites dum utrimque & jurgia fervent.
Nec potui juſtas Supremi Numinis iras
Flectere; nec potui denſis obſiſtere turmis.
Ah quoties triſtem haud uno certamine cladem
Sparſa per & campos, & mœnia fumera luxi!

Heu quoties populi tunc me doluere ruentem,
Dum pluſquam Herculeo nimis obruor undique ferro.
Hactenus at fatis ſatis eſt pugnaſſe malignis;
Nec queror exitium, ſiquidem fœlicior adſum
Magnanimi Regis ſubjecta potentibus armis.
Ut venit, hic vincit: citiùs nec Julius olim
Hoſtibus edomitis Aſiatica bella peregit,
Irruit hoſtiles Gallus ſpe fretus in urbes
Fulminis in morem: ferro omnes demetit arces;
Cujus ad acceſſus ruere omnia mœnia cernas,
Qui ſtupor in populis! Circum rugire Leonum
Turba fremens. At Scaldis aquas velocior urget
Ad mare præcipiti curſu: quam Lyſa ſecuta
Cum Nymphis liquidas Nerei tranſcurrit ad arces.

Ad Regem.

In te dextra Dei, domitis, Rex maxime, Belgis
Dilectum in primis munera larga pluit.
Voce Dei rutilo deſcendit gloria curru;
Teque coruſcanti vectat ad aſtra rotâ,
Miſſa polo viridi lauru te læta coronat;
Palmaremque Deo fama jubente canit.
Gallia Borbonios miretur, & orbis honores,
Te quoque dilectum prædicet eſſe Deo.
Sed te victorem terræ dum prædicat orbis,
Magnæ conatus mentis adire polum eſt.
Aude igitur contemnere opes, & te quoque dignum
Finge Polo; Sceptra hic te meliora manent.

Ruxel-

Ruxellius Theandro Bugnotio.

Videris ad arbitrium fœlix, quod à publico ſecretus tumultu, nunquam internorituris litterarum monimentis plenum gloriæ nomen traducis ad poſteros, & ex ſilentio, latebriſque tuis digna luce profers. Scilicet Scriptorum chorus omnis amat nemus; & fugit urbes. Æternitati pingis, & melior pars tui Libytinam vitabit. Quanto putas ſtudio, quibus oculis incubui voluminis tui lectioni? Inexpectati quos miſcuiſti eventus nunc doloris, nunc lætitiæ, ſenſus meos excitabant, prout mœſta, vel læta fingebas, quæ dulciſſimo horrore deprehenſum animum meum feriebant? Quantâ vero ægritudine ab amplexibus caſtiſſimis Cyrthææ tuæ me putas avulſum, cum tot veneribus & illecebris faſcinatus eſſem. Nam quæ Amazon robuſtior, & inter tot Fatorum ludibria conſtantior, quibus Cyrthæa tua ſuperior ſemper extitit? Cui hercle, & famæ tuæ convicium feceris ſi Eremi tui diutius incluſam tenebris ad lucem non adducis. Ergo da ſodes hanc publicæ luci, ut ſororem ſequatur Argenidem ab eodem te illuſtratam. Illa te viciſſim æternitati conſecrabit. Vale.

Onelius T. Bugnotio S.

Inſolens tibi fortaſſe videbitur quod annoſa, rugataque Minerva, tot annnorum retro curriculis effœta, & elinguis pene facta jam tandem Muſæi tui limen adorare, altumque ſilentium ſolvere geſtiat. Sed nec id temere mea quidem ſententiâ, vel à recta ratione alienum penitus putaveris, ſi æquâ lance rem totam perpendens rationum omnium momentum religioſo ſubjeceris examini. Etenim quippini loquatur illa, cui, ſi tacuerit, aut ſtatim dicteria, & ſales acutiſſimos, atque ſcommata multi affigant, aut omnes obloquantur? abſit igitur ut in tuas laudes non erumpat, cui tu de tuis laudibus tantam fandi ſubminiſtras facultatem, ut & illa omnem orationis vim ſuperet, tu in omnium ore verſeris.

ſeris. Neque id *inſulſe gratiſve* dixerim: Enimvero eruditæ illæ tuæ, atque elegantes, & extra omnem aleam poſitæ in Argenidem elucubrationes, tantum tibi gloriæ conciliaverunt apud omnes, ut per domos oſtiatim non emendicandæ quidem auræ popularis ergo; at certe divini prope ſplendoris ingerendi cauſa diſcurrant: tu enim ea ingenii perſpicuitate polles, tu eo ſermonis vales contextu; & quidquid eſt novitatis & antiquitatis; quidquid fabuloſi & veri, tam apprime calles: tu denique ea orationis abundas dignitate, atque pompâ, nihil ut deſiderari poſſe putem, quo minus ad ſummorum & eruditorum Oratorum gloriam accedas. Porro Cyrthæam tuam omni luce digniſſimam tanta cum voluptate pervolvi, vix ut eam legiſſe me animadverterem. Expecto igitur non ſine aliqua tamen ægritudine donec eam multiplices: neque puta toties recoctam crambem naufeam mihi aliquam allaturam, ſiquidem illa decies repetita placebit: adeo talis lectio accendit identidem animos ſemper ad nova, ſemper ad ignota, & tamen nota properantes. Tale.

Zamæus Bugnotio S.

Legi prolixe tuas in Argenidem notas, utiliſſimum & plurimæ eruditionis opus: nuſquam tamen elucidationes probaveram quæ ab evolvendis libris mentes avertunt, dum quodam, ut ais, bipalio ſpinas omnes averruncant. Sed oppido quam placuit illuſtre illud tuum Nicopompi Encomium: dicam citra aſſentationem omnem nihil unquam ſapuiſſe magis; ne elucubrationes quidem tuas: illic plus ſudoris eſt, & plus olei; hic vero plus leporis: iſtud multifariam eruditionem tuam, lectionem plurimam, olei non parum arguit: hoc vero mentem fœcundiſſimam, lucidiſſimam, Angelicam, veriſſime Theandricam manifeſtat. Satius ergo tibi eſt, facere illuſtranda, quam illuſtrare jam facta. Et quoniam tibi, tuiſque feciſti jam ſatis, æmulare chariſmata meliora: relinque ſterilibus ingeniis ſteriles

**

par-

partus. Sic excute ſecundum caput tuum, ut emergat inde Pallas, Pallas inquam quæ tua ſit. Erumpe de tuis tenebris: da te ipſum luci: prodeatque in ſcenam tua Cyrthæa cum ſuo Archombroto: Germanæque ſuccedat Argenidi minor natu ſoror cæteris titulis non inferior: da ſodes publicæ luci laborem hunc interpretibus digniſſimum: ecquid in elucubrandis operibus alienis tantum inſudes cum illuſtriora poſſis emittere? Quid in alienis agris excolendis operam teris, qui quos excolas proprios habes fertiliores uberioreſque. Dignam plane riſu obſtetricem illam quæ neglecto ſuo partu fœtui incumbit alieno?

Mutato nomine de te
Fabula narratur.

Hærebis ergo, ſi me audis, ad iſtam quam tibi definio metam, æmulaturus altiora; neque plus ultra progreſſurus ad eliminandam noctem ex Scriptorum monimentis; quatenus ipſe tu Theandri nomen digniſſimum luce, nocti ſubſtrahas. Vale.

Doctiſſ. Bugnotio Mangotius S.

Dubitavi ſæpius, Vir Clariſſime, quibus verbis primos tecum ſermones inſtituerem, & cum ſapientes Viri ſolos rerum exitus quærant mirum tibi videri poteſt me initium dicendi quærere. Si Latina verba exquiram, vereor ne inter vos quibus adeo familiare eſt ſcite dicere, Latina verba conantem, velut peregrinum me inter cives; aut Gallica, in alienis caſtris velut transfugam; aut certe vobiſcum familiarius verſantem, imperii veſtri majeſtatem lædere exiſtimetis. Sed cum eò redactus ſim, putavi è re mea eſſe, ut veteres initio dicendi omnem calumniandi animum ejurabant; ſic me ſinceram mentem puri, licet impuro ſermone, erga vos affectus ſponſorem, & obſidem profiteri. Non ibo inficias, Vir Clariſſime, in tuis elucubrationibus, & Cyrthæâ tuâ omnia mihi plurimùm placuiſſe, inventionem, characterem, lepores, & ſales; & acerrimi

vim

vim ingenii, nec non politicam gubernandi rationem; demum quidquid olim antiquitas mirata eſt, quidquid noſtra ætas eximium & memorandum vidit, id omne quodam quaſi temporum gazophylacio non nude quidem, ſed ſub involucro ænigmatis ſic incluſiſſe, nemo ut de te conqueri poſſit; debeant autem tibi non pauci referre gratias, quod eorum geſta ſub eo velo poſteritati reliqueris. Erit igitur, ut ſpero, quod commendavi ſororis filio Comiti Vivonenſi, munus non injucundum. Si dantem tamen ſpectes erit exiguum: ſi artificis operam quâ tot leges veluti quædam uniones ita apte colligantur, ut ſibi invicem lucem accendant, erit imperatorium, & te uno ſapiente dignum, quî quâ imperandi libidine leges fundant, majori animi amplitudine eas non ſolum exequeris, ſed ſuperas & alias addis inſuper, cum tua excelſa virtus quod omnibus non ſolum licet, ſed honeſtum eſt ſibi ſoli interdicat. Tertullianum autem cum Salmaſii notis, ubi ſe occaſio dederit, ſtatim ad te miſſurus ſum. Liber eſt quem Pater meus regiorum ſigillorum Præfectus ſæpiſſime revolvit, & quem ipſe tu perlegens utriuſque meminiſſe gaudebis. Vale.

AD T. BUGNOTIUM

De ſe & Muſis optime meritum LUD. BURGÆUS mittit hoc Carmen: & Salutem plurimam dicit, & hoc grati animi monimentum vovet.

ODE

Præclare docti Myſtes Apollinis
Vates futuri præſcie, quid novas
Huc uſque ceſſaſti quietum
Edere per populum camœnas?

Optata tandem Cyrthæa prodeat,
Servata longum rumpe ſilentia,
Dulceſque pacatum per orbem
Nunc reſonent, duce te, ſuſurri.

Erumpe ſylvis, è latebris mica,
Vehende gentes præpes in ultimas
Pulchrumque BUGNOTI *pererret*
Aërium per inane nomen.

Te nec nivalis culmina Caucaſi,
Nec curva rauci cornua Boſphori,
Nec ſaxa, flammæve, aut minacis
Unda freti, ſcopulive ſiſtant.

Vicina cano terra Boriſteni,
Horrenſque duro frigore Rußia
Miretur olim quas ſecreto
Pectore divitias recondis.

Limoſa Nili littora fluminis
Septemque viſas oſtia, candida
Cantata Cycnorum cohorti,
Et vario modulata verſu.

Audimur, etiam Juppiter auribus
Excepit almis vota precantium.
Audimur, en fortes ad uſque
Perſonuit tua fama Belgas.

Jam culta quantam præſtitit Argenis
Famam. Peritus dicere vix queam
Barclaius an plures venuſtæ
Argenidi dederit lepores,

Quam tu Vir omni laude ſcientiæ
Inſignis, olim pacifera arbore
Quem Virgo bellatrix Oliva, &
Aoniis bene tinxit undis.

Majo-

Majora ſed te munia jam vocant,
Majorque poſthac gloria te manet:
Nam fama quæ multas notatæ
Argenidi dedit ite terras.

Hæc ipſa pennis transferet ultimas
Ad uſque Thules Andromachæ vices
Claræ ſororis, quæ periclis
Argenidem paribus ſecuta eſt,

Ergo relictis, Gallia, queſtibus
Mirare Myſtam: deſine lugubres
Efferre planctus; at Theandri
Paciferos incitare plauſus.

Hæc canebat *Lud. Burgæus* Pariſinus, Liberalium Artium Magiſter Laureatus, Kal. Septemb. An. CIↃ IↃ C LX.

In Theandri Bugnotii
ANDROMACHAM.

Gallica dum clarum celebrat Cyrthæa Theandrum
Priſca fides ſileat, taceant monimenta Maronis:
Major Apollo micat, Phœbi Latiæque Minervæ
Artibus illuſtris, miro quem docta ſororum
Turba fovet, charumque ſibi properavit amore
Adjungi ſocium: dilectaque culmina Muſis
Mente colens, alta ſubnixus robore mentis
Floribus innumeris ſpargit, decoratque libellum.
Muſa lepore nitet dulci, Venereſque renident.
Seria ſunt permixta jocis, & ſtricta ſolutis;
Inde Lycambeæ fulgent textoria ſcenæ,
Mimorumque ſales: grandique perinde cothurno
Eximii canit arma Ducis, canit aſpera bella,
Bella ſed immenſos nuſquam reticenda per annos:

Digitized by Google

Bella quibus claro Victori Gallia pandit
Sponte ſinum, regemque ſuum ſecura ſalutat.
Quin lauros, palmaſque canit, canit alta trophaa
Parta Duci; tum quanta iniit diſcrimina princeps,
Quantus & adverſos aſſurgere geſtit in hoſtes.
Pacem ſancit Hymen, bellum pax alma coronat.
Quis neget imperio dignum bis terque Theandrum
Dum notat imperii ſublimes Regibus artes,
Damnaque præveniens juſto ferit enſe rebelles,
Fortia dum quatit ingentis Demoſthenis arma.
Quidquid fama canit, quidquid monimenta virorum
Percelebrant, hæc lector habes expreſſa libello.

SCANDERB.

IN ALTERAM ARGENIDIS PARTEM, *SIVE* ARCHOMBROTUM, *ET EIUS* AUTHOREM.

ARGENIS eximio tandem rediviva libello,
Prodit honorato vertice compta comas.
Edidit hanc, ceu nata Jovis cervice Minerva eſt,
Baclaius patrii Lumen honorque Soli.
At te quanta manet, Bugnoti, Gloria Alumnam
Pegit ut Argenidem fingere docta manus.
Nec juvat auratos tantum pexiſſe capillos;
* Hanc etiam pulchrâ luce nitere facis.
Ire per Aonias blandæ dulcedine famæ
Capta, plagas, toto & ſe cupit orbe legi.
Et votis Bugnotus adeſt: cunctiſque videndam

Exhi-

* *Notis illuſtravit primam Argenidis partem.*

Digitized by Google

Exhibet ; & cultu pulchrior ecce redit.
Ut videt inſignem cultu, formâque decoram,
Quâ Virgo nuſquam clarior ulla fuit.
Hanc frater (quam cæcus amor!) tam Archombrotus ardet,
Ut ſociam thalami tunc velit eſſe ſui.
Atque ubi communes ortus, novitque ſororem ;
Germanam frater tunc amat eſſe ſuam.
Hinc Tituli ne fallàt honos communis utrique :
Nunquid nomen idem fratribus eſſe ſolet ?

F. B. T. H. P.

In Authorem
ALTERIUS PARTIS
ARGENIDIS.

Egregii, quod ſcripta docent, monimenta reliquit
Ingenii, & magnum ponere cœpit opus :
Argenidi Auguſtos docto dum pollice vultus,
Barclaius facili finxit & ora manu.
Haud tamen ad metam cœptum proferre laborem
Fata ſinunt doctis invidioſa Viris.
At rem Bugnotus noſtros produxit in annos ;
Cœptum opus & ſolers perficit arte pari.
Arbiter at ſi forte velis jus reddere utrique,
Pro merito laudem pendere cuique ſuam :
Judico me æqualem teneas ſine fraude bilancem :
Sic utrumque pari tollere laude potes.
Nobilis ingentes animos Barclaïus afflat,
Bugnotus calamo divite dulce fluit.

F. B. T. H. P.

PRÆ-

PRÆVIA FAX
AD ALTERAM PARTEM
ARGENIDIS.

ANEROESTI *pectus dum insolitum Numen insideret, tandiu steterat ad limen templi plenus Deo, & votis; redeuntibusque in regiam Principibus bene ominatus erat, cum tot omina in hac alterâ parte rata fieri nemo non videt: Nam & Hyanisbem in Siciliâ Meleander excipit, reducitque in Africam; & Archombrotum Victorem de Bruttiis, Lucanis, & Epyri littore fœlix pater magno cum lætitiæ sensu aspicit. At Poliarch. & Argenis imperii sui fines proferunt, hosque palmares hinc Rhenus, inde Oceanus suspicit. Sed Archombrotum Poliarcho strictiùs devincit novus Hymen, qui Europam totam, cum Africæ parte utrique subjicit, & post confecta fœliciter bella cùm externa, tùm domestica altissimâ pace componit.*

Itaque ab ea meta ad quam hæsit Nicopompus, fatalis ævi mei argumentum aggredior, objectamque ab ipso lampada ultro arripio: invidiosam hercle materiam, bellis atrocem, discordem motibus, ipsa pace sævam Quare Nicopompi more velum subduco, & fictitiis nominibus ludo: Sic enim fiet, ut in eluctanda nocte, velut in quinquertio suaviùs exerceantur ingenia His ego delectatus umbris totum percurram Heliconem, conciliabo mihi Musas, & furore quasi fanatico, arcana prodam similis vaticinanti, non domestica tantum; sed utrumque emensus Solem ea excutiam quæ à meis finibus natura removit. Sic pascam animos contemplatione diversa, & veluti pictura locorum; tamque erraverit qui omnia, quam qui nihil hic exiget ad rerum gestarum veritatem.

ARCHOM-

Digitized by Google

DELPHINO
SERENISSIMO.

VEREOR ne aperte apud omnes imprudens audiam, Sereniſſime PRINCEPS, quod licet ſint tuis objecta oculis non vulgaris exempla quotidiana virtutis, auſim tamen ex ipſis Gallicorum commentariorum fontibus Heroum facta haurire, & poſtlimino revocare, quorum ad normam Regiis & avitis temet effingas virtutibus, dum hos tibi Heroicis facinoribus præiviſſe, & tibi viam ad Solium præmuniſſe intelliges. Peccem inquam, forte in eum qui te orbis ad ſtuporem in lucem edens ipſum ſe tibi propoſuit velut exemplar abſolutiſſimum omnium virtutum, & majorum tuorum, Regumque omnium compendium; qui natus eſt non ſolum in purpura, verum etiam inter fulgores armorum, & palmarum meſſes; qui à Deo datus orbi Gallico. Ecquid mirum ſi ingenuas habet virtutes Regias, quarum ope magis quam generis claritate, imperio dignus eſt habitus? neque eſt quod mirere, Sereniſſime Princeps, morum Archetypum in

puero tibi propoſitum, cujus facta illuſtria mihi repetenti, & oculos mentis per glorioſa ejus facinora circumferenti occurrit tanta laudum ſeges, ut inextricabilis Labyrinthi exitum reperire vix poſſim. Rebellionis fax quæ patre tuo regnum ineunte accenſa eſt, num ſtatim ſedata, & in tumultuantium manibus extincta eſt? num inſpirante tranquillitatem tam fauſto Sidere coërcita eſt procella quam immitis aura excitaverat? demum hoſtes externos, domeſticos infra pubertatis annos ſub jugum miſit fortiſſimus pater tuus, dignus ita me Deus amet, qui leges omnibus imponeret. Eſt enim is auguſtiſſimus pater qui majores, qui Reges, Imperatores, & quotquot rebus præclare geſtis nomen ſibi fecere non modo æquaverit imperando, ſed & longe multumque fortiter agendo ſuperarit. Etenim quam maturum judicium in ponderandis negotiis, prudentia quam oculata in prævidendis, quam invicta fortitudo in exequendis. Denique non potuit naſci aptior ad imperium, ad amorem populi pronior, ad hoſtium terrorem inſtructior, ad omnia Regiæ dignitatis ornamenta magnificentior. Vivunt in eo ſinguli Reges; ſed tantum pars ejus. Si ab his gradum majeſtatis accepit, id certo accepit, ut creſceret. Paucis dicam, inter miracula miraculum fuit: prudentiam etiam virilem in adoleſcentia, virtutum cumulum inter aulæ delicias exhibuit. In eo fides Clodovæi, pietas Dagoberti, magnanimitas Caroli, cle-

Digitized by Google

clementia & ſanctitas utriuſque Ludovici, audacia Philippi, ſapientia Caroli Quinti, Henrici avi invictum robur, Ludovici patris juſtitia fulſit. Imo cogita Camillos, Scauros, Scipiones, Marcellos, Cæſares; & hos omnes in uno Patre tuo, tanquam in virtutum regiarum compendio, atque idea principis abſolutiſſimi tunc habebis. Hic ſit tibi inſtar omnium Heroum; ſit ſpeculum quaſi Socraticum, quod te ad unguem referre gaudeas, & ſub his fabulis latentes patris dotes demirando æmulare.

Creſce, revolve, Puer, Patrum pia facta tuorum
Ante oculos imitanda tuos; peregrina relinque.
Plus quam Cæſar adeſt, vivitque in Patribus Hector,
Trojanique patres, ſeu quos Roma inclyta jactat.
Cedet Alexander Magnus, tibi cedet Achilles;
In te clara Patrum modo ſpiret imago tuorum,
Sed tantum pars una tui. Sic nobilis Iris
In ſe multiplices complectitur una colores.
Denique ſis talis qualem te publica vota
Exoptant; clarumque genus virtutibus auge,
Et tantis aſſueſce bonis non degener hæres.

Denique S. P. hic velut in tabella magnifica abſolutum omnibus regiis dotibus habes principem, Minervæ docto affictum pollice, & ad Sceptri Majeſtatem eruditum. Imo te ipſum qualis es futurus, genuinis adumbratum coloribus, for-

Digitized by Google

tem quidem & magnanimum, ſed abſque aculeo, inſtar regis apum: ſplendidum ac lautum, ſed tamen populi tui parentem, aut juxta Homeri ſententiam paſtorem, qui oves tondere poſſit non deglubere, qui ſubditorum opes tanquam proprias ſervet, & adminiſtret, qui ab illis abhorreat qui adipem populi docent eſſe peſſimum, quod elatus ac tumens recalcitrare, & jugum excutere audeat. Sed ſi jaceant ſubditi, qua ratione Reges aſſurgere poſſint; aut caput ſuis fungi muneribus membris languentibus? Idcirco hic etiam intelliges S. P. à principe hirudines populi, & harpias aularum, quales olim Phineum ad ſummam inediam redegere, eſſe è reipublicæ ſinu, & ex aula repellendas. Harpias dico aulicos cœtus illos, qui dum adulti principis mores lenociniis inficiunt, reipublicæ magis nocent quam ſi aquas publicas veneno corrumpant. Nam ut inquit Cicero in paradoxis, quomodo aut cui tandem hic libero imperabit qui non poteſt cupiditatibus ſuis imperare? Refrænet primum libidines, ſpernat voluptates, iracundiam teneat, coërceat avaritiam, cæteras animi labes repellat: tum incipiat aliis imperare cum ipſe improbiſſimis dominiis dedecori & turpitudini parere diſierit. Tandem videbis principem religioſum ſine fuco, juſtum ſine ſævitia, ſine torpore gravem, abſque anxietate prudentem, abſque temeritate fortiſſimum, ſine diſſimulatione temperantem, ſine mollitie clementem, elegantem ſine affectatione,

ne, decorum ſine faſtu, abſque profuſione liberalem; demum Regem ſui, qualem depingit Xenophon in Pædia Cyrum; qualem adumbrant Curtius & Severus Alexandrum, Volcatius Pompejum, Antonius Guevarrus Marcum Aurelium, Hiperefixus Hericum Magnum, & ſi mihi ita licet, Egomet meum Theopompum, Auguſtiſſimi Patris tui ac mei Regis iconem perfectiſſimam, quam in tuis moribus exprimere ſi non pigeat, is fueris quem ad ſtuporem orbis editum, ad imperia natum nationes cunctæ ſuſpiciant. Et ne me meum fallat augurium, Superum ſemper favorem ambiam.

Tuæ Sereniſſ.

Obſervantiſſimus ac fideliſſimus cliens

GABRIEL BUGNOTIUS.

Digitized by Google

In Alteram
REGIS GALLORUM
PROLEM MASCULAM,

Quæ nata eſt die v. Auguſti, Anni MDCLXVIII.

Dent cædes dent bella locum, ſuccedat Erynni
Aurea Pax, noſtro Pax rediviva Solo.
Lilia floreſcant, vigeatque per oppida pubes
Inſanus belli quæ viduarat amor.
Scilicet enaſcens rurſum miteſcere regna
Borbonius Sanguis præcipit; aſtra monent.
Aſtra monent, dum Cœlo iterum labuntur ab alto
Lilia, quæ nullo ſunt peritura die.
Prolis ad acceſſus bellum vaneſcit in auras;
Mitis & enaſcens omina Pacis habet.
Aurea nectareo ſudabant Sidera melle;
Candida feſtivos pax repetebat agros:
Grataque Pacis erant, Belgis à Patre ſubactis,
Otia, naſcentis Pax bona munus erat;
Cum nova progenies cœleſti mittitur aulâ
Quæ cum fratre orbem dividit uſque ſuo.
Dum Thetys æquoreis furit exagitata procellis,
Solliciteſque ſuis Nauta ſibique timet,
E ſummâ geminos puppi ſi viderit ignes,
Oblatam bino Sydere credit opem:
Caſtora, Pollucemque vocant, quos Nauta ſolutis
Navibus, heu mediis ſæpe vocabat aquis!
Unus ſit tantum radiat, tunc nauta ſalutis
Spe vacuus, crebris vocibus aſtra ferit
Quam fauſtos igitur ſperamus in æquore curſus
Noſtram quod ſpectent Sydera bina ratem!
Dat geminos etenim Regi cum Virgine Libra,
Queis regalem animum Sydus utrumque dedit.
Et Patri, & Matri ſub utroque hoc Sydere natis.

Anſpi-

Auſpicium vitæ, principiumque fuit.
Scilicet hoc ævo terras Aſtræa fovebit,
Libraque juſtitiæ, ſemper & æqua Themis.
Fœlices iterum Galli queis Sydera rident,
Nunc adolete ſacris maſcula thura focis.
Vos Superi prolem patri, prolique parentem
Servate huic geminæ; fata nec invideant.
Vincat uterque colum Parcarum, & ſtamina rumpat,
Ultra Neſtoreos vivat uterque dies.
Creſce puer, creſcent pariter tot munera laudum,
Aſtra quot ignifero volvit in axe Polus.
Natorum videas natos, multamque ſuperſtes
Progeniem, fratri ſubditus, atque patri.
Is tibi regales animos infundit in actus,
Ne fueris fratri degener, atque patri.

EJUS-

ARCHOMBROTI ET CYRTHÆÆ
SIVE
SECUNDÆ PARTIS
ARGENIDIS
LIBER PRIMUS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CAPUT I.
ARGUMENTUM.

Redeuntem templo pompam novum auſpicium gaudio afficit; Aneroeſto modulantium choro præeunte. Soccus pompam excipit, & ſoccum adventus Hyanisbes, quæ omni ſignificatione amoris à principibus obviam euntibus accipitur.

ANEROESTI tam proſperis vaticiniis tonitru ad lævam jam tertium repetito cœlum applauſerat; cum è veſtibulo templi regreſſa pompâ nuptiali reditumque ad regiam adornante auſpicium aliud & perennem florentiſſimi regni fortunam Regibus portendebat & confluentem multitudinem ad nova gaudia provocabat. Nam Aquila nubibus erumpens poſtquam tres gyros in aëre celeri ala circumegit, geminam Laurum gremio Argenidis demiſit; mox pernici volatu in altum ſe librans repente evanuit. Recedentem pompam præcedebat & ſacrum ignem ſequebatur Aneroeſtus Paranymphus, & ipſe auſpex, velatuſque infulis, & apice circumducebat lituum ad lituorum, & barbitorum concentum, ac puerorum, Virginumque choro ſic voce præibat.

Ite ô fortes omine dextro,
Fauſtis avibus, dulces ſponſi,
Atque beatum pergite callem.

Neque vos libent aſpera fata:
Domitis claros Europæis
Sydera tollant.
Ite ô Reges omine fauſto,
Vos & ſuperûm nuſquam fallant
Omina; fauſtis vos ite avibus
Quos ad calum mille triumphis
Virtus revehet fortunandos
Nectare Divûm.

Ad regiæ limen cum pæane jam pompa proceſſerat, cum omnium acies ad fores defixa eſt: has enim & laneæ velabant faſciæ, & Dii conjugales ſtipabant. Hinc Hymen ſertis revinctus caput, & tibias cothurnis dextrâ tædam, flammeum lævâ geſtabat: Inde Jovis adulti, Junoniſque pronubæ ſigna ſinum, & ulnas venientibus in extremo agmine ſponſis explicabant. Ridebat illis in feſtivo habitu Venus obſeſſa Cupidinibus. Et Corniculæ, cæterique alites illibati thori circumvolitantibus ſimiles erant. Aberat carmen Feſcenninum: at pictis veſtibuli imaginibus ſubjecti verſus iſti legebantur:

Pulcher Hymen, Hymenæe Hymen, ô Hymen Hymenæe,
Muſarum comes hic feſtis prælude choreis,
Nec te diſtineant laurus, montiſque bicornis
Sylva virens: adſis Perſâ ſacra tempora vinctus;
Luteolo ſuras decoat vinxiſſe cothurno;
Namque suave juvat, feſtos juvat edere plauſus
Dulcis Hymen, Hymenæe Hymen, Hymenæe venito.
Adſint feſta Venus, Jovis, & Junonis adultæ
Numina, Lætitiæ Bromius dator, almaque mater
Perſephone, Lucina veni, molliſque Cupido.
Sed tu Phœbe fave, cytharamque reſume ſonantem
Dulcis Hymen, Hymenæe Hymen, Hymenæe venito.
Abſint Eumenidum thalami, umbrarumque remotes,
Et quæ Cælicolas agitat diſcordia Divos.

Ægra

Ægra mali ſemen quando hæc mala aurea ſpargit,
Dum Thetidos celebrat non invitata jugales
Scilicet hæc tædas. fauſtam dent ſydera lucem.
Mollis Hymen, Hymenæe Hymen, Hymenæe venito.

In atrio ubi explicabantur avorum imagines ſcenicus apparatus pompam excepit. Argumentum ſocci (nam Cothurnus ſeverior videbatur) aulæa diſtinctis temporum intervallis verſatilia, mutâ arte ſuâ non ingratè exprimebant. Ibi par amantium Poliarchus, & Argenis oculis, & auribus fata haurire ſua, & in Ulyſſis laboribus, curiſque Penelopes, quæ ſcenæ argumentum dabant, ediſcere *Virtutem nunquam penitus opprimi, ſed oppugnatam etiam triumphare.*

Jamque aulæum tollebatur, jam educebantur Dii qui ſcenam clauderent, cum principes in aulam reduces (dum argumentum omnium exceptum plauſu, Aneroeſto, quem tunc abeſſe à ſocco decuerat, ad amuſſim recitant) cuncta narrantes hic excipiens ſcenam ut diſerto, ſic & ſalubri ſermone ita clauſit. ſcilicet optatam fœlicitatem aſſequitur nemo, niſi per immenſos curſus, laboreſque, ut eo ſuavior ſit illa roſa, quò legentem ſpinæ acriùs punxerint; alea ſiquidem hæc vita eſt, quæ incertis jactatur eventibus: palæſtra eſt duris terenda certaminibus priuſquam ad coronam detur acceſſio. Creſcit autem in adverſis & virtus, & merces virtutis: Nam quanta laborum ſerie inviſa numina Herculem agitavere? num Hydræ, Leones, Tauri evectum inter ſydera, ſplendidiori face illuſtrarunt. Proferrem & labores Inachidis, quam votorum compotem tandem fortuna prius noverca fecit. Et ne longius excurram, ipſos illos in exemplum afferrem qui præſenti fabula ſcenam impleverunt, quos & pari vobiſcum ludo fortuna luſit.

Adhuc in ejus ore erat dictio cum ſubito tumultu ſtrepuere fores. Nec mora ab Regina Hyanisbe nun-

tius adeſt, cui cum facta eſſet intrandi loquendique poteſtas, Regina Hyanisbe inſit, in proximum portum appulit ſtudio videndi tui, Auguſtiſſime Rex; quo deſiderio nihil illa jamdudum antiquius habuit: adhæc Meleander fronte exporrectâ omnem inſperati gaudii ſignificationem dare præcipiens lecticam ſuam adornari, & abſque ulla mora ad Reginam deferri. Interea rumore aulam pervadente Poliarchus & Archombrotus equos per Lunam ad portum concitant: Sed Rex Meleander propter ſenium impar labori in alia lectica extra pomœrium jubet ſe provehi.

Vix bina vel terna ſtadia principes erant emenſi, cum curruum equorumque ſtrepitus allabens, ad Reginæ inſtantis occurſum omnium animos pedeſque convertunt. Ergo effuſis in curſum equis Reginæ lecticam attigerant, cum omnes equis deſiliunt. Tum vero Regina Hyanisbe ad Poliarchum irrumpere, qui ad oram pallæ pro innata humanitate ſe demiſit: ſed illa cernuum erigens, repetitis preſſit amplexibus: moxque lecticam repetens provehebatur ad urbem Poliarcho, & Archombroto carpenti Regii latera cingentibus, tantaque utrimque funalium emicante ſylvâ, ut diurnam fere lucem vincerent. Concitatis demum Meleandri, & Hyanisbæ quadrigis compendio ſibi occurrunt, mox deſilientes mutua ſalutatione perfunguntur.

Ad mœnia pervenerant cum Argenis extra Regiæ limen Reginæ obvia fit, bis ſex Ephebis præeuntibus, aut cingentibus latus cum facibus & lepôre tanto, ut tot Cupidines putaviſſet Hyanisbe, ſi hos arcus & leves alæ muniviſſent; Argenidem vero, ipſam Venerem Paphiis unguentis delibutam adeo margaritis, aliiſque Gangetis divitiis, ſed Veneribus oris imprimis vibrabat. Ipſa Hyanisbe carpento demiſſa ſtuporem inter & amorem in oſcula mille erumpit, & quod reliquum itineris

Digitized by Google

neris erat, pedes emetitur Argenidem manu tenens. In Regiam penetrantem illuſtre periſtromatis conclave excepit, nam Pelei Thetidoſque nuptias cum Deorum convocato cœtu acus Tyria deſcripſerat. Sed oculos aureum ſignum ad ſui ſpectaculum maximè convertebat. Apollinis effigies erat ex abaco eburneo ad facum ſplendorem ſcintillans, & radiorum ſolis prope æmula. Carbunculus, Dendrites, Chryſolitus, Aſtrites, circa caput auro flammas addebant. Ludenti ſimilis lyram geſtabat quâ medius inter aſtra errantia eorumdem harmoniam moderatur.

His igitur plus quam obiter viſis extructæ ſunt Siculo luxu menſæ; diſcumbentéque Hyanisbe ſaltatum eſt Cilicum more, & ex Andronis diſciplina, ad Phrygiarum Serranarumque præſcriptum. Remotis epulis poſtquam de vini, ciborumque quiſquiliis Mercurio libatum eſt, provecta jam ſupra ſecundam vigiliam nocte, Hyanisbe, quò inſuetum navigii malis caput ſopore componeret, diſceſſit in thalamum, Meleandro Hyanisbem manu ducente, & de fatali arcula, deque Poliarchi, & Archombroti amoribus quaſi perfunctoriè diſſerente.

CAP. II.

Poliarchus & Archombrotus Hyanisbem adeunt ejus animum recreaturi. Idem deinde præſtat Meleander indictis ludis ſolemnibus: ſed interim de negotiis præteritis nonnulla diſſeruntur. Hora prandii ſermonem abrumpit; dumque remotis epulis Principes ſe ad ludos comparant; nuntiatur Regis Bruttiorum adventus, quæ res in ſequentem diem ludos diſtulit.

VIRIBUS ſomno reparatis Poliarchus, & Archombrotus Reginæ adfuere bene utique ominaturi hujuſce diei exordio, ſtudueruntque animum illius pro ſuâ utrique inſitâ comitate recreare: idcirco conſenſu Regis indictæ feriæ, ludorumque ſolemnia, ad quos

Juventus Sicula ſine mora confluxit. Ipſe Meleander de Patria humanitate, Regiaque Magnificentiâ omiſit nihil, quatenus omnia benevolentiæ, ſimul & obſervantiæ argumenta Reginæ præberet: Nam hic ſupra ætatem hilaris Hyanisben in thalamo adhuc ſe comentem mane inviſit, atque ad ludos ſolemnes invitavit.

Qui dum parantur Rex inſinuato ſermone de præteritorum negotiorum mole apud Hyanisben multa diſſeruit, in quibus illa plus æquo mollem Meleandri animum familiariter reprehendebat. Clementem quidem eſſe te decuit, ſed Regem quoque te eſſe meminiſſe oportuit. Non eſt ferenda in ſubditis quatumvis genere Illuſtribus elatio; ſed ea in ipſis cunis coërcenda. Neque illi debent ſupra vulgi ſortem à te ſic efferri; ut ſupremæ potentiæ faſtigium aliquando æmulentur; Ideoque à Rege munera conferantur, non quæ illos nimium extollant, ſed quæ gratum erga principem animum impertiant: Inexpleta enim quorundam ora ſic opibus & honoribus inhiant, ut ad ea toto alarum remigio ferantur, non Phaëthontis vel Icari caſus reformidantes. Alii ſecundarum impatientes, & ad ipſum Imperium anhelantes nil putant ſibi non licere: nulli honores, nulla munera ſitim plus quam Tantaleam explere valent. Hi cum reputent cervices ſuas Imperio pares eſſe, à Rege deficiunt, obtendunt in defectionis titulum ingratum imperantium animum, aut imperitiam in gubernando occultis libellis arguunt, & quaſi ſuccumbentibus moli Atlantis cervicibus, ſuas tanquam Herculeas ſupponendas eſſe proclamant: Inde fit ut multa congerant, popularem gratiam aucupentur, frontem componant, arces occupent.

Nuntiata prandii hora ſermonem abrupit, remotiſque menſis Poliarchus & Archombrotus Regem admo-

Digitized by Google

admonent, jam arenam fervere certantium ſtudiis, & à Popis mactandas hoſtias præparari. Expectabatur ea luce Bruttiorum & Lucanorum Rex Tripholaus Meleandri frater: Rexque ad Portum Peloro ſubjectum miſerat qui appellentem in oram Siciliæ exciperent, & appulſum in Regiam urbem adducerent.

Jamque ſpectaturi ludos currus inſederant Reges, cum ad tertium quartumve lapidem Tripholaum adeſſe fama vulgavit. Ea res Poliarchum & Archombrotum impulit ut in equos inſilirent obviam proceſſuri. Sed Rex Bruttiorum expeditos in equis, & ad occurſum accinctos non procul à mœnibus urbis occupavit, ſtrenuitatem, ac vigorem ſenii ſupra juvenum officia per jocum extollens: illi imprudentiam ſuam excuſare, commendare obſervantiam. Argenis ubi patruum agnovit, non diutius dubitavit erumpere, & in voces abire gratulationis plenas, amoriſque ſui obſides: cui Rex ceu proli ſuæ mille impertire blanditias. Improviſus ille adventus tantillam ludis moram objecit, donec cibis lautiſſimis Rex Bruttiorum vires labore itineris labefactas, & ſtomachi ruinas repararet. Inclinata tandem in veſperum die, in ſequentem dilata eſt ludorum ſolemnitas, & quod lucis ſuperfuit varia inter Reges abſumpſere colloquia.

CAP. III.

Ad ludos proceditur, quos præceſſere auſpicia, & mactata hoſtia: victores laurea poſtquam donavit Argenis, Eurimedes cum Æmulo cœpit concurre. Is, equum dum concitat, periclitatur: Tandem ipſe Palmaris omnium plauſu excipitur. Poſtea lanceis dimicatur, Idemque Eurimedes ſupinum æmulum proſternit, præmiumque ab Argenide gemmam accipit.

POSTERA lux & ipſa propter Principum frequentiam, cælique temperiem hilarior palæſtram aperuit, & ludis copiam fecit. Ergo Reges curato corpore

in arenam deſcendunt, inde in orcheſtram ſe promovent; ex quâ proſpectus facilis eſſet in pugnantes; Et ne quid illitatò fieret, vox Auguris expectata eſt, deinde auſpiciis propter adventum Bruttiorum Regis de more geminatis litatum eſt in Dianæ templo, quod ſylva gratiſſimo horrore aſſurgens ambiebat, ubi & Cervi variæ ſenectutis quos libare nefas; Nam in ipſo templi veſtibulo Eriſichthonis effigies, cum ſuâ quondam verſatili methrâ, in Pario marmore Deæ genibus advoluti veluti placabat accenſam, indulgebatque Dea ſupplici. Aderat & Iphigenia non pro ſcelere patris mactanda, verum cruentis Tauricæ Dianæ incincta infulis, & Oreſtem parricidam crudelibus aris ſubmovens.

Mactatis hoſtiis, cum facibus & cymbalis quibus Dianam cœlo educerent, ululatum haud ſecus ac in Theſmophoriis, inde ad ludos multitudo converſa, donec à præcone victoribus proclamatis, proceſſit Argenis alterâ manu facem, alterâ lauream præferens, rotatiſque circumquaque luminibus Palmares ſupplices laureâ donavit, ſucceſſitque ad Poliarchum. Mox acuente denuò certamen tubæ cantu, datoque iterum ab arbitris ſacramento emeritus quidam athleta Æmulum popoſcit, neque detrectavit ſtadium Eurymedes.

Ergo uterque in curſorios equos uno impetu efferri, & nondum recluſis carceribus, curſum tamen ad metam meditari. Eurymedes comitate ingenitâ omnium in ſe vota convertebat, præludebatque victoriæ; Nam cum equus illius tam duri eſſet oris, vix ut alterum domitorem admitteret, hunc primum voce atque manu demulſit, dum conceptas pectore iras, collectumque ignem naribus remiſiſſe eum conſtaret: deinde in mille gyros ſcitè equum verſans, ut videt tumentes ſpiritus eum omnino poſuiſſe, dato tubæ ſigno admo-

tis

tis ſubitò calcaribus ipſe vectus equo Eurymedes ſaltu carceres ſuperat, & ſe omnium oculis eripit, Æmulo certatim in curſum effuſo.

Toto jam ſtadio Eurymedes anteibat, cum umbrâ metæ exterritus equus mille ſaltus agitavit, nunc ſe in poſteriores pedes erigens, nunc iiſdem recalcitrans quaſi ſeſſorem ſuum daturus in præceps. Gravem ea res Poliarcho, & Argenidi metum incuſſit, qui periculum amici ſibi gratioſi in paucis non modo verebantur, ſed & præſentiſſimum videbant. Sed cùm fortiter perinde, atque ſolerter tunc egiſſet Eurymedes, reque bene geſtâ regrederetur à meta, profuſis procerum & circumfuſæ multitudinis plauſibus exceptus eſt.

Tunc Æmulus ferocior in Eurymedem aſſurgere lanceâ pugnam depoſcens, Eurymede aleam certaminis minimè recuſante. Uterque loricâ pectus obducit, digitiſque in amentum aptatis, impetu quaſi juvenili ſtadium repetit. Ad tubæ ſignum erumpunt adverſi, intentis in Athletas omnium oculis. Vix fortius Achilles cum Hectore in ripa Scamandri arietaverat; Vix atrocius Diomedes in Æneam, Æneas in Turnum haſtam vibraverat. Tandem Eurymedes in pectus Æmuli tanto niſu lanceam intorſit, ut ſupinum illum in gramen effunderet, caſu tamen innoxio.

Ergo Palmaris ſecus Argenidis pedes reſedit, præmiumque cum lauru ſupplex recepit. Gemmâ erat in qua cuſtos ovium ſublatus in tumulum gregem quaſi cogebat ad præſcriptum fiſtulæ: Agnos putaſſes alios quidem in ſaltus efferri ad tibiam, alios turmatim, & confuſâ quaſi choreâ ad aggerem concurrere; Phrygium paſtorem hunc ego æſtimaſſem, ſi divæ Æmulæ adfuiſſent: ſed propius eſt ut gregis Admeti cuſtodem, propter emicantes in fronte Veneres aut ipſum ſolem eſſe conjiciant, qualis in Peloro greges paſcebat;

bat; Aberant tamen Phaëthontis sorores Heliades. Sed Acim quis non putasset si cum Polyphemo Galateam vidisset?

CAP. IV.

Mensa accumbitur regiis instructa cibis. Archytæ scurra jocis convivas recreat, invitatque ad tralatitium potum. Sequitur epulæ deambulatio: & captâ ansâ de perduellium scelere, à Poliarcho & Meleandro disseritur: Reversos in Aulam chorea excipit.

EXEUNTE vespere catadromum epulæ excipiunt, Thoris accumbitur non ex paluſtri ulvâ prisco ritu, sed ex ebore atque testudine. Nec pretiosiores abaci, & monopodia ex Asiâ quondam advecta sunt. Is autem fuit apparatus convivii qui convivas non refecit modo, sed & stupefecit. Ibi enim apri toti, & muta venatio, & alia exquisita, quibus ingeniosa gula est, oblata sunt.

Laudabat Archytas Siculus luxus patrios, & ipse facetus scurra salibus cibos condiebat, invitans ad hauriendos Græco more calices, addebatque homo lepidus aut *biberent, aut abirent. Mox cyathum Indigetis primum, deinde convivis propinans, græciſemus, & cyathiſſemus ait: Siccatoque avide †cornu, eo magiſtratu, inquit, ſum donandus quo Græcus conviva, quo Scytha, & Sibarita, & Cilix. Lycurgi, vel Penthei ſi qui adſunt, falcem vel thyrſum ſacrilegii mercedem induant. Tum quiſque convivarum ad tralatitiam compotationem ſe mutuò ac liberaliter invitare. Ergo à pueris Alexandrinis coronata vittis aureis circumferuntur vina, omneſque falerno defœcatiſſimo inundantur.

Soluto convivio ad deambulationem diſceditur, tum enim ad multas horas lux protrahebatur. Ibi concentus multiplex ſuſpenſas aures audientium permulcebat,

* ἢ πίθι, ἢ ἄπιθι.

† *Inde Cornutus Bacchus apud Athenæum.*

bat, & collium flexus, crebrique vertices aut assurgentes in cuspidem, aut in humeros contracti, & vallium sinus resultantem aërem inæqualiter scindentes sic reciprocabant sonos, ut tibiarum, testudinum, barbitorum symphoniam multiplicatam diceres. Archytas totus in jocis agresti sago velatus humeros, non levem principibus risum excussit, dum carmen rusticum modo fistulâ miserè dispердebat, modo tibiâ utricali, & crembalo multiplices edebat sonos.

Interim ad fontem spectabilis operæ Poliarchus, (nam ad vicinos hortos mox turba reverterat) satis defigebatur. Fons iste triplici labro excipiebat subsultantes undas, & per varios belluarum rictus easdem regerebat. Typheus immani dorso montem sustollens marmoream superabat molem, & minanti similis onus suum in principum caput dejecturus videbatur. Hic Meleander Poliarchum extra hominum arbitrium submovens, Lycogenes insit, secundarum impatiens, & supra humanum fastigium nuper elatus quam non absimilis huic extitit, quem Phlegræis in campis luctatum esse cum Diis fama est, præ cæteris Gigantibus præpotentem; quorum alii fulmine Jovis decussi, alii Apollinis, Dianæque telis confixi; hi sub Ætna, illi sub insulis Volcaniis sepulti debita suo sceleri supplicia eadem luunt quæ perduelles manent. Quam fœlici successu ei quod minabantur exitio cervices subduximus! Quantum mea mens revocare potest ætatis præteritæ memoriam ultimam, nunquam non audivi eos, qui axem invidiose conscenderant ad imum usque barathrum fuisse deturbatos. Ecquid arguit saxum Sisyphi? Quid inexplebilis fames, & sitis Tantali? Quid rota Ixionis, Tityi jecur, Caucasus Promethei? Nonne surdis auribus intonant, ne mortales quantumvis opibus, & amicitia Regum florentes supra sortem suam efferantur; neque dispendio suo experiri audeant, quot-

quotquot aſpirantis fortunæ flatibus intumeſcunt, eos & peſſum ruere, & iram Superûm in caput ſuum elicere. Poliarchus interim dicenti annuebat. Nec ceſſabat ingratos perduellium animos, ipſiuſque Lycogenis audaciam incuſare.

Adornata interim ab Archombroto chorea regreſſos in aulam excipit, huicque ipſe præludens Poliarcho competens hoc Acroama ad præſcriptum fidium, Regibus urbanè porrexit.

Laſa Jovis Conjux, rabidiſque exercita curis,
Æquoreis quæcunque latent Portenta ſub undis,
Quæ Phlegethonteis rugiunt fera monſtra cavernis,
In turmas aciemque vocat: ſimul agmine facto
Accelerant, & mille petunt Alcida figuris:
Antra ſonant, tetrumque fremens vomit ira venenum.
Ille indignanti deſpectans ore, revulſos
Ungue premit, teneràque manu monſtra impia torquet.

Mox ad numeros ex aëre delapſa Juno pellicibus minans primum Jovi in Taurum, Aquilam, Olorem, Satyrum verſo indignabatur; deinde ſcena criſtatis anguibus ſquamma atterentibus humum, & linguâ triſulcâ necem intentantibus ſibilabat; hydraque multiplici Ceraſte cincta locum denſabat. Tunc Hercules puer habili ſaltu in altum ſe librare, inſultans à fronte, à tergo; pugno mactans, ungue illidens; interim Alcmenæ geſtu nunc ad metum, modo ad ſpem flexo. Sed noverca Juno ad præſcriptum fidium ringi, novaque ciere monſtra. Elephanti erectâ promuſcide tripudiando prælia miſcebant, aſſultabatque ad cytharæ pulſum Hercules, poplites elephantum contundens regente clavam tenore, eoſdemque cædebat ad numerum, donec Jupiter nutu, ſaltuque idoneo ad natum delatus tot laureis hunc donavit, quot erat inſignis victoriis.

CAP. V.

Digitized by Google

CAP. V.

Facto mane Principes ad venationem se expediunt. Confluente in saltum multitudine Venationi variarum ferarum incumbitur. Emicat in primis Cervus inaudita proceritatis, quem dum Tripholaus senex insequitur, ejusdem cornu sauciatur; inde luctus, in quos communis latitia commutatur.

CONsumptis hoc tripudio primis excubiis, & triduo toto in nuptialibus gaudiis, venaticum certamen, quo remittuntur in primis principum animi sequentem in diem comparatum est. Poliarchus & Archombrotus brevi somno reparatis animis strato desiliunt, seque ad proximam pugnam strenuè expediunt.

Saltus erat densus arboribus, in quo feræ variæ speciei atque senectutis, quas ad voluptatem quæsitas Regia munificentia hîc alebat. Direptioni dicto die venatores armati, numeroque canum stipati confluunt. Dato signo torrentis more effusi omnes advolant. Mox Cervi per abrupta citatis pedibus ferri: Lepores canum vim declinantes, mille mæandros implicare; Apri rapido furore præcipites ferrum induere. Cervus imprimis procerâ corporis mole canum, venatorumque operam fatigabat. Illi pectus obesum, & ingentes armi, crura ad pernicitatem aptissima: sed præcipuum in cornibus miraculum; Nemus enim diceres ramis intertextum, quod illi præsidium Natura adversum impetus venatorum dederat. In cursum ubi effunditur, Parthicam sagittam crederes.

Dum Poliarchus & Archombrotus in equis emicant, conanturque ferire contumacem, Tripholaus Bruttiorum princeps, quamvis jam senio gravis suam probaturus cunctis industriam citato equo ad Cervum advolat, acerratoque primum telo hunc trajicit, deinde obluctantem ferro in oculis multitudinis plaudentis victori dum transverberare laborat, ipse peracuto Cervi ramulo

ramulo in pectore vulneratur, quo vulnere post aliquot dies, irritus medicorum artibus, & conatibus occumbens regiam effudit animam, & plausus pompamque nuptialem in luctum convertit.

Argenis Patrui sui Bruttiorum, & Lucanorum Regis tam horrendo fato uberibus, & sponte fluentibus lacrymis parentabat, hæc interrupta, singultibus identidem subjiciens: O fortuna volucris, & nimis varia ut nunquam perpetuò es bona, sed ludum insolentem persæpe ludis, in præcipiti dubiâque rotâ nutans: ut non solum volubilis es, & rerum humanarum domina; sed cæca, fatalis, insana; quæ indigno plerumque ludibrio, & fato Reges ipsos, ut proletarios absque discrimine subjicis: scilicet vitam regit fortuna, non dignitas. Caduca sunt, & fluxa munera tua, ô Noverca dura, & crudelis! Usque adeo nulla est certa & summa voluptas Mortalibus, lætisque & faustis infaustum aliquid & adversum plerumque intervenit.

Plura queri volentis singultus ingens fauces intercluſit. Sed Aneroestus in eo luctu, & tam alto dolore Argenidem non deserens quibus poterat lenimentis levabat deficientem. Vix leviori vulnere aula tota afflicta est; Vix ipsi Brutii, & Lucani, qui delicium Regni sui Tripholaum tam funesto exitu sibi sublatum amiserant. Denique tota pene Sicilia, quæ modo felicitati Principum applaudebat, Bacchantumque lætitiæ proxima, cœtu confuso, omnibus, & votis paulo ante plena erat, plausum in planctum, gaudium in mœrorem convertit. Fuere & poëtæ qui communem luctum suis carminibus significarunt; sed Theander imprimis qui tali tamque insperato fato ita indoluit.

Heu varias rerum sortes, incertaque fata!
Heu rotæ constanti nescia stare loco!
Quam fortuna gradu semper non pergis eodem,
Sepes hominum vanæ dum malesida turbæ!

Ergo-

Ergone funereas tadas junxisse maritis
Non pudet, hasque atrâ commaculasse face?
Hiccine jam risu fletu miscetur acerbo?
Hiccine latitiæ finis acerbus erit?
Immeritus pœnas dederis, Tripholæ, feroci
Parcæ, ac instabiles experiare vices?
Languidus enervi gestat dum spicula dextrâ
Vulnificâ verris cuspide triste solum.
Non aurum, non sceptra juvant, non martia virtus:
Nam fortuna pari lege caduca terit.
Hinc gemitus; gemitus luctantia verba repressit,
Inque sinus largæ decidit imber aquæ.

Per novem dies totos corpus Regis in aulâ expositum honoribus quasi divinis observatum est, donec eodem cultu per urbis compita circumlatum, nono die pro more comburetetur.

CAP. VI.

Antalycus Comminatorigis filius absentiâ Regis Polabusus ad facinus summam rerum in Gallia occupat, mittitque, qui Reginam matrem apud Poliarchum insimulent, Leucterium, & cum eo Medicum qui Pol. veneno perimat. Sed mittitur & nomine Regina Andropistus cum Telesino, qui ambo Pollare. ex Sicilia in Galliam revocent.

EA est fatorum vicissitudo se invicem excipientium, ut alternatam seriem malorum diceres, quæ variatis ictibus mortalium constantiam oppugnent, quam sua quasi mole, nisi resistatur, statim obruant. Cometa crine horrens sanguineo, bolides trahentes limitem, aliæque cœlestes minæ ingruentis procellæ dubios terrores ingesserant. Dum Principi Bruttiorum, quem in tali congressu fors iniqua ceciderat, flebilis pompa instruebatur, remorabaturque in Sicilia Principes, oppressa iterum sub factiosis Gallia exspirabat. Hydra rebellionis, si centies rescindatur, centies repullulabit: vix ullis autem communiores tumultus quam Gallis,

Gallis. Hi quidem Autolycum ex adulterinis Commindorigis amoribus emerſum, ſuis copiis, atque adeo ſummæ rerum præfecerant, qui paternis moribus adeo reſpondebat, ut ad omne facinus magis impigrum, & ingenioſum *, ad omnia denique pericula magis contumacem nulla ætas viderit. Dignum medius fidiùs patellâ operculum, & tam furioſo parente dignam ſobolem. Itaque totum Galliarum Imperium ferali rogo illo flagrabat, quem Patriæ Buſtum Autolycus Eumenidum face accenderat, quem & factioſorum flabellum excitarat, dum arces munitiſſimas perduelles Regis Poliarchi abſentiâ præferoces ſpecie publici commodi obtinebant. Attamen uti nunquam quieta mens eſt imbuta ſcelere, parum fuit caſtra munitiſſima invaſiſſe, niſi ſui juris precarium Imperium foret. Juvat ergo Poliarchi capiti inſidiari, atque Leucterium ad omne nefas præcipitem & expeditum in Siciliam delegare ad Principem, cum Medico meditati facinoris adminiſtro; Illum ut Reginæ Matris ſubdolè adrepat ſanctis moribus, hunc ut Herculem Gallicum potentiſſimo & quaſi Neſſæo veneno extinguat; maſtatiſque furori ſuo Gallorum optimis invaleſcere poſſit factio, obice nullo impedita, & Autolycus apud Gallos regnare non precariâ poteſtate.

Itaque Leucterius emptus ab Autolyco Siciliam appellit, Timandram de reſtitutâ Religione cruentâ Tauricæ Dianæ apud Poliarchum arguit, additis atrocibus notis perfidiæ, & odii pluſquam noverçalis, maximè quòd frater Autolyci natu minor Poparum ſecurim evadere non potuiſſet: quod clariſſimus quiſque ad aras traheretur: quod iniquis fœderibus parens Poliarchi Timandra ſe aſtrinxiſſet: quod illa revertenti filio inſidias moliretur. Et is author eſt Autolyco fido in paucis cum Regni regimine regias quoque com-

* Ovid. *Autolycus furtum ingenioſus in omne Naſcitur.*

committat copias, immitemque Novercam debitis pœnis devoveat. Denique ſic mentem, vultum, orationem compoſuit callidus iſte Sinon, ut Hectori tanto illuſiſſet, niſi Andropiſtus à Regina ad filium legatus jam inclinantem Principis animum revocaſſet. Quod negotii adverſa quidem fata primum funeſtant; fœlix tamen eventus prudenti conſilio non defuit Itaque furtim conſtructa navi, & cæſis pro Religione candidis, & nigris victimis, aſſumptoque in ſocietatem conſilii, ac fidei Teleſino, Andropiſtus ſolvit è littore, pleniſque primum velis oram maris interni radit, incertus tamen ubi terrarum Regem reperiret.

Jam pacata nox Liguſticum mare longo tractu profulcantes exceperat, cum paulo liberius ſpirantibus auris Naucletus vela deducit: exſæviente mox procellâ Andropiſtus obſtupuit, quod repente excanduiſſet pelagus, nec mora ventus poſuiſſet. Peritus Gubernator ſcitè referebat contrario ſyderum occurſu, & nebularum impulſu aërem flagellatum mentem ambiguam facere, necdum exortem periculi. Hæc aſtra, inſit, ſi adverſis ab influxibus ceſſant prætereuntque volentes, ſecundo mari delabi, Zephyriſque ſecundis uti licebit. Interea corpora curabantur. Poſtquam autem largioribus cibis ſtomachum quiſque implevit, remotis menſis ad quietem ſeceſſit, donec crepuſculo diſcuſſa nox ſpiſſior pallente jam ſole rareſceret, aperiretque optata littora.

CAP. VII.

Teleſinus perterritus tempeſtatis futuræ prænuntiis Andropiſtum à ſomno excitat, Is dum præſagum ſomnium narrat, ingens procella mare agitat, & navim in Siculum littus deterquet: Quo cum appuliſſet, exauditi luctus. Penetranti in urbem Teleſino, ut quid rei eſſet, agnoſceret, viſa funebris pompa, longo & regio ordine, & in extremo agmine Poliarchus & Argenis, quibus Leucterius officii ſpecie adhærebat.

PRævia ſolis Aurora micabat, noctiſque lampades aurea ſua face fugabat, cum neſcio quâ averſi Cœli

invidiâ extollens ſe pelago nebula funeſtum quid viſa eſt portendere. Teleſinus ex ſumma puppi colluſtratis jam ferventis pelagi minis in tranſtra defluens, & hora quamvis intempeſtiva Andropiſti oſtiolum pulſans occidimus, ait, occidimus Andropiſte, vel enim Nauticæ plane expers vivo, vel minantis pelagi furiis objicimur. Ita me Dii ament Teleſine, ita te noſter Poliarchus, retulit Andropiſtus, heſternum cœlum proſperi nihil oſtendebat, ſed movet me cumprimis, quod navis furentis pelagi tempeſtati, procellæque ſuſtinendæ vix par eſſe poſſit. Præterea auſpicati nihil præſagit meum inſomnium: agitabam enim tres Tygres denſo erumpentes nemore mihi inſultare tanta feritate, ut de mea actum ſalute putarem. Tum ego virtute ſuccinctus prorſus Herculea in primam facto impetu; ſuperſtites duas avertebam in fugam, cum ſomno me ſolviſti.

Subjicit his Teleſinus, non jam locus eſt ejuſmodi fabulis in cunas nutricum, aut ſimpulatricum gynæcea eliminandis. Actutum accingendus quiſque operi, & lembus ad continentem appellendus. Nullam res moram paſſa eſt: probata dudum in re nautica, peritia Teleſini Andropiſtum ad id conſilii pepulit. Verum converſa oblique prorâ, ſpe jactandæ anchoræ dum luſtrant arenam, denſus nubium globus caliginem tantam offudit, nullam ut lucem reliquam faceret. Jam auſter ſenſim carbaſa adverſus ferire, repetitoſque halitus ſic incutere, ut reducendis velis vix nautæ ſufficerent. Jam fulgetris miſceri æther, jam nubes tonitruum fragore concuti, & concuſſas dividi. Nox atra lucem abſtulerat: neque præter adulterinam fulgurum micantium ac perſtringentium oculos, lux ſupererat. Geminatis remis mare laceſſitur; ſed ita frequens ac denſus ruit imber, naveſque ſæviente nimbo tam atrociter colluctantur, ut irriti videantur Nautcleri conatus,

tis, vanaque Remigum officia, donec ad Siculum littus quod Syracuſas reſpicit, navigium procella detorſiſſet.

Andropiſtus cum Teleſino vix in arenam deſcenderat naufragii reliquias collecturus, cum exauditi tubarum, lituorumque feralium clangores. Andropiſtus vero cum proximam urbem Syracuſas eſſe accepiſſet ad cujus portum tempeſtas illum, Sicilia pene totâ cum promontoriis ſuis Peloro, Libybeo, Pachino circum luſtratâ, jactaverat, Teleſinum præmiſit in urbem dum ipſe maris jactatione diuturnâ æger in proximum portui diverſorium ſe reciperet. Teleſinus morem gerens in urbem penetrat, converſiſque ad Regiam vultibus prodeuntem ex ea funebrem pompam proſpicit longo ſtipatam mulierum ordine, paſſis Iliadum more crinibus ſic ululantum, ut planctibus cœlum ipſum reſponderet. Succedebat manumiſſorum agmen redimitis myrtho capitibus, multaque cupreſſo manibus plenis. Vatum atque Symphoniacorum chorus mœſto cantu præibat Principis curru ſublimis regio ſimulachro. Sex virgines palla auro texta inſignes defluentibus funebrem in modum comis, olea caput, dextram funali ornatæ ſuccedebant. Spicula vexillaque in terram converſa pompam funebrem ſequebantur; denique gentile ſcutum è ſummo ferculo ab Ephebis Phrygiâ veſte decoris; & equos deſultorios agitantibus præferebatur; Regium vero cadaver cum regiis inſignibus carpento vehebatur, dum tricena paria Puerorum in argentea prætexta vias thure, ac balſamo imbuebant. In extremo agmine Principes pullati luctum vultu, cultuque præferentes, & inter eos Argenis, quam & honorarias puellas candida palla velabat. Teleſinus luſtrata oculis ea pompa Poliarchum, Galloſque non paucos, inter Proceres oculis deſignavit; ſed ipſum inprimis notavit Leucterium, qui ſpecie officii

invidiâ extollens ſe pelago nebula funeſtum quid viſa eſt portendere. Teleſinus ex ſumma puppi colluſtratis jam ferventis pelagi minis in tranſtra defluens, & hora quamvis intempeſtiva Andropiſti oſtiolum pulſans occidimus, ait, occidimus Andropiſte, vel enim Nauticæ plane expers vivo, vel minantis pelagi furiis objicimur. Ita me Dii ament Teleſine, ita te noſter Poliarchus, retulit Andropiſtus, heſternum cœlum proſperi nihil oſtendebat, ſed movet me cumprimis, quod navis furentis pelagi tempeſtati, procellæque ſuſtinendæ vix par eſſe poſſit. Præterea auſpicati nihil præſagit meum inſomnium: agitabam enim tres Tygres denſo erumpentes nemore mihi inſultare tanta feritate, ut de mea actum ſalute putarem. Tum ego virtute ſuccinctus prorſus Herculea in primam facto impetu; ſuperſtites duas avertebam in fugam, cum ſomno me ſolviſti.

Subjicit his Teleſinus, non jam locus eſt ejuſmodi fabulis in cunas nutricum, aut ſimpulatricum gynæcea eliminandis. Actutum accingendus quiſque operi, & lembus ad continentem appellendus. Nullam res mora paſſa eſt: probata dudum in re nautica, peritia Teleſini Andropiſtum ad id conſilii pepulit. Verum converſa oblique prorâ, ſpe jactandæ anchoræ dum luſtrant arenam, denſus nubium globus caliginem tantam offudit, nullam ut lucem reliquam faceret. Jam auſter ſenſim carbaſa adverſus ferire, repetitoſque halitus ſic incutere, ut reducendis velis vix nautæ ſufficerent. Jam fulgetris miſceri æther, jam nubes tonitruum fragore concuti, & concuſſas dividi. Nox atra lucem abſtulerat: neque præter adulterinam fulgurum micantium ac perſtringentium oculos, lux ſupererat. Geminatis remis mare laceſſitur; ſed ita frequens ac denſus ruit imber, naveſque ſæviente nimbo tam atrociter colluctantur, ut irriti videantur Nautæ conatus,

tis, vanaque Remigum officia, donec ad Siculum littus quod Syracusas respicit, navigium procella detorsisset.

Andropistus cum Telesino vix in arenam descenderat naufragii reliquias collecturus, cum exauditi tubarum, lituorumque feralium clangores. Andropistus vero cum proximam urbem Syracusas esse accepisset ad cujus portum tempestas illum, Sicilia pene totâ cum promontoriis suis Peloro, Libybeo, Pachino circumlustratâ, jactaverat, Telesinum præmisit in urbem dum ipse maris jactatione diuturnâ æger in proximum portui diversorium se reciperet. Telesinus morem gerens in urbem penetrat, conversisque ad Regiam vultibus prodeuntem ex ea funebrem pompam prospicit longo stipatam mulierum ordine, passis Iliadum more crinibus sic ululantum, ut planctibus cœlum ipsum responderet. Succedebat manumissorum agmen redimitis myrtho capitibus, multaque cupresso manibus plenis. Vatum atque Symphoniacorum chorus mœsto cantu præibat Principis curru sublimis regio simulachro. Sex virgines palla auro texta insignes defluentibus funebrem in modum comis, olea caput, dextram funali ornatæ succedebant. Spicula vexillaque in terram conversa pompam funebrem sequebantur; denique gentile scutum è summo ferculo ab Ephebis Phrygiâ veste decoris; & equos desultorios agitantibus præferebatur; Regium vero cadaver cum regiis insignibus carpento vehebatur, dum tricena paria Puerorum in argentea prætexta vias thure, ac balsamo imbuebant. In extremo agmine Principes pullati luctum vultu, cultuque præferentes, & inter eos Argenis, quam & honorarias puellas candida palla velabat. Telesinus lustrata oculis ea pompa Poliarchum, Gallosque non paucos, inter Proceres oculis designavit; sed ipsum inprimis notavit Leucterium, qui specie officii

bat; Aberant tamen Phaëthontis fororeſ Heliades. Sed Acim quis non putaſſet ſi cum Polyphemo Galateam vidiſſet?

CAP. IV.

Menſæ accumbitur regiis inſtructa cibis. Archytæ ſcurra jocis convivas recreat, invitatque ad tralatitium potum. Sequitur epulæ deambulatio: & captâ anſâ de perduellium ſcelere, à Poliarcho & Meleandro diſſeritur: Reverſos in Aulam chorea excipit.

EXEUNTE veſpere catadromum epulæ excipiunt, Thoris accumbitur non ex paluſtri ulvâ priſco ritu, ſed ex ebore atque teſtudine. Nec pretioſiores abaci, & monopodia ex Aſiâ quondam advecta ſunt. Is autem fuit apparatus convivii qui convivas non refecit modo, ſed & ſtupefecit. Ibi enim apri toti, & muta venatio, & alia exquiſita, quibus ingenioſa gula eſt, oblata ſunt.

Laudabat Archytas Siculus luxus patrios, & ipſe facetus ſcurra ſalibus cibos condiebat, invitans ad hauriendos Græco more calices, addebatque homo lepidus aut *biberent, aut abirent. Mox cyathum Indigetis primum, deinde convivis propinans, græciſemus, & cyathiſſemus ait: Siccatoque avide † cornu, eo magiſtratu, inquit, ſum donandus quo Græcus conviva, quo Scytha, & Sibarita, & Cilix. Lycurgi, vel Penthei ſi qui adſunt, falcem vel thyrſum ſacrilegii mercedem induant. Tum quiſque convivarum ad tralatitiam compotationem ſe mutuò ac liberaliter invitare. Ergo à pueris Alexandrinis coronata vittis aureis circumferuntur vina, omneſque falerno defœcatiſſimo inundantur.

Soluto convivio ad deambulationem diſceditur, tum enim ad multas horas lux protrahebatur. Ibi concentus multiplex ſuſpenſas aures audientium permulcebat,

* ἢ πίθι, ἢ ἄπιθι.

† *Inde Cornutus Bacchus apud Athenæum.*

bat, & collium flexus, crebrique vertices aut assurgentes in cuspidem, aut in humeros confracti, & vallium sinus resultantem aërem inæqualiter scindentes sic reciprocabant sonos, ut tibiarum, testudinum, barbitorum symphoniam multiplicatam diceres. Archytas totus in jocis agresti sago velatus humeros, non levem principibus risum excussit, dum carmen rusticum modo fistulâ miserè disperdebat, modo tibiâ utricali, & crembalo multiplices edebat sonos.

Interim ad fontem spectabilis operæ Poliarchus, (nam ad vicinos hortos mox turba reverterat) satis defigebatur. Fons iste triplici labro excipiebat subsultantes undas, & per varios belluarum rictus easdem regerebat. Typheus immani dorso montem sustollens marmoream superabat molem, & minanti similis onus suum in principum caput dejecturus videbatur. Hic Meleander Poliarchum extra hominum arbitrium submovens, Lycogenes insit, secundarum impatiens, & supra humanum fastigium nuper elatus quam non absimilis huic extitit, quem Phlegræis in campis luctatum esse cum Diis fama est, præ cæteris Gigantibus præpotentem; quorum alii fulmine Jovis decussi, alii Apollinis, Dianæque telis confixi; hi sub Ætna, illi sub insulis Volcaniis sepulti debita suo sceleri supplicia eadem luunt quæ perduelles manent. Quam fœlici successu ei quod minabantur exitio cervices subduximus! Quantum mea mens revocare potest ætatis præteritæ memoriam ultimam, nunquam non audivi eos, qui axem invidiose conscenderant ad imum usque barathrum fuisse deturbatos. Ecquid arguit saxum Sisyphi? Quid inexplebilis fames, & sitis Tantali? Quid rota Ixionis, Tityi jecur, Caucasus Promethei? Nonne surdis auribus intonant, ne mortales quantumvis opibus, & amicitia Regum florentes supra sortem suam efferantur; neque dispendio suo experiri audeant, quot-

quotquot aſpirantis fortunæ flatibus intumeſcunt, eos & peſſum ruere, & iram Superûm in caput ſuum elicere. Poliarchus interim dicenti annuebat. Nec ceſſabat ingratos perduellium animos, ipſiuſque Lycogenis audaciam incuſare.

Adornata interim ab Archombroto chorea regreſſos in aulam excipit, huicque ipſe præludens Poliarcho competens hoc Acroama ad præſcriptum fidium, Regibus urbanè porrexit.

Læſa Jovis Conjux, rabidiſque exercita curis,
Æquoreis quæcunque latent Portenta ſub undis,
Quæ Phlegethonteis rugiunt fera monſtra cavernis,
In turmas aciemque vocat: ſimul agmine facto
Accelerant, & mille petunt Alcida figuris:
Antra ſonant, tetrumque fremens vomit ira venenum.
Ille indignanti deſpectans ore, revulſos
Ungue premit, tenerâque manu monſtra impia torquet.

Mox ad numeros ex aëre delapſa Juno pellicibus minans primum Jovi in Taurum, Aquilam, Olorem, Satyrum verſo indignabatur; deinde ſcena criſtatis anguibus ſquamma atterentibus humum, & linguâ triſulcâ necem intentantibus ſibilabat; hydraque multiplici Ceraſte cincta locum denſabat. Tunc Hercules puer habili ſaltu in altum ſe librare, inſultans à fronte, à tergo; pugno mactans, ungue illidens; interim Alcmenæ geſtu nunc ad metum, modo ad ſpem flexo. Sed noverca Juno ad præſcriptum fidium ringi, novaque ciere monſtra. Elephanti erectâ promuſcide tripudiando prælia miſcebant, aſſultabatque ad cytharæ pulſum Hercules, poplites elephantum contundens regente clavam tenore, eoſdemque cædebat ad numerum, donec Jupiter nutu, ſaltuque idoneo ad natum delatus tot laureis hunc donavit, quot erat inſignis victoriis.

CAP. V.

Digitized by Google

CAP. V.

Facto mane Principes ad venationem se expediunt. Confluente in saltum multitudine Venationi variarum ferarum incumbitur. Emicat in primis Cervus inauditæ proceritatis, quem dum Tripholaus senex insequitur, ejusdem cornu sauciatur; inde luctus, in quos communis lætitia commutatur.

CONsumptis hoc tripudio primis excubiis, & triduo toto in nuptialibus gaudiis, venaticum certamen, quo remittuntur in primis ptincipum animi sequentem in diem comparatum est. Poliarchus & Archombrotus brevi somno reparatis animis strato desiliunt, seque ad proximam pugnam strenue expediunt.

Saltus erat densus arboribus, in quo feræ variæ speciei atque senectutis, quas ad voluptatem quæsitas Regia munificentia hîc alebat. Direptioni dicto die venatores armati, numeroque canum stipati confluunt. Dato signo torrentis more effusi omnes advolant. Mox Cervi per abrupta citatis pedibus ferri: Lepores canum vim declinantes, mille mæandros implicare; Apri rapido furore præcipites ferrum induere. Cervus imprimis procerâ corporis mole canum, venatorumque operam fatigabat. Illi pectus obesum, & ingentes armi, crura ad pernicitatem aptissima: sed præcipuum in cornibus miraculum; Nemus enim diceres ramis intertextum, quod illi præsidium Natura adversum impetus venatorum dederat. In cursum ubi effunditur, Parthicam sagittam crederes.

Dum Poliarchus & Archombrotus in equis emicant, conanturque ferire contumacem, Tripholaus Bruttiorum princeps, quamvis jam senio gravis suam probaturus cunctis industriam citato equo ad Cervum advolat, acerratoque primum telo hunc trajicit, deinde obluctantem ferro in oculis multitudinis plaudentis victori dum transverberare laborat, ipse peracuto Cervi

ramulo

ramulo in pectore vulneratur, quo vulnere post aliquot dies, irritus medicorum artibus, & conatibus occumbens regiam effudit animam, & plausus pompamque nuptialem in luctum convertit.

Argenis Patrui sui Bruttiorum, & Lucanorum Regis tam horrendo fato uberibus, & sponte fluentibus lacrymis parentabat, hæc interrupta, singultibus identidem subjiciens: O fortuna volucris, & nimis varia ut nunquam perpetuò es bona, sed ludum insolentem persæpe ludis, in præcipiti dubiâque rotâ nutans: ut non solum volubilis es, & rerum humanarum domina; sed cæca, fatalis, insana; quæ indigno plerumque ludibrio, & fato Reges ipsos, ut proletarios absque discrimine subjicis: scilicet vitam regit fortuna, non dignitas. Caduca sunt, & fluxa munera tua, ô Noverca dura, & crudelis! Usque adeo nulla est certa & summa voluptas Mortalibus, lætisque & fastis infaustum aliquid & adversum plerumque intervenit.

Plura queri volentis singultus ingens fauces intercluſit. Sed Aneroëstus in eo luctu, & tam alto dolore Argenidem non deserens quibus poterat lenimentis levabat deficientem. Vix leviori vulnere aula tota afflicta est; Vix ipsi Brutii, & Lucani, qui delicium Regni sui Tripholaum tam funesto exitu sibi sublatum amiserant. Denique tota pene Sicilia, quæ modo foelicitati Principum applaudebat, Bacchantumque lætitiæ proxima, cœtu confuso, omnibus, & votis paulo ante plena erat, plausum in planctum, gaudium in mœrorem convertit. Fuere & poëtæ qui communem luctum suis carminibus significarunt; sed Theander imprimis qui tali tamque insperato fato ita indoluit.

Heu varias rerum sortes, incertaque fata!
Heu rota constanti nescia stare loco!
Quam fortuna gradu semper non pergis eodem,
Sepes hominum vanas dum malefida teris!

Ergo-

Ergone funereas tædas junxiſſe maritis
Non pudet, haſque atrâ commaculaſſe face?
Hiccine jam riſu fletu miſcetur acerbo?
Hiccine lætitiæ finis acerbus erit?
Immeritus pœnas dederis, Tripholae, feroci
Parcæ, ac inſtabiles experiare vices?
Languidus enervi geſtat dum ſpicula dextrâ
Vulnificâ verris cuſpide triſte ſolum.
Non aurum, non ſceptra juvant, non martia virtus:
Nam fortuna pari lege cadnea terit.
Hinc gemitus; gemitus luctantia verba repreſſit,
Inque ſinus larga decidit imber aqua.

Per novem dies totos corpus Regis in aulâ expoſitum honoribus quaſi divinis obſervatum eſt, donec eodem cultu per urbis compita circumlatum, nono die pro more combureretur.

CAP. VI.

Autolycus Communitorigis filius abſentiâ Regis Polabuſus ad faciendam ſummam rerum in Gallia occupat, mittitque, qui Reginam matrem apud Poliarchum inſimulent, Leucterium, & cum eo Medicum qui Pol. veneno perimat. Sed mittitur & nomine Regina Andropiſtus cum Teleſino, qui ambo Pollarc. ex Sicilia in Galliam revocent.

EA eſt fatorum viciſſitudo ſe invicem excipientium, ut alternatam ſeriem malorum diceres, quæ variatis ictibus mortalium conſtantiam oppugnent, quam ſua quaſi mole, niſi reſiſtatur, ſtatim obruant. Cometa crine horrens ſanguineo, bolides trahentes limitem, aliæque cœleſtes minæ ingruentis procellæ dubios terrores ingeſſerant. Dum Principi Bruttiorum, quem in tali congreſſu ſors iniqua ceciderat, flebilis pompa inſtruebatur, reinorabaturque in Sicilia Principes, oppreſſa iterum ſub factioſis Gallia exſpirabat. Hydra rebellionis, ſi centies reſcindatur, centies repullulabit? vix ullis autem communiores tumultus quam

Gallis.

Gallis. Hi quidem Autolycum ex adulterinis Commindorigis amoribus emersum, suis copiis, atque adeo summæ rerum præfecerant, qui paternis moribus adeo respondebat, ut ad omne facinus magis impigrum, & ingeniosum *, ad omnia denique pericula magis contumacem nulla ætas viderit. Dignum medius fidiùs patellâ operculum, & tam furioso parente dignam sobolem. Itaque totum Galliarum Imperium ferali rogo illo flagrabat, quem Patriæ Bustum Autolycus Eumenidum face accenderat, quem & factiosorum flabellum excitarat, dum arces munitissimas perduelles Regis Poliarchi absentiâ præferoces specie publici commodi obtinebant. Attamen uti nunquam quieta mens est imbuta scelere, parum fuit castra munitissima invasisse, nisi sui juris precarium Imperium foret. Juvat ergo Poliarchi capiti insidiari, atque Leucterium ad omne nefas præcipitem & expeditum in Siciliam delegare ad Principem, cum Medico meditati facinoris administro; Illum ut Reginæ Matris subdolè adrepat sanctis moribus, hunc ut Herculem Gallicum potentissimo & quasi Nessæo veneno extinguat; mactatisque furori suo Gallorum optimis invalescere possit factio, obice nullo impedita, & Autolycus apud Gallos regnare non precariâ potestate.

Itaque Leucterius emptus ab Autolyco Siciliam appellit, Timandram de restitutâ Religione cruentâ Tauricæ Dianæ apud Poliarchum arguit, additis atrocibus notis perfidiæ, & odii plusquam novercalis, maximè quòd frater Autolyci natu minor Poparum securim evadere non potuisset; quod clarissimus quisque ad aras traheretur: quod iniquis fœderibus parens Poliarchi Timandra se astrinxisset: quod illa revertenti filio insidias moliretur. Et is author est Autolyco fido in paucis cum Regni regimine regias quoque com-

* Ovid. *Autolycus furtum ingeniosus in omne Nascitur.*

committat copias, immitemque Novercam debitis pœnis devoveat. Denique ſic mentem, vultum, orationem compoſuit callidus iſte Sinon, ut Hectori tanto illuſiſſet, niſi Andropiſtus à Regina ad filium legatus jam inclinantem Principis animum revocaſſet. Quod negotii adverſa quidem fata primum funeſtant; fœlix tamen eventus prudenti conſilio non defuit Itaque furtim conſtructa navi, & cæſis pro Religione candidis, & nigris victimis, aſſumptoque in ſocietatem conſilii, ac fidei Teleſino, Andropiſtus ſolvit è littore, pleniſque primum velis oram maris interni radit, incertus tamen ubi terrarum Regem reperiret.

Jam pacata nox Liguſticum mare longo tractu profulcantes exceperat, cum paulo liberius ſpirantibus auris Naucletus vela deducit: exſæviente mox procellâ Andropiſtus obſtupuit, quod repente excanduiſſet pelagus, nec mora ventus poſuiſſet. Peritus Gubernator ſcitè referebat contrario ſyderum occurſu, & nebularum impulſu aërem flagellatum mentem ambiguam facere, necdum exortem periculi. Hæc aſtra, inſit, ſi adverſis ab influxibus ceſſant prætereuntque volentes, ſecundo mari delabi, Zephyriſque ſecundis uti licebit. Interea corpora curabantur. Poſtquam autem largioribus cibis ſtomachum quiſque implevit, remotis menſis ad quietem ſeceſſit, donec crepuſculo diſcuſſa nox ſpiſſior pallente jam ſole rareſceret, aperiretque optata littora.

CAP. VII.

Teleſinus perterritus tempeſtatis futuræ prænuntiis Andropiſtum à ſomno excitat. Is dum præſagum ſomnium narrat, ingens procella mare agitat, & navim in Siculum littus detorquet: Quo cum appuliſſet, exauditi litui. Penetranti in urbem Teleſino, ut quid rei eſſet, agnoſceret, viſa funebris pompa, longo & regio ordine, & in extremo agmine Poliarchus & Argenis, quibus Leucterius officii ſpecie adhærebat.

PRævia ſolis Aurora micabat, noctiſque lampades aurea ſua face fugabat, cum neſcio quâ averſi Cœli

 invi-

invidiâ extollens ſe pelago nebula funeſtum quid viſa eſt portendere. Teleſinus ex ſumma puppi colluſtratis jam ferventis pelagi minis in tranſtra defluens, & hora quamvis intempeſtiva Andropiſti oſtiolum pulſans occidimus, ait, occidimus Andropiſte, vel enim Nauticæ plane expers vivo, vel minantis pelagi furiis objicimur. Ita me Dii ament Teleſine, ita te noſter Poliarchus, retulit Andropiſtus, heſternum cœlum proſperi nihil oſtendebat, ſed movet me cumprimis, quod navis furentis pelagi tempeſtati, procellæque ſuſtinendæ vix par eſſe poſſit. Præterea auſpicati nihil præſagit meum inſomnium: agitabam enim tres Tygres denſo erumpentes nemore mihi inſultare tanta feritate, ut de mea actum ſalute putarem. Tum ego virtute ſuccinctus prorſus Herculea in primam facto impetu; ſuperſtites duas avertebam in fugam, cum ſomno me ſolviſti.

Subjicit his Teleſinus, non jam locus eſt ejuſmodi fabulis in cunas nutricum, aut ſimpulatricum gynæcea eliminandis. Actutum accingendus quiſque operi, & lembus ad continentem appellendus. Nullam res moram paſſa eſt: probata dudum in re nautica, peritia Teleſini Andropiſtum ad id conſilii pepulit. Verum converſa oblique prorâ, ſpe jactandæ anchoræ dum luſtrant arenam, denſus nubium globus caliginem tantam offudit, nullam ut lucem reliquam faceret. Jam auſter ſenſim carbaſa adverſus ferire, repetitoſque halitus ſic incutere, ut reducendis velis vix nautæ ſufficerent. Jam fulgetris miſceri æther, jam nubes tonitruum fragore concuti, & concuſſas dividi. Nox atra lucem abſtulerat: neque præter adulterinam fulgurum micantium ac perſtringentium oculos, lux ſupererat. Geminatis remis mare laceſſitur; ſed ita frequens ac denſus ruit imber, navesque ſæviente nimbo tam atrociter colluctantur, ut irriti videantur Naucleri conatus,

Digitized by Google

tis, vanaque Remigum officia, donec ad Siculum littus quod Syracusas respicit, navigium procella detorsisset.

Andropistus cum Telesino vix in arenam descenderat naufragii reliquias collecturus, cum exauditi tubarum, lituorumque feralium clangores. Andropistus vero cum proximam urbem Syracusas esse accepisset ad cujus portum tempestas illum, Sicilia pene totâ cum promontoriis suis Peloro, Libybeo, Pachino circum lustratâ, jactaverat, Telesinum præmisit in urbem dum ipse maris jactatione diuturnâ æger in proximum portui diversorium se reciperet. Telesinus morem gerens in urbem penetrat, conversisque ad Regiam vultibus prodeuntem ex ea funebrem pompam prospicit longo stipatam mulierum ordine, passis Iliadum more crinibus sic ululantum, ut planctibus cœlum ipsum responderet. Succedebat manumissorum agmen redimitis myrtho capitibus, multaque cupresso manibus plenis. Vatum atque Symphoniacorum chorus mœsto cantu præibat Principis curru sublimis regio simulachro Sex virgines palla auro texta insignes defluentibus funebrem in modum comis, olea caput, dextram funali ornatæ succedebant. Spicula vexillaque in terram conversa pompam funebrem sequebantur; denique gentile scutum è summo ferculo ab Ephebis Phrygiâ veste decoris; & equos desultorios agitantibus præferebatur; Regium vero cadaver cum regiis insignibus carpento vehebatur, dum tricena paria Puerorum in argentea prætexta vias thure, ac balsamo imbuebant. In extremo agmine Principes pullati luctum vultu, cultuque præferentes, & inter eos Argenis, quam & honorarias puellas candida palla velabat. Telesinus lustrata oculis ea pompa Poliarchum, Gallosque non paucos, inter Proceres oculis designavit; sed ipsum inprimis notavit Leucterium, qui specie officii

Argenidis lateri ſe applicuerat. His ſatis ſuperque viſis ipſe ſe confuſæ multitudini inſinuavit funebris pompæ inſpecturus finem, & Leuctrium, niſi forte deluderetur erraretque oculus, propius contemplaturus. Et quia Teleſinus Græce neſciebat, quæ lingua Siculis tunc vulgaris erat, vix poterat ſatis noſſe cujus funus ageretur (conſtabat tamen eſſe regium) donec à neſcio quo ſibi obvio Siculo, qui non erat expers Latini idiomatis rem totam accepit unà cum carmine Latinitate donato, quod deinde fabulæ ſuæ Theander ita inſeruit:

Jam nova floriferam decorabant gramina terram
Expulerantque jugis tempora ſuda nives.
Æquora nec tumidis rugiebant pulſa procellis,
Tutus at aquoreas Nauta ſecabat aquas.
Laurigeriſque Charis comitata ſororibus, alta
Debuerat lepidis voce præire jocis:
Debuerat tædas cantu celebrare jugale,
Et cum Pierio ſubſiluiſſe choro,
Cum cupidus lætas Phœbus ſpectare choreas,
Virginei petiit culmina grata jugi.
Aſt ubi dilecti pervenit ad ardua montis,
Obſtupet heu! Muſas Phœbus abeſſe ſuas.
Pergit iter, Muſasque putat latiſſima Tempe
Saltibus idoneum concelebraſſe locum.
Anxius ergo jugis cum deſcendiſſet Apollo,
Theſſala tum Tempe promptus adire parat.
Hic exundantes ſolitis è ſedibus amnes,
Et fluctus ripas deſeruiſſe dolet.
Quærere dum cauſam tentant, facunda ſororum
Agmina ſubgelido fonte ſedere, videt.
Hic pia turba ſui præbens monimenta doloris
Augebat lachrymis cuncta fluenta ſuis.
Fletibus ora madent, lachrymis rorantur obortis
Lumina, & undantes immaduere genæ,
Aſsiduis pulpata gemunt ululatibus aſtra,

Digitized by Google

Et ſuperat totos mœſta querela polos.
Inſtrumenta vacant, viridique ex arbore pendent
Siſtra, Chelys, Cytharæ, Cymbala, plectra, fides.
His quoque condoluit Phœbus, cauſamque doloris
Quærit, & hæc moto pectore verba dedit:
Pandite Sicelides, veſtri quæ cauſa doloris?
Cur mutas ſalices ſuſtinuere lyras?
Dicite, cur taceant cytharæ, quid carmina ceſſant
Et referunt mœſtos pectora veſtra ſonos?
An quia dilectas inviſi ſerius oras?
An quia per mundum Numina veſtra jacent?
An quia vos nemorum petulantia Numina tentant?
Pandite; ſum promptam ferre paratus opem.
Et quia vernanti tellus renovata vireſcit
Gramine, pelle graves, docta caterva, moras.
Invitant Zephyri, diſtinctaque floribus arva,
Geſtit Hymen lepidos inſinuaſſe jocos.
Tum Clio: extinctum crudeli funere Thyrſim
Flemus, & hæc noſtri cauſa doloris adeſt.
Thyrſis obit, plenis lachrymas date flumina rivis:
Najades ſparſis Thyrſida flete comis.
Ver hyemi cedat, Sol nocti, aurora tenebris.
Uberibus lachrymis Juppiter axe pluat.
Pro molli viola ſpinæ, pro mitibus uvis
Carduus hirſutis ſurgat ad aſtra comis.
Nec jam perpetuo frondeſcat Amaracus ævo;
Aut Roſa purpureas circinet ore comas.
Quando Thyrſis obit condamus inane ſepulchrum:
Dicamus, placidâ ſit leve pondus humo.
Fingendo tumulo Charis, & formoſior Ægle
Serta comis flentes diripuere ſuis.
Mollibus hunc tumulum violis ornate ſorores,
Spargite nectareis floribus, atque roſis.
Nec jam plorat Itim triſtis Philomela peremptum,
Thyrſidis ad mœſtas congemit exequias.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Deſiſtit Progne veterem inſtaurare querelam,
At rapto terris Thyrſide mæſta gemit.
Dedignantur apes florem, triſtique Cupreſſo
Inſixæ mœſtis condoluere ſomis.
Phœbus ut extinctum crudeli funere Thyrſim
Audiit, hic toto riſit ab ore Deus.
Scilicet Ambroſias guſtantem Thyrſida menſas
Fletis, & immeritis immaduiſtis aquis.
Vos magis ora, manus pura luſtretis in unda
Thyrſidis atque novos ad ſacra ferte modos.
Et quando ſuperas Thyrſis penetravit ad arces,
Huic ara ex vivo ceſpite ſurgat agris.
Hac arâ Ambroſios diffundant Cynnama flatus;
Accenſis oleant thura Sabæa focis.
Dixit, & ignito ſurrexit in æthera curru,
Ac ſolitum rutila lampade ſignat iter.
At deſolatum repetunt Helicona ſorores;
Et lepidum gaudent deproperare melos.
Clio Chelym revocat, relegitque Polymnia ſiſtrum,
Uranie Cytharam, Melpomenea Lyram,
Terpſicore lituos, Euterpe Cymbala, avenam
Erato, Apollineas blanda Thalia fides.
Ad totum Regina regit facundior Orphei
Mater Threicii Calliopea chorum.

CAP. VIII.

In foro ſit Epicedion ab Archemb. Inde in templum, mox ad pyram proceditur. Ibi & Aneroeſti perorantis oratio fletibus omnium excepta eſt. Denique reliqui ritus funebres deſcribuntur.

ANeroeſtus qui pompam inſtruebat, præibatque funeri, in foro ſiſtere omnes gradum juſſit ad Epicedium Archombroti patrio more peroraturi in patrui funere. Hic à ſublunarium perpetuo motu auſpicatus eſt: quam lugendæ vices mortalium, aſſiduis obnoxiæ motibus, dum graſſantur impunè fata, imitantur-

que

que maris fluctus, quorum alii alios excipiunt, dum & cladi quæ civilem pene exhauſit ſanguinem ſuccedit altera quæ tot lachrymas elicit. Orationis deinde ſeriem proſequutus naturæ novercæ inſolentiam arguebat, quæ nuptiales vix ſatis accenſas faces tædis feralibus infeſtabat, funere ſcilicet Principis Bruttiorum, qui ab epulis ad venaticam exercitationem abſcedens, Cervi ramulo afflictus regiam cum ſanguine animam fuderat: Ille inquam Princeps qui in acie ſæviſſimis defunctus periculis, inter ipſas tranquillæ pacis, ſocialiumque fœderum delicias immiti fato raptus erat.

Argenis deinde proxima delubra ſubiit, & in adyta penetrans imaginem Cereris vetuſtate venerabilem ſtricto amplexu ligavit; tum in pedes erecta ubi Hetruſcûm ritu carmen cecinit, funebrem pompam per forum proſequuta eſt. Locus erat in ovi flexum ſinuatus, obvallatuſque theatris: In medio Pyra aſſurgebat, ſublimis centum columnis, iiſque Cypreſſinis, quibus trabes magnæ molis incumbebant, fulciendis caveis utique pares. Cacumen in fornicem concameratum figuris variis nitebatur. In ſecundo tabulato ex aridis, & fragrantibus lignis regium corpus depoſitum eſt. Tunc Aneroeſtus in ſublime elatus lugubrem, ſed diſertum in modum peroravit, eximias Principis dotes, trophæa, victorias, immeritum denique fatum recenſendo complectens. Quæ ſupremæ voces tanto condolentis multidinis gemitu exceptæ ſunt, ut orationis flumen etiam invitâ Minervâ orator compeſçere cogeretur; cujus loco tibiæ, litui, voces, ritu funebri cecinere hoc carmen:

Denſatæ juvenum fleant caterva,
Nam Dux Oenotriæ, decuſque Regum
Venando cecidit; cuentus ictus
Exhauſit rutilum Ducis cruorem.
Non vox ulla poteſt, theatra nulla

Digitized by Google

Hoc dignè immeritum referre fatum.
Non hunc flexit amor, nec ussit ira,
Non vindicta ferox, fames nec auri,
Illum cana fides, amorque recti
Cunctis prætulerat. Nec est secundus
Ulli; nec similem videbit orbis.
Nunc ergo puerûm fleant catervæ,
Corrumpant lachymis genas puellæ,
Nec parcant lachrymis Senes obortis.
Num justo gemitus damus furori?
Num justo lachrymas damus dolori?
Flete, flete oculi, nec ulla nostri
Pars immota vacet dolore justo.
Imo parcam oculis, solo nitentem
Hunc nam mors rapuit polis beandum.
Ne tantos renoves, dolor, furores;
Ne tantos acuas, furor, dolores.

Rex Meleander proximæ affinitatis jure, aversa fronte pyræ subjecit facem, quæ illicò aridiora nutrimenta consumpsit. Jam columnas, jam fastigium superante flammâ Aneroestus frangrantibus lignis thus, alioſque odores congerebat. Poliarchus & Argenis eodem ritu Bruttiorum Regi parentabant; totaque plebs effusa lacte, oleo, mero, casia, floribus pyram certatim cumulabat, dum bustuarii artis suæ spectacula confluenti multitudini passim edebant. Cremato cadavere, collectisque in urnam Aneroesti curâ cineribus, & in hypogeo depositis, sacro fonte tertiùm plebs lustrata est, ac supremum *Vale* & *Salve* totidem ingeminatum: *Levis sit tumulus*, omnium votis optatum est. Tandem Epitaphion Aneroestus Rex Regi hoc appendit:

Hospes ab externis ô qui nunc plurimus oris
Regis ad Oenotrii nobile limen ades,
Siste gradum; nobis indixit Parca dolorem,
Nam cecidit gentis lumen amorque suæ.

Heu

Heu cecidit : largos illi date lumina fletus ;
Immitis Cervi cornibus ictus obit.
Ipſe ſub hoc ſculptos cernes tamen uſque triumphos
Marmore : ſtat laudis firma columna ſuæ.
Hoc te ſcire volo, nil te moror amplius hoſpes,
Sed memor humanæ conditionis abi.

CAP. IX.

Teleſinum ſubeuntem in Regiam Gelanorus habet obvium. Ille ſtupens quærit ubi Andropiſtus ; quem adire decernit. Anteit Teleſinus : qui de Leucterio ubi Andropiſtum admonuit, Androp. omni vigore deſtituitur, nec donec meliuſcule ſe habentem Gelanorus inviſit, & de Leucterii legatione monet. Demum ambo quærunt Poliarc. alloquendi locum.

NUnquam lucent in Cœlo Cometæ niſi minaces. Hauſtus oculis rogus feralis omnia mortis affert. Funus inquam Bruttiorum Regis futuræ tragœdiæ velut omen extitit. Cœna funebris parentalibus finem fecerat, cum Gelanorus obvium Teleſinum habet ſuccedentem ad Regiam. Ingens ſtupendi anſa. Ille ubi ſe collegit à popularis ſui vultu, hunc ſeductum à turba præmiſſis ſalutantium officiis rogat, ut conceptum ex improviſo adventu ſtuporem levet: Et quæ rerum facies in Gallia, quæ cauſa maris tranſnatandi, & ubi gentium Andropiſtus ? Quippe noverat ei antiquius nihil eſſe neceſſitudine & conſuetudine Teleſini, ſine quo nihil uſquam ageret. Et Teleſinus, Galliæ, inſit, adverſi ſyderis inclementiæ ſubjacent; nec jam irrepit ſolum : ſed graſſatur impune lues, quam niſi Rex Aſtioriſtes (ſic Poliarchum more Gallorum appellabat) cyta ac valida manu diſſipaverit, patebit, ita me Dii ament, imperium prædæ, atque Tyrannidi. Brevi aderit ex proximo portu Andropiſtus, qui certa ad Regem referat, dummodo ne quis illius fide abuſus falſis ſermonibus regias aures occuparit : Nam &

Leucterium ea in pompa vidi, civilis incendii certissimum flabellum, toties dignum cruce vel saxo, quoties tumultuum, ac cædium author fuit. Verum ubi Andropistus? Retulit Gelanorus; Amabo, hunc adire & audire mihi per te liceat: curandum enim imprimis, ut in occultu sit tandiu, donec Astioristis mentem certioribus motuum causis imbuero.

Extemplo agi uterque in diversa, ne cui suspicioni locus foret, & gradu tam citato incedere, ut per viarum compendia Telesinus anteiret, adventus Gelanori, & suæ tam diutinæ motæ Andropisto facturus indicium. Ad diversorium ubi pervenit, Euge, Andropiste; infit, hic gentium diversari putas Leucterium? His egomet vidi oculis hominem in pompa funebri Regis Bruttiorum, cui funestus exitus ultimum diem clausit, ad latus filiæ Principis velut officii specie adhærentem. Andropistus in sponda recumbens circumactum erroribus, ac motibus navis caput interea componebat. Ille adhæc subita indignatione ac bile calens statim excanduit; postea vacavit cogitare quomodo eo terrarum huic homini occurrisset: causamque mox suspicatus, omni sensu, vigoreque destitutus est.

Dum Caupo cum Telesino revocandis illius animis incumbit, adest Gelanorus, qui raptim in hospitium irrepserat. Is discussâ turbâ, remotisque arbitris Andropistum invadens, pectus illius usque ad livorem premebat amplexibus, & macte, virtute, Adropiste, infit; Ego Gelanorus, aut si mavis, Cerovistus ego sum, qui tuos detersurus dolores huc veni. Andropistus adhæc oculis primum, deinde & lacertis Gelanorum appetere, quem mutuo ligans amplexu, per genium Astioristis sui impense rogavit, Ecquid negotii Leucterius apud Siculos moliretur, remoto omni fuco dicere non differret. Nunquid sceleatus principis fidem obstrinxerit, suis ut armis bustum patriæ Autolycum

Digitized by Google

tolycum tueatur? Sic ſe res habet, reponit Gelanorus, ſed de his cum vacaverit. Hoc unum jam te volo, nimirum ut labefactatas navigio, & deliquio animi vires colligas. Nec dubita Regis aures ad tuam legationem pronas fore. Sed nunquidnam adventum tuum Regem cœlari conſtituis, dum tempus anſam obtulerit uberius infundendi auribus illius, quod minus placida mente nunc forte acciperet, maximè cum belli conſilia moveat. Et Andropiſtus, Cujus vero belli movendi conſilia? In matrem, quæ ejus & vitam & imperium hactenus illibatum ſervavit? An ut Autolyco ſceptris inhianti auxiliarum copiarum ſuppetias ferat?

Subdidit Gelanorus: rumor aulam pervadens nunc primum huic bello materiem miniſtravit: quippe Rege Bruttiorum & Lucanorum Tripholao, dum cervum nuper inſequeretur, funeſtiſſimo caſu tandem cæſo, & cum communi omnium dolore combuſto, Bruttii, & Lucani à legitimo hærede Archombroto, ad Epyrotarum Regem Alexandrum, emptis Regni proceribus, defecerunt. Fama eſt hunc adornare claſſem quâ Siculum fretum obſideat, & facultatem trajiciendi in Italiam Archombroto omnem adimat. Magnum hicce increbreſcens in dies rumor belli terrorem omnibus injicit. Argenis ipſa vix ullius conſilii ſatis patiens eſſe poteſt, adeò rem omnem inclinatam atque deſperatam credit. Attamen Archombrotus Aſtioriſtis noſtri conſiliis obfirmatus, ejuſdemque armis, atque virtuti plurimum fidens, victoriam animo præcipit, Sororemque ſuam Argenidem ſpe vincendi conatur implere. Porro Principis conſilium fuit, ut ipſe Epyrotarum claſſe fugatâ Siculum fretum occuparet, & auxiliares iſtas copias procul abigeret, dum Archombrotus & ipſe valido ſuccinctus exercitu, in Bruttiorum, & Lucanorum fines ingrederetur, eoſque quà metu, quà præmiis demereret. Nemo non probavit conſilium,

neque

neque ullam res moram paſſa eſt : adhuc enim ſub pellibus eſt miles , eò ſane ad prælia nova vegetior, quò de bellicis laboribus aliquid eſt remiſſum , diviſumque cuilibet militi donativum Et jam inſtruendæ claſſi arena nautis , atque militibus circa Pelorum fervet.

Impatiens moræ Andropiſtus retulit ; quæ obſtetrix proprio partu neglecto, qui jam morti proximus ſit , alieno fœtui curando incumbet ? Iſtud negotii maturandum puto , in quo prorogando diſcrimen atrox incurritur. Nam cui bono procraſtinandum id , quod credam ſalubre ? Ex ea ſedulitate pendet tota regni fortuna. Circumvenitur Rex ab hoſtibus ſuis , qui exſtinguendi penitus cum imperio Regis occaſionem captare geſtiunt ; non ibimus ? non feſtinabimus deceptæ mentis errorem amoturi ? jam incendium quáque perrepſit , & ſedebimus ad conſilium , quò gliſcentem flammam extinguamus ? Triremus yaſto compagum hiatu fatiſcunt , & de fuga ſtatuemus , poſtquam procella exſævierit ? Ingentem mihi ſpem facit clementia principis , qui meam , ut ſpero , libertatem æqui , bonique conſulet , nec ab aliis ſinet quovis fuco verborum fidem meam præverti ; communem utrique aurem accommodabit. Si ſecus , exclamandi locus erit , infortunatum principem , apud quem deſpicatui veritas eſt, mendacium honori ! Sed propitiabit mihi , ut ego confido , principem mea Legati dignitas , docilem vero oratio mea faciet. Et quandoquidem pro communi ſalute ad filium à matre Legatus venio , ibo , & quicunque Legationi meæ obicem ponet , hunc hoſtem , ac peſtem patriæ reputabo. Regem ſi amas , Gelanore , ſed à te hunc armari nemo ambigit , eſto adventus mei fœlix, ac fauſtus nuncius : Neſcit ullam negotium moram pati. Porro de Principis erga me voluntate minime angor. Utcunque res cadet , Reginæ juſſibus publicæ

ed by Googl

tæ rei commodo, nedum ſaluti Regis nihil me præverſurum decerno.

CAP. X.

Mœſtam Argenidem conſolatur Poliarchus. Huic Gelanorus indicat adventum Andropiſti, ſuadetque illum ut audiat.

ARGENIS dolori ſuo parentatura in gynæceum abceſſerat, & curas ejuſdem ſponda eburnea reclinatæ Poliarchus levabat, cum ſuccedens Gelanorus indicat Principi Andropiſtum Reginæ matris nomine adventare. Defixus adhæc Poliarchus, quærere qua mente, quove conſilio huc ſe Andropiſtus provexiſſet, & ubinam diverſiſſet? Tandem legationibus matris, cujus infeſta conſilia aſſerebat animum ſuum non latere nullum locum eſſe ſuper. Ea fuit curſus illius inſolentia, retulit libertus, ut emenſus Thyrrenum mare, & in Ionium devolutus, in Syracuſano demum portu, procella ſæviente, anchoram jaceret. Legationis conſilium vix ſatis mihi liquet: Unum ſcio, Andropiſtum audito Leucterii has in oras adventu, animum deſpondiſſe, quem vix abeuntem revocavit, cum indignatione, & bile calens, huic quaſi Reip. faci verbis atrocibus cœpit inſultare, à regina matre prodire ſe aſſeverans, ut graſſentem luem abſtergeret.

Leucterium Poliarchus jam arceſſebat, cum Geladorus momento rei ponderato, liberiori eum voce affatus eſt: fieri quod debeat, cum multis tracta, ô Rex; quod vero facturus ſis, cum pauciſſimis, vel potius ipſe tecum. Veteres Minotauri ſigno in Legionibus uſi ſunt, ut quemadmodum in latebris abditus erat Minotaurus, ita Ducis conſilium ſemper eſſet occultum. Cui bono ad arcana conſilia illum accerſeres, in cujus caput tota moles legationis incutienda ſit? In lite æmulus eſt, ideoque removendus, donec juſtis criminationibus reſponderit. Alterius orationi locum dediſſe

disse minime par est, neglecta altera. Nemo nescit factiosos istos gesta sua ventitare, cùm ut sui reverentiam, terroremque circumferant, tùm ut securiùs, ac potentiùs eos atterant; quos toto conatu impetunt. Geminæ sunt in librâ lances, quas Justitia præfert, insigne Regibus documentum juri dicundo locum non esse, nisi utriusque partis rationibus æqua lance examinatis. Indicta causa leges reum volunt neminem: maximè si dicturus causam quis accedat judicii laqueis minime declinatis. Deorum est arcana occultare consilia, atque judicis, principum vero pronunciati juris causas exponere. Credis, sereniſſime, verborum pigmentis aures tuas non potuisse fascinari, neque falsis improborum aucupari rumoribus? attamen si aures accommodantur his solis qui præcoce accessu cæteris præeunt, tota gratia & authoritas penes impigros est. Auribus æquis nec in adversam partem propensioribus totam utriusque æmuli causam accipe.

Iniquis legibus parentis tuæ subjacere imperium Leuterius tibi suggerit. Atqui aberrare imprudens potest, teque parem inducere in errorem, & res secus ac sunt recensere. Id sibi fortassis arrogat, quod adversantem mendaciis suis circumspiciat neminem. Plus satis tibi probata Andropisti probitas est, quam ut singulari in cive virtuti aliquam fidem detrahas. Oppidò prodesit dicentem audivisse, & obesset forsitan piam supplici aurem denegasse. Unius Gallis singulare jus est præ cæteris gentibus adeundi sui Regis quoties velint, eo sub te Rege cavendum ne excidant Quam grande piaculum, si te insalutato Androp. remetiretur in patriam! Quæ mens Optimatum, quæ plebeia sententia foret, maximè cum in Gallia nemo sit qui hunc non amet, ac celebret?

Ea virtute, & constantia Gelanorus peroravit, ut Poliarchum ad colloquium Andropisti nullo negotio incli-

inclinaret. Ergo communi ſuffragio decretum eſt, ut poſtero mane Gelanorus hunc per poſticum, cui ſubjectus erat hortus, Regi ſiſteret, ne cui, vel videri, vel ſuſpicioni eſſe poſſet. Ipſe autem ementiretur ſe Adriatici maris mercatorem.

CAP. XI.

Ægre ferenti Argenidi quod regni motus ipſa celaretur, Poliarchus rem totam ſuggerit; ſed uti eam verborum fuco adulteratam à perfido Leucterio acceperat: ſimul & Arelatæ urbis recenſet initia, cunas, etymologiam.

INter orandum Argenis de regno non minus ſollicita, quàm impar cohibendis fletibus, non temperabat ſuſpiriis; ſed ea verbis interpolabat doloris ſenſum prodentibus, maximè quod ſe civiles Regni motus Poliarchus ſuus celaviſſet, jactans identidem, eum eſſe gradum ſuum, quem curarum conſortem eſſe deceat, non ſic eſſe imperitam, ut à reipublicæ curis excludatur; neque adeo in Poliarchum amore tepeſcere, ut quidquam fidei ſuæ detrahi debeat. Ad hæc Princeps pudore ſuffundi, ac ſanctiſſimum Argenidi ſuæ oſculum libare; & dolores tuos, inſit, feralibus nuntiis augendos non æquum putavi; quippe lugendo patruo tuo Bruttiorum, Lucanorumque Rege plus ſatis intenta eras. Quid porro aliud niſi duplicatos dolores conjunctio matris peperiſſet! ſed quoniam ea te cupido angit, de præcipuo rei cardine, uti ex ore Leucterii eam accepi, raptim te monebo.

Ad oſtium amnis, qui aliquot provincias noſtras interfluit Phocenſes Græciæ indigenæ olim urbem condidere, quam & nomen, & commercium, & Religio ſuper cæteras Imperii noſtri urbes evexere; ab aræ Dianæ iſthuc Epheſo latâ nomen Arelatæ ſortita eſt. Etenim Phocenſibus ſolum vertentibus oraculum factum placandi in templo Epheſino Deos Indigites. Ephe-

Epheſium appulſis Caſſandræ ſacerdoti Dianæ, ut ætate, ſic & pudicitia venerabili Dea præſcripſit, aliquas ut Deorum imagines cum altaris ſui particulâ in Gallias eodem navigio, unâ ſecum tranſmitteret.

Hic ubi matrona ſe exolvit trajecto mari Ionio, Ethruſco, & Liguſtico in Rhodanum ea navi devolvitur, moxque in continentem deſiliens, urbi condendæ idoneum locum ſignavit, & urbe conditâ ſanctius illa habuit nihil, quam ut Dianæ templum erigeret, cujus in adyto allata Epheſo aræ particula geminis columnis impoſita eſt. Caſſandra conſpirantibus omnium votis huic templo præficitur, unde tantus honos in illam inundavit, ut ex illo præter principes virgines ſuccedens ætas nullam initiaverit: Sicque factum ut ad Sororem meam Cyrthæam Sacerdotium iſtud deflueret ſucceſſu temporum.

Caſſandra freta autoritate illa quâ apud omnes valebat, immani cuidam Religioni initium fecit, quæ Religio tandiu viguit, donec rerum potitus pater meus infandum hunc morem antiquaret.

Porro ritus ipſe talis fuit: Nobilium Adoleſcentum nominibus in urnam miſſis, cuicunque ſors obtigiſſet, luce palam illius animâ litabatur, imo & in ipſis parentum oculis qui civili ſocietate deinceps reputabantur indigni, ſi vel leviſſimum doloris ſenſum iſtud ferale ſpectaculum ab eis expreſſiſſet. Impulſa vero parens noſtra à quodam arcanorum conſcio ſibi gratioſo in paucis, abominanda hæc ſacra inſtauravit. Multitudini ad religiones novas plus æquo cereæ, ac mobili id moris placuit: Verum optimus quiſque cruentos ritus execratus toto conatu Reginæ obſiſtebat. Tandem cum ingenui pueri ad aras, mactandæ victimæ, raperentur, Matri bellum indicitur. At illa cum Clitobulo Religionis, & nobilitatis omnis experte homine, ſed opibus & copiis præpotente iniqua ferire fœdera,

n, me quidem reputans naufragio miſerè perditum, vulgato rumori nimium credula.

Perculſus his fœderibus Autolycus verborum lenociniis primum, deinde peſte invaleſcente vi, armiſque impetum illum animi conſilio inopis cohibere voluit, & Reginam matrem ſervare donec totius negotii indicium mihi factum eſſet, ſiquidem evulgatam cladem meam adduci ille non potuit ut crederet. Hæc à Leucterio mihi credita ſunt quæ ſepelire ſilentio ſtatueram donec Regiis Manibus eſſet parentatum. Porro quid cauſæ fuit matri, abſente me civilibus tumultibus miſcendi Regni. An ejus imperiis unquam reſtiti? An non facultatem ducendæ conjugis honorifica legatione afflagitavi? Ecquando officio meo defui? Ergo audito Andropiſto incumbam navigationi, ut propediem patriâ ſalutatâ graſſantem factionem coërceam.

CAP. XII.

Archomb. belli conſilia init: Cogitanteque in Galliam Poliarcho, Gobrias cum copiis Poliarchi Siculum fretum invadit, & hoſtes ad Receſſum adigit, dum Archombrotus Lucanorum Bruttiorumque urbes occupat, ſibique ſubjicit. Inde in Epirotas ambo arma convertunt, incautoſque delent ne excepto quidem Rege. Qui plauſus! Reges gratulabundi obviam eunt: neque plura deſiderans Hyanibe reditum in Africam meditatur; Et Archomb. in Galliam.

His attonitam Argenidem urebat cupido ſciſcitandi plura, cum ſuccedens Archombrotus inſinuatum colloquium rupit, totâque veſperâ illis adhæſit belli conſilia ſimul agitans. Pigebat Poliarchum virtuti ſuæ repagulum objectum eſſe: neque enim illum oportebat in turbulentis regni rebus præter Galliæ ſuæ pacem, proximamque navigationem aliud quidquam cogitare, dum diutinum hoc bellum fore æſtimabat. Ergo Archombrotus Poliarcho author erat co-

pias ſuas traderet Gobriæ; etenim velut Achilli Patroclum; ita & ipſi vicariam opem præſtiturum.

Itaque quiſque armamenta comparare, Archombroti virtuti & felicitati confidere. Jamque frequenti milite arena fervebat, jam Princeps ſuperiorum facinorum gloria tumens ſpondebat victoriam, pugnamque optabat, cum claſſem hoſtilem, incautam illam, & ad tam cytos belli apparatus, poſt nuptias & funera attonitam ambo duces adoriuntur, & ad receſſum adigunt. Sed Gobrias dum fretum invadit unde hoſtes arceat, Archombrotus in continentem deſcendit, ubi adortis Indigenis Rhegium urbem in extremis Bruttiorum finibus non ignobilem furtim ingreditur; & ſtupore jam pene mutos cives occupat adeo ſine capite cætera membra trepidant. Is de ſe, ſuoque imperio bene ſperare jubet, indulgetque perduellibus ampliſſimam veniam, tributa minuit; ſuique reverentia, ac beneficio ſic omnes implet, ac demeretur, ut ex cæteris mitterentur civitatibus, qui ſupplices culpæ veniam deprecarentur: quibus Archomb. poſtquam perduellionis crimen condonavit, reliquit præſidia: pacatiſque Bruttiis, & Lucanis ſolvit è littore, & Gobriæ ſe applicuit, cui proſperum eventum armorum ſuorum, & promptiorem, majoremque omni ſpe victoriam nuntiat, utpote citra pulverem comparatam.

Gobrias poſtquam victori gratulabundus applauſit, mentem ſuam quæ juſtum in Epirotas bellum agitabat, Archombroto aperuit. Is quanquam nuptiarum, & meditatæ navigationis impatiens, conſiliis tamen æquiſſimis acquievit. Anſam enim bello Rex Epiri Alexander miniſtraverat, dum ſpe obtinendi imperii, auxiliares copias rebellibus Bruttiis tranſmiſerat. Itaque Archombrotus & Gobrias viribus adunatis invehuntur in hoſtes eo impetu, ut navibus hoſtilibus

Digitized by Google

ſtiſibus partim direptis, partim ſubmerſis facilis in Epirum deſcenſus eſſet. Epiri Rex Alexander, quo ſuſtineret tumultuarium hunc victorum impetum, hoſteſque ab acceſſu arceret, comparato ex Juventutis flore immenſo exercitu bis ibat obviam; ſed dum omnes illius conatus perfringit Gobrias, portumque invadit, Archombrotus cum parte copiarum portum alium ſubit, quatenus hoſtes eoſdem à tergo urgeret, quos à fronte Gobrias debellabat.

Strages Epirotarum ſic atrox utrimque fuit, ut pauci admodum ſupereſſent ſoſpites, qui poſſent victoris clementiam experiri. Cecidit ea in acie ipſe Alexander Epitotarum Rex, totaque natio conſternata in deditionem venit. Itaque relictis etiamnum ibi præſidiis, ambo victores in Siciliam transfretare præmiſſis ad Meleandrum tabellis de more laureatis. Qui plauſus! Meleander cum Hyanisbe, Poliarchus cum Argenide ad occurſum victoris procurrunt, gratulationibus utique & votis pleni. Et Meleander quidem vaticinium Aneroëſti quo Archombrotum de proximis Bruttiis, Lucaniſque, & Epiri littore triumphaturum ille prædixerat memoria repetens, & jam tandem impletum cernens fœlix pater, cùm divis, tùm ipſi Aneroëſto vati de ſuperis tam bene merito juſtas laudes impertiebat. Denique Hyempſalem ſuum Archombrotum, Regem Bruttiorum, Lucanorum, & Epirotarum jubet populari plauſu ſalutari. Inter eos plauſus hoc à Theandro decantatum epinicion non illiberaliter exceptum eſt.

Victor purpurea ſacrum caput exue penna
Quod lauri ſibi poſcit honos: jacuere rebelles.
Viciſti, tua Cadmea eſt Victoria, princeps;
Non mora viciſti, ſpoliiſque illuſtris opimis
Ecce redis. Jam plaude manu Trinacria tellus,
Bruttia legitimo Regi tua ſceptra repone;

Palmarique Duci florentia lilia plena
Funde manu, Regemque tuum jam ſponte ſalutans
Sudantem aurata frontem deterge corona.
Vota, Duces, iterate Diis, vos pectora turmæ
Solvite; Nectareos fundent jam ſecla liquores.
Et nunc templa Deûm plauſus, nunc omnis odores
Ara ferat, nullæ deerunt in fronte coronæ.
Omnes velleribus roſeis, & frondibus aras
Cingite, Rex venit, & vicit, ſub quo aurea vivent
Secula, & humanos cœtus Aſtræa reviſet.
O fortunati queis jam fœlicia nevit
Fata colus, redditque ſuum poſt funera Regem.
Sic Eoa ſibi volucris poſt fata ſuperſtes
Et pater, & proles generoſo è funere ſurgit,
Et fulvo cervix rutilat criſpata metallo.
Te claro genitore ſatum, ceu ſedula nutrix
Extulit alma Themis, rectique infudit amorem.
Progredere, ô invicte, tibi gens Bruttia pandit
Læta ſinum, accelera dejectis anchora rebus.

Hyanisbe maximè Divis ſe litaſſe putabat, dum eum, quem in ſpeciem prolis aluerat, ovantem intuebatur: Jamque votorum compos aliud nihil quam Africam revolvebat, cum obicem opponenti Meleándro Regina reſpondet; Regno à bellis vix reſpiranti principes abeſſe tuto non poſſe: Rectiùs per ſe Reges; quam per proceres regnum adminiſtrare. Inde imbecilliores eſſe provincias quæ uni capiti ſubditæ longo locorum intervallo diſtant. Addiditque, Princeps ſi populi amorem ambit, illius ærumnarum conſortem eſſe convenit, neque privatum commodum publico anteferre hunc oportet: alioqui nonne in vulgus jactabitur genio me indulgere dum ſubditus mihi populus priſtini belli laceſſitur incommodis? Et ſi quis eſt Princeps qui ſe popularem oſtendat, num ille iter ad ſolium ſibi ad meam, meorumque injuriam aperiet? Quapropter

iſtud

iſtud negotium nullius indiget conſilii; ſed & optima futura eſt navigatio, quæ maturior: ſat voluptatis à Diis impertitum mihi, tùm quòd par amantum ſtrictiſſimo conjunctum fœdere vidi, tùm quòd Hyempſalem meum tot nationum victorem, ac Regem complexa ſum: ad felicitatis abſolutæ cumulum, quid putem ſupereſſe?

Meleander obſtinatam ad reditum Reginæ mentem intelligens, ipſe ſeu officii ſpecie par redditurus pari, ſeu Aneroëſti vaticinio obtemperaturus, quo Meleandrum in Africam trajecturum prædixerat Hyanisbæ in Africam revertenti comes ire decernit. Quod conſilium quamvis à nemine ex aula probaretur, utpote Regis ſenectuti noxium; ipſe tamen Aneroëſti fretus oraculo omnia repagula fregit. At Archomb. ſuæ Cyrthææ deſiderio marcens navigationem ſuam in Gallias ſollicite adornabat, quam tamen rerum inſperatus eventus ad multos dies prorogavit.

CAP. XIII.

Andropiſtus Poliarcho ſiſtitur, & hunc ſua oratione conciliat primum; Deinde quærentes Poliarc. docet de motibus Galliæ quorum cauſam in unum refundit Antolycum, & conſilia ejus de extinguendo Poliarc. & ejuſdem artes explosas aperit.

INterea Gelanorus Poliarcho Andropiſtum ſiſtebat. Is advolutus Regis primum, deinde Argenidis pedibus, humaniſſimo oſculo utriuſque manus preſſit, ſuoque à dolore auſpicatus eſt: quod principis ſui pacem ferali nuncio libatum veniſſet: pro certo tamen habere, Reges cum in vulgus emineant, à quo eos ſors ſua ſecrevit, tam efficaci mentis oculo publicis negotiis incubare, ut eos non ſinat virtus ſua funeſtis rumoribus nimium quati: adorare ſe fortunam quæ vivum ac valentem offerret ſibi ſuum Principem: eam fuiſſe furioſis civibus temeritatem, ut eum de medio tollere

vellent, quem acerrimis defunctum periculis mitiora facta ſervaverant.

Poliarchus ſermonem occupans, bene ominare, mi Andropiſte, inſit, tu ſi in hoc noſtro communi, & totius Galliæ luctu, tempeſtivam ſuggeſſeris mihi medicinam, auſpicatò adſis. Verum ne meas aures inanibus ſermonibus vellica; Seria loquamur: age; mea mater cum Clitobulo contrahit: Regiæ præficitur Harpagus gratioſus in paucis matri: mea dividuntur ſpolia me nondum immolato: Unius Autolyci ferro corona mea ſtat: imperium meum exterorum prædæ patet, cui recuperando tantum inſudavimus. Euge, nunquid ita eſt Andropiſte?

Quali terrore ille percellitur ad cujus pedes fulmen decidit, talis ad hoc orationis fulmen Andropiſtum tempeſtas inundavit. Ut tandem miſſo frontis horrore ſibi conſtitit, non me fugit, Sereniſſime inquit, negotiorum ſummam non ſine aliquo mendacii, & perfidiæ fuco ad te delatam eſſe; certe non ab alio quam à Leucterio. Sed me movet imprimis quod gradu ſuo, tuaque familiaritate dignum exiſtimaveris hominem, qui tuam in perniciem conſpiravit, uti liquido mox tibi conſtabit.

Quantis furioſorum figmentis factiones adumbrantur, præteritarum calamitates ætatum pluſquam ſatis nobis ſuggerunt. Nebulones iſtos ad imperii totius incendium ſubjeciſſe faces, nemo ſanus inficiabitur. Non modo criminandi regiminis Reginæ matris, ſeu obicis ponendi veſtris Hymenæis; ſed evertendi penitus imperii ſibique, deinde vendicandi conſilium factioſis fuit. Hic porro ordo eſt, & totius rei ſeries.

Non te latet, Sereniſſime, quam inauditis viis æquitas Deorum ad Solium regium te provexit, quantùm parentis tuæ induſtria, pietaſque ſubducendæ lu-

pis

pis saluti tuæ insudavit; nulla spes tibi affulgeret imperii, nisi illâ incredibili clementiâ, & longanimitate suâ subditorum animos devinxisset, & admirandâ fortitudine, atque prudentia, objecto seditiosis prædonibus fræno, eorumque impetu coërcito, seditionum & turbarum incendium restinxisset. Domitis rebellibus unus adhuc Autolycus superfuit, Commindorigis digna soboles; hunc paris audaciæ æmulum, & clientelis præferocem Liguribus præfeceras, etiam plusquam par est, etiam eidem confidis ad tuam, regnique tui perniciem: Est enim illi, neque ibo inficias, acre ingenium, sagax, reconditum, per omnem artem expolitum, & instar Protei, aut Acheloi versatile. Is porro Autolycus tot beneficiis tuis demeritus, sed ambitiosi ingenii æstu ad majora semper aspirans, matris tuæ pudori, & quasi tyrannidi improbæ, ac imperitæ, ut jactabat, mulieris quàm sæpe illusit! quam sæpe multitudini plus justo credulæ persuasit, ex ganeonibus, discinctis nepotibus, ac parasitis conflatum esse Reginæ consilium, denique ex popularibus qui rem suam privatam publicæ rei præverterent. Harpagum vero supremæ potentiæ fastigium æmulâri, eamque familiaritatem fœminam principem dedecere: Reginam inter & Rætios fœdera intercedere: Clitobulum propediem ad fœdera coiturum ignaviæ, atque dedecori fore Gallis, si principis, & alienigenæ, & ab avitâ religione degeneris ditioni subjaceant. Igitur missâ Principe ad novi Regis inaugurationem appellendos animos esse, cum neque tibi vita, neque Cyrthææ sorori tuæ quidquam spei ad imperium supereſſet, nisi illa Autolyci connubiis cum hac filiâ principe contrahendis annueret.

Simul his varii rumores per regionem sparsi; ortumque est in plebe, & accensum dissidium factiosorum flabello, qui mordacibus satyris disseminatis in vulgus, multitudinem emollitam ad funesta adversus

Reginam consilia impulerunt. Hæc in ædes ad amœnitatis voluptatem in confluentibus Araris, & Rhodani decessetat, cum unus è conscìis emptus ab Harpago horrendam conjurationem aperuit. Consilium erat occupandæ principis filiæ, & Harpagi tanquam perversè consulentis Timandræ seu tradendi custodiæ, seu igne & aqua interdicendi. Deinde cura commissa exploratoribus qui te vivum ita circumvenirent, ut priusquam Halcidonis portum salutasses, ad insidias pone insulam adversam Phocensium coloniæ, te adigerent; ut prius fato ultimo traderere quam tuis. Aperta, & explosa conspiratione ad Reginam imperantem me confero, & à consilio cogendo hanc satis abduco, quod sit vero simile Autolycum conciliasse sibi viros, qui arcana consilia proderent.

Regina meam cœpit probare mentem, consertoque cum eo qui conjurationem prodiderat, sermone, tribunum capitalem mittere qui furtim illos apprehenderet, quos præsens Elenchus arguisset, eosdemque vinculis traderet. In regiam Autolycus arcessebatur. Sed ut ad suspicionem propensa est mens conscia sceleris, in Regina nihil fidum putat, donec perlata ad se conjuratorum captura, adumbratæ virtutis fucatam ostentationem solvit, & aperto Marte in Timandram invehitur.

At ille acri ardebat in Harpagum odio, imminentesque ferias prospiciens, quibus impuberum mactandorum mos erat solemnis, tam strenuè pontifices demeruit, ut ad sortem callidè jaciendam in prolem unicam Harpagi, fidem illorum astringeret. Jamque eâ authoritate audentior, priscos ritus impulsu Reginæ in desuetudinem abiisse conquerebatur: Et huic muneri addicti Pontifices suis illecebris ita plebem demulcebant, ut hæc emollita negotium impigrè urgeret, cum Regina, procereſque nascentes motus sedare se pos-

ſe poſſe rati, ſi quid plebis religioni deferrent, hanc diem juſſere pro more antiquo eos feriari. Dicta die ſortiri placuit; neque ſors in deſtinatam hoſtiam; ſed neſcio quo fato, vel potius Deorum conſilio in minorem Autolyci fratrem cecidit. Nec mora hic rapitur ad aras, & ſimulachro Martis vimine contexto inſuitur, atque igne ſubjecto flammis, fumoque infœlix puer obruitur.

Interim à fletibus, uti cavebat Lex, parentes temperabant quidem; ſed eorum præcordia obſeſſa furiis jam minas, & cædes anhelabant, ut eo cruore extinctæ prolis cineres luſtrarentur. Itaque ritu perſoluto, ex Harpagi ſententia ſortes eſſe miſſas, longe lateque diſſeminatur, ſacris nimirum à Tyranno rem adminiſtrante publicam, labefactatis: neminique tutò in aula eſſe poſſe. His in plebem evulgatis, explorari facinus Regina jubet, & verum à Pontificibus extorqueri; cocirca in urbe media conſilium cogitur. Confluente undique multitudine in ſuſpicionem adductus Pontifex non dati ſecundum profeſſæ religionis Sanctitatem reſponſi, & ipſe minis territus luce palam eſt confeſſus, ſe non ab Harpago, ſed ab Autolyco emptum fuiſſe: ignorare ſe tamen quonam fato nomen iſtud pueri immolati in urnam cecidiſſet.

Confeſtim in multitudine gravis exorta tempeſtas, quæ à partibus Autolyco ſtudentibus tanta arte ſedata eſt, nemo ut ſe domum reciperet, qui Autolyci fortunâ calamitosâ non percelleretur. At Tyrannus minimi pendens dolos ſuos in lucem veniſſe, in campum copias egit indies creſcentes ex innumeris ſeu offenſionis velo defectionem ſuam obtendentibus, ſeu metu adductis, ſeu donis, aut quovis promiſſo ſollicitatis. Verum ille dubitans de ſecundo armorum eventu, quamdiu ſtares, fortiſſime Rex, Leucterium una cum ſuo medico ad te delegandum eſſe duxit, tùm ut inhæ-

rentem in tuo pectore erga matrem penitus deleret obſervantiam, tùm ut in amicitiam tuam cautè ſubrepens venenum comparatum tibi propinaret. Quamobrem Autolycus patrui ſui morbum prætexens, quaſi hæreditati conſulturum Leucterium, in Corſicam inſulam mittere ſimulat: comitem vero adjungit ei medicum, qui tanquam ægroti morbum (ſi qua ſpes, ſi qua vis in arte ſupereſſet) validis medicamentis fugaret.

Atque hæc à nobis tandiu credita ſunt, donec Regina, portubus adhibitâ cuſtodiâ, ſolerter apprehendi vernam jubet, qui mentita ſorte habitu mercatoris iter ad Leucterium agitabat, uti ſatis liquet ex inſcriptis Leucterio codicillis, quorum erat bajulus. Has ego ad te, Rex, ſic imperante Regina defero, ut & perverſi hominis fraudes explodantur, & tibi matris tuæ in te, reque publica tuenda curæ, ſtudiaque comprobentur, dum tuo reditu excuſſis hiſce nebulis, horum fides, perfidia iſtorum tibi innoteſceret. Attamen doli Leucterii non aliunde quam mea virtute evincentur. Et hoc uno me beatum prædico, quod apud te reperi hanc orbis Gallici luem in Orcum detrudendam, ubi recipiat illam quam eſt meritus, potius quam in Corſica fictitiam, portionem.

CAP. XIV.

Excipit ubere fletu Argenis hunc ſermonem, quem Andropiſt. decernit ferro aſſerere. Admonitus de negotio medicus paratum Poliarcho pharmacum haurit. Procedit nihilominus ad Poliarc. Leucterius fidens animi, & depoſito cingulo ferrum ad pedes illius deponit, non utique reſumendum, niſi ad vindicandum objectum ſibi crimen. Ergo ſtadium deſtinatur quò populus confluit omnis.

TAm prolixæ orationi Argenis aſſiduis litabat fletibus in tanto Poliarchi, atque rerum diſcrimine; neque illa poteſt quin ſubjiciat, ferali ſe Galliæ vulnere lancinari non tàm propter erumpentes in eam tumultus,

tus, quàm quod tam tætrorum ferax monſtrorum eſſet, quæ violentiùs hydrâ Lerneâ Herculi Gallico inſultarent. Quibus adjicit Gelanorus, turbulenta ingenia à regni adminiſtratione procul eſſe arcenda, quod novandis quam gerendis rebus aptiora ſint, cocirca Poliarchum Autolyco non eam authoritatem in Gallos, & Ligures, quæ hominem hunc impotentem ſupra humanum faſtigum extuliſſet, concedere, non ei confidere tantùm debuiſſe. Mox argumentum uſu confirmans protulit in exemplum mutationes Græcorum, Celtogallorum vero ſtabile imperium, illorum qui ſolent dicere ſicum ſicum, * & ſcapham ſcapham. Sapientis eſt ingeniorum delectum habere, & pro ſua quemque dote, ac indole ad regni munia excitare: non enim ex omni ligno fit Mercurius; pares negotiis neque ſupra aut infra eſſe oportet. Itaque fide, ſed vide; utrumque vitio eſt, & omnibus credere, & nulli: nimia principis fides aditum ad dolos, ad inſidias, ad conjurationes perfidis aperit.

Hæc abrumpens Poliarchus Andropiſtum rogavit, num hos de Leucterio ſermones poſſet aſſerere? Et ille, id ſe ferre poſſe. Ergo Leucterium accerſit. Qui autem ad limen excubabat miles, is medici germanus erat, ad tam ſubitos ac frequentes Andropiſti ingreſſus obſtupeſcens, Autolyci medico negotium aperuit: Quamobrem ille conſcio metu illico ex Sicilia ſolvere cum Leucterio ſtatuit. Jamque proximæ navigationi ſe accingebat, cum Regem adire juſſus eſt Leucterius uno comite medico, Quod iſto prorogante, ille cui provincia facta fuerat accerſendi Leucterii, audivit ejuſdem Leuctorii navigium adornari.

Itaque Gelanorus cum prætorianis aliquot proceſſit ad Leucterium apprehendendum cum medico. Et alterum quidem ex animi ſententia cecidit. Verum ubi

* Τὴν σίκυν σίκυν, τὴν σκάφην σκάφην.

ubi in Medici thalamum iter fuit, obſtitit obex, adeò ut aſſulatim fores comminui opus eſſet. His patefactis Gelanorus converſis parietem inter, & lectum oculis, ad protervum medicum tota corporis mole ſupinum, & hauſti veneni quod Poliarcho paraverat cedentem virtuti obtorpuit primum, deinde maturato greſſu necis violentæ cauſam rogavit. Sed jam præcordia peſtis invaſerat, ſicque oppreſſerat perditum vox ut nulla reliqua eſſet, niſi quâ Regem de veniâ ſupplicaret; nec mora ſingultus fauces præcluſit. Quotquot aderant cum Gelanoro ad horrendam hanc tragœdiam defixi ſunt. Sed vocem ille premere cunctos juſſit tandiu donec Regi Leucterium ſiſteret, qui jam audentior proceſſit ad Regem cum ſupercilio, & animis ad negandum crimen obſtinatis, ſi forte Regem negotium latuiſſet. Leucterius igitur ſublatis in cœlum, & in Poliarch. oculis, vel Deos, Regemque innocentiæ ſuæ teſtes vocare, vel ob inuſtam ſuo nomini tam atrocem notam ingenti tumultu concuti videbatur, & paucis quidem ad removendum crimen, ſed iis validis argumentis peroravit; deinde ſupplicatis Poliarcho, & Argenide, ne fidei ſuæ propter jactatas in ſe contumelias quidpiam detrahant, cingulum ſolvit, atque ad pedes Principis ferrum pro more depoſuit, non ultra tollendum niſi ad abſtergendam impoſitam ſuæ fronti labem.

Faxint Dii, reponit Andropiſtus, uti ſuis purgationibus innocentiam meam iſte laceſſit, ſic ego ſcelerum ejus veritatem mea virtute poſſim aſſerere, & confeſſionem facti ex ejus vulneribus exprimere: per te liceat, Sereniſſime, perfido iſti ferrum tollere, & Equitis munere iterum fungi, quatenus execranda facinora ſua proprio cruore eluat. Annuit Poliarc. atque haud mora, de monomachia monitos proceres voluit; quare ad Herculeam portam palæſtra conſtituta eſt. Is rumor-

Digitized by Google

mor totos mox pervaſit fines Siciliæ, & dicta die ſpectatrix multitudo confluxit.

CAP. XV.

Andropiſtus, & Leucterius in ſingulare certamen deſcendunt. Ille ſtadii victor confeſſionem facti ab æmulo expirabundo extorquet. Qui plauſus! Diem reliquam communis lætitiæ argumenta abſumunt. Sed Poliarchi conſtantiam curæ de reditu ſuo ſollicitant.

IAm Andropiſtus ſe juſtis armis ad pugnam accingebat, jam expeditus in equo, & idoneo cultu inſtructus curſu citato in catadromum pene abripiebatur, ubi mentitâ animi conſtantiâ Leucterius æmulum operiebatur. Acribus igitur accenſus odiis Andropiſtus dato ſigno factâque certaminis copiâ, admotis calcaribus equum in hoſtem concitat: mox adducto galeæ præropio & inſerta in moram haſta arietat, ferrumque adigens in pectus æmuli, hunc ſine mora ſolo æquat: quanquam & ipſe incautus per defectum loricæ reciperet ferrum, quod cutem libavit. Ad proprii cruoris aſpectum haud ſecius quam Taurus ita exarſit Androp. ut equo deſiliens adverſus hoſtem exanimem nudo enſe baccharetur, ejuſque latus tandem hauriret: Attamen expiranti omnia conſilia conjurationis nuda confeſſione extorſit, donec extrema verba juſta mors præcluderet. In eum autem adoleſcens, qui è litterario pulvere tunc primùm erumpebat, extemporaneo carmine ita luſit.

Non jam cruentat ſanguine Buzyris
Aras Tonantis, non ſtabulum Geta:
Culpæque vindex haud inultum
Deſeruit Nemeſis ſceleſtum.

Quamvis Tonantis lenta ſubit manus
Ultrix, inultumque ſcelus haſtenus
Audivit ætas? Nempe tardo
Pœna gradu ſequitur rebelles.

Sci-

Scimus Gigantes Centimanos polo
Repsisse; Scimus Terrigenas Jovis
Ultrice dextra olim retortos
Tænarium miseros in antrum.

Scimus quòd ultor Juppiter impios
Justo Tyrannos fulmine perculit:
Nam perspicaces hìc ocellos
Fortiùs ut feriat, recludit.

Tu summe Rector, fulmine vindicâ
Mulctas rebelles: axeque dejicis
Pravè occupato, dum Tyrannis
Immeritas adimis coronas.

Factoris orbis tunc micat æquitas
Cum bellicosos concitat Hercules,
Qui monstra cædant, & rebelles
Lethiferis feriant sagittis.

Nigro Tyrannum te genuit die
Quæcunque vitæ principium tibi
Donavit in nostri ruinam
Imperii, opprobriumque gentis.

Sed fulminantis justa Jovis manus
Nunc, ô rebellis, pestis ô Imperi,
Te, cum Gygameis catervis
In Stygiis cruciabit antris

Vix credi potest quo impetu Poliarchus in collum sui, & suæ matris vindicis irruperit, quos plausus in cœtu excitarit, quot laudum titulis nomen Andropisti adauxerit, quanquam vix aliud nomen fidem ejus veriùs designarit, quam præfagum illud à cunis impositum. Andropisto impertitas laudes non modò principes, verum etiam confusa plebs sic excepit, ut prætervolantes aves clamor ille inconditus à volatu deterreret.

Inde

Inde in aulam ſeceſſum, ubi torus, & epulæ Andropiſto quaſi attrito de certamine comparantur, ipſe ſuam iterum induſtriam, & vigorem membrorum oſtentaturus, in aream cum provectus eſſet, in varios curſus, ac recurſus equum ſuum egit, modo multiplices orbes expediendo, modo effuſo curſu hunc in arenam concitando; denique è ſtadio equum ſtimulans in armatam effigiem, quæ in extrema arena inſtar metæ aſſurgebat, tanto impetu fariſſam contorſit, ut ſimulachrum è ſitu deturbaret, obtuſa tamen ad ſaxeam molem fariſſa. Nemo extitit in eo cœtu qui ad vigorem indomitum lacertorum in Athleta, quem omnes attritum labore certaminis æſtimabant, non plurimùm defigeretur. Sed inſtructæ cibis regiis menſæ equeſtris velitationis finem fecere. Quod reliquum lucis fuit, lætitia convivalis, & varii ſermones abſumpſere, ſed Poliarchum curæ graviores, & deſideria reditus. Cunctas nationes, inſit, populus, aut primores, aut ſinguli regunt, & ubi nullus eſt gubernator, populus corruet: nullum enim eſt animal majori quam homo arte tra-

ctandum. Quare non eſſem immunis à culpa ex quo regni clavum reliqui, niſi me Argenis mea omni imperio portior natale ſolum vertere adegiſſet, nunc maturandus eſt reditus.

CAP. XVI.

Timoclea Poliarchum cupiens in Sicilia remorari, cujuſdam Hermogenis fabulam narrat, qui quod ſe facilius ſalutemque ſuam ſuis credidiſſet, vitam cum imperio perdidit.

TImoclea convivantibus aderat, quæ ut Poliarchum in Sicilia diutius detineret, hunc cœpit fabulâ non vulgari à reditu ſuo deterrere, quæ ſoluto convivio minimè ſoluta eſt. Nondum ex arenoſis Lybiæ terris Oceani aquæ receſſerant, nondum diviſi ab ſeſe mirabili divortio prærupti montes, & in fretum pro-

procurrentes Calpe, & Abyla, Oceani fluctibus copiam irrumpendi fecerant. Nondum erat illud Herculeum mare quod Europam ab Africa dirimit, cum illæ ſubjectæ convalles, propter uberes liberalis naturæ divitias, Elyſium dictæ, deſiderium ſui omnibus accendebant. Ibi fortaſſe fuere & celebrati illi horti Adonidis, neque ita procul pretioſa Heſperidum pometa, quæ auro ſuo non unum Perſeum demulcebant.

Hac ætate aurea imperabat in felicibus hiſce vallibus princeps, quem in primis annis amavit fortuna, ſequentibus verò deſtituit: Hermogenes dicebatur. Hujus felicitati vicinia diu inviderat, maximè Summanus Iſidis frater minimus, cui cum in provinciarum ſorte cecidiſſet viliſſima ſitu, ſterilibus montibus impedita, flammarum volumina cum Ætnâ & Veſuvio evomentibus, importuna vallium paludibus, quanquam aurifodinis ditiſſima (hodie inferum mare dicunt) non ceſſabat apud fratres de ſua hac ſorte conqueri, imprimis quod ne conjugem quidem inveniret, quæ in hac ingrata plaga ſibi ſocia genialis thori vellet eſſe, niſi ad raptum mentem converteret. Applauſere fratres conſilio, neque recuſavit Summano promiſſam jam olim Perſephonem ſuam ex inceſtuoſo conceptam concubitu maximus natus Iſis, quem Jovem dixit Religio poſterorum. Porrigit aurem ad nuptias tandiu concupitas Summanus, & occaſione capta abſentiæ Cereris irrumpit in campos Enneos, unde Perſephonem, dum illa inter virgines animi cauſa remittendi deambularet floreſque legeret, diu ac fruſtra reluctantem abducit.

Hæc poſt tot curas ſollicitæ matris reperta, tamen à Cerere matre adduci non potuit. Cum autem tæderet Perſephonem iſtius plagæ, quæ horrebat ſterilibus jugis, cænoſiſque paludibus, à patre obtinuit, ſibi ut liceret alterno ſemeſtri in florentibus Ennæ campis di-

ver-

verſari; tùm ſe hybernis diebus apud Avernum receſſuram promittens: quod Summani Regnum ab Averno lacu ditionis illius clauſtra ab ortu deſcribente nomen ſortitum eſt. Populi iſti, Inferi dicti, ad diſcrimen Orientalium qui & ipſi Superi appellati ſunt, (& nunc eſt Superum mare) in ſubterraneis locis habitantes, & per cuniculos commeare ſoliti toto die latebant, noctu emergebant ad prædam, quanquam alioqui ex metallorum effoſſione victum etiam quærerent. Juxta Avernum lacum ſurgunt ſacra nemora, unde poſtmodum Æneas ramum aureum (viſcum magis manibus ſacrum dixerim) dignum Perſephonæ donum avulſiſſe fingitur. Illic & fontibus ſuus horror fuit, quorum in unum ſi canis immergatur, exanimis computreſcit, ſi extrahitur, illicò reviviſcit.

Hoc imperium quod Inferum mare nondum erat, perpetuo montium dorſo frequentiqne palude munitum uſque ad Pyrenæos porrigebatur; ingreſſu vix aliunde patente quam per Avernum lacum, qui grandævi vectoris (Charontem appellabant) cymba trajiciebatur. Ea porro eſt hujuſce lacus graveolentia, ut corrupto cœli tractu prætervolantes aves enecet. Conſtat enim *illum olim à populis dictum Styga nomine verſo.* Lacus iſte ſubjectum eſt immani antro vatis Cumeæ, quod Religionem ſubeuntibus ingerit, dum ſuffragante erroribus natura loci, ad Inferos aditum aperit. Vaſti illi receſſus fertilem agrum ſuſpendunt; & inter caducitatem veteris Saxi uberes aquæ volvuntur, quas gramen lento ſtrepitu, deinde ex lapide ingens Crater excipit ad potum & balneum Sibyllæ illius quæ ſua quemque fata prædocebat. Clamantium vox in hoc antro centies repercuſſa ſtuporem novum addit.

Orientalem, Auſtralemque plagam (quæ jam Creta, Cyprus & Ægyptus eſt) continuo ſolo, nulliſque

fluctibus intermediis obtinebat Iſis uſque ad ſinum Erithræum, cui & toti adjacenti Oceano Ageſilaus (vulgò Neptunus) præſidebat Iſidis Summanique frater: Campos vero Enneos Cereri ſuæ reliquerat Iſis. Ab his finibus ad Calpen & Abylam longe lateque porrectam regionem obtinebat Hermogenes; hanc ad Boream Summani Regni limites, ad Auſtrum Atlas & alii montes, quos ob æqualitatem & continuitatem Septem fratres appellavere, diſterminant. Ibi colles ad amœnitatem, ſalubritatemque aſſurgebant molliter, & convalles non ingratè ſubſidebant. Nullæ nubes unquam aſperabant cœlum, bruma nulla extinguebat ſegetes, nullus æſtus decoquebat; ſed purus & incorruptus aëris tractus incolas alebat genio loci & fortuna ſua dignos: Hinc ignotus poëta tam fœlices campos in hunc modum deſcripſerat.

Sunt latices, multuſque fluit per gramina rivus,
Sylva coronat aquas, ſinuoſaque littora cingit:
Fert calamos non culta ſeges: nam frugibus agros
Veſtit flava Ceres largas ſine ſemine meſſes
Indigenis ferens: Incultos Flora colono
Gaudet odoratis diſtinguere floribus agros;
Ipſa nec amiſſos unquam Dea luget honores
Nuſquam ſylva comas, nec tellus gramina ponit;
Fœlices recreat Cœli clementia terras,
Quas lenes afflant Zephyri. Quis amœna vireta
Fortunatorum nemorum, ſedeſque beatas,
Non putet Elyſii, quando hic paſſim omnia rident.

Ibi & bonarum artium vigebat commercium, & abſtruſiſſima quæque, in naturæ majeſtate recondita evulgabantur. Tantæ felicitatis aſſertor erat Princeps Hermogenes, qui æmulos Vitæ, atque Doctrinæ omnes ad virtutem, & ſcientiam accendebat. Natus erat ad orbis illius ornamentum; neque Vita functus eſt niſi ad totius regionis iſtius excidium. Poſtremus iſte

Digitized by Google

iſte Elyſii Princeps Deucalioneum, hoc eſt Europeum cataclyſmum haud multum anteceſſerat, qui montes ſibi cohærentes Calpen & Abylam ab invicem ita diſcrevit, ut ex illa ætate perennes aquæ plagas illas inundarint, penituſque ſubmerſerint, quod indefeſſo labore Alcides abſolvit, concinnatis illis montibus, quos antiquitas Herculis columnas appellavit. Hermogenes provectus ad ſolium non Philoſophiam excuſſit cum pallio, ſed in exemplum omnis virtutis & ſapientiæ ſuffecturus, non in contrarios ſuæ felicitatis vitio unquam degeneravit affectus, ſed ſive ignoratione populi non ſemper commoda ſua ſentientis, ſive Magnarum ambitu regium nomen ſæpe afflictum, ſæpe ingenti clade everſum eſt.

Nam Perſephone ex ridentibus Ennæ pratis vix regreſſa, & Summani regiam indignata conjugi aſſerit voce ad fidem compoſita, niſi ipſe ſecum ſolum verteret ſibi moleſtiſſimum, fore ut ipſa ſe & Viro, & regno ſuffuretur. Inexpectata dicentis oratio Summani mentem multiplici timore confudit, quemadmodum enim voluptas nulla ei potior erat Perſephonæ ſuæ conſuetudine: ita diſſidium ab ea, vel minimum ferendo vix par eſſe poterat. Quare ille averſum conjugis animum quibus poteſt blanditiis delinire: Sed incaſſum apud ſurdas aures obſtinatæ. Quid faciat? hæc novum ſuggerit conjugi conſilium, diſturbandi nimirum è regno Iſidis, ſoliique occupandi. Ad hanc ſententiam Summanus riget & aures occludit: Alteri tamen conſilio animum aperit, invadendi ſcilicet Elyſii. At quibus armis expugnari regnum poſſit, quod impervium eſt, utpote continuo montium præruptorum dorſo vallatum, ac potens excubiis? Plutus Summani unicus ſummam rei credi ſibi poſtulat, ſperabat quippe multo auro emptis excubiis ſolertiùs quàm in Acriſii turrim quondam Jovem, penetraturum ſe in campos E-

Digitized by Google

lysios: Quare hic solitis armis, atque insidiis victoriæ quasi præludebat. Etenim animo sedet majorem natu filiam Hermogenis tùm aureis molibus, tùm spe imperii nuptiarumque emercari. Phlipsis natu minor sic stat à patre Hermogene; nullis ut præmiis ab illo possit abduci. Ergo Rex ab ea conjurationis summam accipit. Is ratus emptos quoque purpuratos à se desciviſſe, ad natum ultra Pyrenæos imperantem divertit, dum Plutus nondum assertum sibi regnum hoc Regis secessu intelligens, nec eo superstite diuturna sceptra patri suo Summano esse posse, cum Eugenia de ultimo Regis fato decernit, & quoniam in absentem sævire non licebat, Rex quasi ad repetendum clavum ficta pietate revocatur. Hoc reditu Plutus & Eugenia jam ferociores purpuratorum, & eorum quos aversos à Monarchia, notaverant, concilium cogunt, accenduntque ad Regicidium, & quoniam occulta facinora plerumque sunt invisa, emuntur iniqui testes, qui Tyrannidem Regi objiciant. Pronunciatur supplicium capitis, & regis majestas majestatis rea ferali periodo totam scenam claudit. Tum Plutus rei bene gestæ Summanum patrem per expeditum equitem admonet. Ergo Summanus & ipse Dis & Samotes appellatus, conjuge Persephone comite, campos beatos ingredi, & solium invadere sancitis Regis sanguine Plutum inter & Eugeniam novis fœderibus, obsirmato Ditem inter & Persephonem conjugio.

Ad hanc Timocleæ stupendam fabulam, tametsi cæteri pene rigerent, tamen Poliarchus obstinatus ad reditum consilium mutare noluit, nedum Archombrotus ipse, Cyrthææ suæ, cujus effigiem gemmatam à Poliarcho paulo ante dono acceperat, impotenti desiderio percitus. Atque in eam effigiem poëta ita ludentem Archomb. induxit.

Quis

Digitized by Google

Quis face ſuccendit flagrantia lumina? vel quis
Lethifera hoc vultu ſpicula condit? Amor.
Lactea quis niveo decoravit colla nitore?
Aut quis purpureo labra rubore? Venus.
Cyrthæa quoties perluſtro lumine crines,
Implicitum nectunt aurea vincla animum.
Aſſiduè creſcit frontis decor, atque recurſa
Quo magis illa mihi eſt, hoc magis illa placet,
Non animus capit hanc, non hanc manus exprimet ulla:
Spectanti Virgo pulchior una redit.

ARCHOMBROTI ET CYRTHÆÆ
SIVE
SECUNDÆ PARTIS
ARGENIDIS
LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

ARGUMENTUM.

Victor de Leuctrio Andropistus narrat somnium de cæsis à se Tygribus, quod in Siciliam navigranti sibi obtigerat. Author est Argenis cogendi concilii, quo Gallia succurratur. Auspicatur Aneroestus, & sedandorum motuum modum docet. Andropistus vero Philosophorum loquacitatem comprimendam putat. Is à Poliarc. ad Timandram remittitur, cui creditur summa rerum. Argenis vero thecam horariam ad Cyrtheam pretiosum munus mittit.

HEsterno in congressu ampliorem laudem nemo retulit, quam Andropistus, qui de æmulo victor armis suis profligato triumphabat; & somnium in mentem revocans, quod in Siciliam adnaviganti obtigerat, tygresque à se seu domitas, seu fugatas esse intelligens, somnii totius seriem principes sibi plaudentes edocuit. Argenis tam aperto discrimini Poliarc. sui caput subductum esse gestiebat: jamque de Galliis sollicita Author imprimis Regi fuit cogendi concilii, ut priusquam Leuctrii clades ominosum quid attulisset, motibus publicis præcaveret.

Coëunte igitur cœtu Aneroestus exorsus est ab cladibus quas publicis rebus factiones adsciscunt; eas nimirum prudenti consilio esse pervertendas: sin invalescunt, amuletis aptissimis esse grassanti pesti succurren-

Digitized by Google

rendum. Estò, Tyranni æstiment civili tumultu solidiorem fore Rempublicam. At viribus tum deficiet, cum mutuis cives dissidiis ardebunt. Neque ullum est deterius imperium, quam quod incendii sui nutrimenta fovet. Optimus Princeps hoc magis mala tanta declinet, quo hunc aureum esse orbis sui nexum existimat civium suorum concordiam; quam ut servet, nullam non navare debet operam. Quemadmodum enim sævissimæ quæque procellæ tenuissimo terræ halitu sursum erumpente excitantur; ita & civiles motus ex re minima solent otiri. Ergo seu pigmento verborum, seu aperto marte restinguendum est incendium, priusquam sæviat scintilla vel leviſſima excitatum. Ferro inquam, & plusquam æmula ferocitate censeo in eos agendum, etiam cum rebellantium detrimento, ubi benignitas cœpit esse vilis. Si per urbem flamma grassatur, non fastuosis parcitur ædibus, ne longius serpat contagio. Membrum male affectum præstat rescindi, quam irrepenti labi totius corporis copiam facere, uni membro ferro salutari neglecto. Irrita, atque vilia perduellibus fuere parentis tuæ lenocinia. Ergo aperto marte, & publico factiosorum supplicio subveniendum tumultibus, ut cum hi signa sustulerint, nulla spes imposterum aliis affulgeat factiosis.

Verum quò arctior est conjurationis tam atrocis nervus, eo publicæ rei pernicioſior, cum fœdus omne, omnemque præcludat amicitiam. Conscia mens scelerum spem omnem fœderum abjicit. Quemadmodum ergo è phalangio tacti ex ancipiti morbo nunquam convalescent, nisi Cythariſta, vel tibicen variis modulis cecinerit, quorum ad legem exultabundi maximo nisu in gestus, saltusque erumpant, non aliter subditis facibus accensa plebe, principem jure suo tantillum decedere, & multitudini assentiri oportet, quam

ad ſuas deinde leges pelliciat. Neque eſt facilius plebi concitatæ repagulum objici, quam torrenti per abrupta lapſu præcipiti devoluto. Par eſt in exercendis contra cives viribus periculum, niſi de victoria planè conſtiterit; quæ ſi inclinarit ad ſubditos, quia ambigit utrum pacis leges dicturi ſint? Et quanquam fuerit Mars communis, niſi conſiliis eventus reſponderit, erit ſuis deſpicatui Princeps, hoſtibus ludibrio.

Itaque obſtandum principiis, & ſævienti multitudini opponendum ferrum: nam ſi mora nectitur, invaleſcente factione ad conditiones pacis ſubditi vix deſcendent; cum mora det vires. Porro civiles motus nonnunquam tales ſunt, ut Principi obſit plurimum ad pacem ſollicitare ſubditos, maximè ſi quis ex optimatibus contribuit ſe rebellibus. Si ſtatim atque tumultus domeſtici conſilia Regi patuerint, Autor motuum illorum corripiatur, validiſſimus obex conatibus factioſorum objicietur. Regis pietati reputabitur nullum hic locum pietati reliquiſſe; alias liceat cedere pietati. Si unum diſſidii caput reſcindatur, cætera in tuto ſunt: quæ autem furioſo inferri poteſt injuſta nex? Itaque nullum conſilium ſalubrius puto, quam ut Autolycus comprehendatur. Ejus periculo cavebunt ſibi cæteri, & ſine capite membra conjurationis trepidabunt. Neque mora plebs ad reverentiam majeſtatis ſe recipict. Hactenus Aneroeſtus.

Tunc viſum eſt Andropiſto intemperantem Philoſophorum loquacitatem eſſe premendam, cum illi ad arbitrium flectant voluntates. Nulla res, inquit, tam potens in animos imperium exercet quam licentia perorandi. Neque ea eſt Regum potentia & authoritas, quæ ſolet eſſe Oratorum. Hi languentes excitant animos, domant, & cohibent ſævientes, atque adquamcunque partem voluerint mentes captivas deflectunt; quod Eloquentiæ pace dixerim, cujus abuſus tan-

tantum damnatur: Etenim illa quod torvum eſt, hoc rectum efficit; quod rectum, hoc torvum: quod Elephas eſt, Muſcam; quod Muſca, Elephantem. Anceps gladius quo civis furioſus rempublicam vulnerat, quo bonus protegit oppugnatam. Quemadmodum Eloquentia flexanimi ſui oris illecebra mendacium abigit, ut intrudat veritatem; ita nonnuquam eodem fuco verborum veritatem removet, ut det locum mendacio. Ignis eſt Eloquentia, qui ruptis obicibus lucem affert quidem, & errorum diſpeſcit tenebras; ſed ſua virtute non raro abutitur ad ſcelus; unde fit ut confertum oleo vaſculum Eloquentia lævâ prægeſtet; dextrâ vero aquam præferat, ut hâc deceptæ mentis labem poſſit abſtergere; illo vitiare, ac fœdare mores optimos, & factioſorum conſilia iniquo virtutis fuco adumbrare. Cavendum ergo ne multitudo plus æquo facilis hoc lenocinantium verborum faſcino deludatur. Tuum eſt, Poliarche, tuam, matriſque tuæ ſalutem curare.

Ubi captatis ſententiis abunde animadverſum eſt, quid opus facto, Poliarchus Andropiſtum ad matrem remittit, regni clavum ſub Reginæ auſpiciis eidem committens, ut cum Princeps reverſus in Patriam fuerit, ſedatam hanc procellam eſſe gaudeat: Si ſecus propediem adfuturum docet, ut pullulantis Hydræ ſeditionum reliquias clava pluſquam Herculea Diti, Furiiſque mactet.

Argenis ut animum ſuum in Cyrthæam aperiret, & ceram exaravit amoris æterni obſidem, & pretioſo munere, per internuntium Andropiſtum illam donavit. Theca erat horarum index, auro, gemmiſque interſtincta, ſed tanta arte cuſa, ut materiem ſuperaret opus. Etenim in illa quæque Sydera ſuo defixa cœlo vibrabant gemmarum lumine diſpari, inter quæ emicabant violentius duæ illæ faces, quarum altera proprio

motu annum, alieno vero diem efficit: altera annum breviorem vertit, hoc eſt menſem. Porro hoc artis ſpecimen horas Solis, Cœlique filias juſto diſpenſatas intervallo, nexis invicem rotulis ſic diſtiguebat, ut in partes duodecim diem perpetua quadam motus perennitate illæ dividerent: nam hoc artis miraculum tenui quadam manucla, uti orbes cœleſtes intelligentiâ, movebatur.

CAP. II.

Archomb. accingit ſe ad proximam in Gallias navigationem una cum Andropiſto, ac Timonide Appulſis Maſſilias Andropiſtus maris erroribus ager, hauſtis de Autolyco rumoribus Author eſt Archombroto Arelatam ut ipſe præeat in privato habitu. Sed hic dum inter dumeta pergit iter, ad humanam vocem è ſpecu prodeuntem cohorreſcit.

OPolbalſama ſi vel extremis digitorum articulis delibantur, unguento ſuo totas ſtatim manus imbuunt. In procinctu ſolvendi Andropiſtus erat, & deferendi Siciliam, quam tantillo hoc intervallo virtutum haud vulgarium fragantiâ perfuderat, & victoriæ de Leucterio inſigniter reportatæ famâ nunquam interiturâ impleverat. Archombrotum jamdudum impatientem Amoris Cyrthææ ſuæ, cujus dotes toties celebratas audierat, capta anſa in Gallias cum Andropiſto navigandi ingens deſiderium inceſſerat. Sic æſtuantem præter Meleandri regreſſum ex Africa, nihil remorabatur. Verum Poliarchus ipſe vix diutius hic hærere ſuſtinebat: tantumnodo leviſſimæ febris, quæ pelagi impatientem Argenidem fecerat, exitum expectabat. Non poterat tamen abſente Meleandro Sicilia utroque deſtitui. Itaque Archombrotus Poliarchum rogat ſibi ipſi præire liceat, dum reducem Meleandrum Sicilia videat, cujus reditus vix diuturnior quam febris Argenidis futurus ſit.

Et quanquam Poliarchum pigeret prolixiorem in Si ci-

Sicilia moram nectere, atque in patria diutiùs desiderari, impotens tamen amoris ab Argenide removeri non tulit. Quæ causa fuit Archombroti votis liberalius obsequendi, modo ut Andropistus commissæ sibi provinciæ ac fidei, atque adeo nominis sui meminisset, sæpiusque amplexatum illum dimisit.

Dicta die è Syracusano portu Archombrotus & Andropistus litatò solvunt paucis assumptis ad societatem itineris; pleniſque velis circumlustratâ Sicilia, relictisque ad dextram promontoriis Pachino atque Lilybæo, quasi utribus Ulyssèis impulsi, Thyrrenum mare transfretant, mox Antibas appellunt, inde ad Galliæ confinia flectunt, non tamen absque salutis discrimine. Vix salutato portu Andropistus navigii erroribus æger, ultra Massilias pergressurum se negat donec convaluisset. Captat interim uterque sparsos in vulgus rumores, atque Autolyci factione ferocis consilia, Archombroto ad Cyrthæam suam aspiranti, & de sparsis rumoribus nimiùm quantùm sollicito diutinum hoc Andropisti hospitium videbatur, Regiamque petere urbem in animum inducebat suum. Quamobrem Andropistus ineluctabilem animum illius advertens author est, relictis secum vernaculis, mentito habitu, & omissa fortunæ suæ mole, uno Timonide ad comitatum adjuncto, Arelatam, ubi Cyrthæam cum matre diversari fama erat, pernici vectus equo rectà contenderet, se postquam meliusculè haberet, propediem mutata quoque sorte, ut sperabat, affuturum.

Probatis Archombroto Andropisti consiliis, in habitu ac incessu privati hominis per invia sic incedit, nemo ut sit qui principem hunc esse suspicetur. Attamen dum per dumeta non procul à Regia prosequitur iter, intercluſi gemitus illius ad aures allabuntur: vocem tamen suam crebri verticis flexibus, & concavis finibus hujus vallis repercussam ptimum credidit, suam enim Cyr-

Digitized by Google

Cyrthæam amore amens aſſiduo gemitu proſequebatur. vicemque illius, ſi ſparſi rumores certi ſunt, anxius dolebat. Deinde ſtudioſius perſcrutanti humanæ ſpecies loquelæ non repercuſſæ, ſed veræ viſa eſt, quæ ad monſtri novi expectationem attonitum Juvenis animum ſubitò comparavit. Ergo tacito greſſu, poſtquam pone ſequenti Timonidi equum regendum commiſiſſet, dumeta obambulans ad ſpecus oſtium, haud ſecius quam ad Cerberi aditum, aut Trophonii antrum cohorruit, porrexit utramque aurem verbaque hæc ultima intermiſſa ſuſpiriis, ex ore quaſi muliebri pronus excepit, quæ ipſe ille hoc deinde carmine donari à Theandro voluit:

Ergone ſacrilegi feralis præda Tyranni
Semper ero, ſemper trucibus data præda moloſſis?
Mœſta ſuos flebit violatos Gallia ritus,
Graſſari immitem paſſim ſpectabit Erynnim,
Hanc agere alternas cædes, & ſanguine fratrum
Fœderibus ruptis horreſcere compita? noſtris
Impia ſeditio ſemper graſſabitur oris?
Quid novus Enceladon congeſtis montibus axem
Exuperat, jam jam ſuperos miſſurus in orcum?
Nec tonat, aut trepidum rapidis quatit aëra flammis,
Primaque non torquet ſudantia ſanguine tela
Aſtripotens, dum nulla calent altaria thure.
Virtus nulla ſuper. Divina ne membra reliquit
Sanguis, & in rapto palleſcunt Sydera Cœlo?
Nullus & Alcides tumidos ex axe Gigantes
Dejiciat; ſacriſque Deos nunc aſſerat aris?
O furor, ô funeſta lues! ô dira libido,
Imperiique fame! Veſano ſæva furori
Pone modum. Regnet placidas Aſtræa per urbes.

CAP.

CAP. III.

Archomb. Virginem in ſpecu reperit paſſo crine miſerabilem. Quærit ille cauſam mœroris. Et illa ſe raptam fugere, ex Autolyci manibus; ſpemque totam fuiſſe in Gallico Hercule docet Archomb. ergo ſuam opem virgini offert.

Archombrotus mox dubitare an forte in Sibyllam aliquam incidiſſet, non enim erat indignum vate ſpecus, cum fluctuantis animi æſtum levaturus ingreditur, & ſubito viri occurſu territam virginem occupat, ſparſoque in funebrem modum capillo ac flebili vultu miſerabilem aggreditur, quanquam ille non aliter quam ad Pandoræ conſpectum, divinæque artis compendium obtorperet. Infremere Virgo ad primos viri affatus. Tandem cum illa mentem perturbatam compoſuiſſet ad hoſpitis ſereniſſimam frontem, Archombrotus inſinuato ſermone ex ore gementis cauſam doloris extorquet. Quis, referebat illa, tantæ fatorum moli juſtis fletibus non litet? Quæ Latona vel Niobe Deorum iras acriores unquam ſenſit? Quandiu præda luporum futura ſum? Quamdiu Tyranni precario regnabunt? vaſtantur aſſiduis cædibus oppida, tinguntur civili cruore amnes, templa exciſa tholis ſolo æquantur, fœdo ſacramento plebs adigitur, divina humanaque jura proteruntur, neque per unam plagam graſſatur lues, ſed more torrentis certum non habentis alveum per plana, per confraga obicibus ruptis devoluta illuvies obvia quæque demetit, & ſus deque ſubvertit. Quid ni meæ meorumque ſorti indoleam?

Quot verba jactabat virgo tot ænigmata Archombroto loquebatur avidis auribus cuncta hæc haurienti. Et ille, torquerent, inquit, tot Sphynges ipſum Oedipum. Excute noctem cum qua mea mens ninium quantùm eluctatur; fare, ſodes quæ cauſa latendi?

Qui-

Quibus illa, ſic hoſpes es in hac regione, itane tuæ peregrinantur aures, ut inſatiabilis belluæ libido te lateat, quæ ad imperia niſi per raptus ac cædes promoveri non poteſt? Autolycum dico qui me. Tum illa abire in lacrymas quæ inſinuatum ſermonem abrumpunt. Quibus deterſis, mox ſubjicit, ego ne dolenda præda, & omni Caſſandra miſerabilior ad factioſos trahar? fecitque illa iteratis fletibus copiam.

In ea nocte nondum ſatis proſpicax erat Archombrotus, lucemque rurſus quærebat, cum virgo ſic inter lachrymas exequitur: his ego quondam procellis illudebam ſpe freta quam mihi fecerat Herculis Gallici virtus. Sed heu! aut Tyranni minis perterritus longè abiit, aut obiit dolis ejuſdem peremptus. Tum Archombrotus ad novum Herculis nomen defixus, Ecquid tibi in Hercule tuo ſubſidii? At illa, hunc fore ſuæ Heſionis vindicem, & Hydræ iſtius pluſquam Lerneæ domitorem ex initiis illius auſpicatiſſimis conjeceram. Nec mirare ſi hunc appello Herculem Gallicum: Tyrinthium putaſſes, ſic angues etiam à cunis elidebat, ſic Antæis intentabat minas. Ego vero monſtris expoſita ſeu Heſione, auxilium Alcidis mei incaſſum opperior. Jam Tyranni triumphant gaudio, Herculeque meo miſere perdito nunc factio invaleſcit.

Geminis auribus hæc Archombrotus captabat, cum adhuc incertus quis ille eſſet Hercules, ad enſem telumque reſpexit, & præceps in iras exclamavit; Herculem ſe fore, quoties talis Heſione monſtris eripienda eſſet, aut Hydra factionum impiarum mactanda: nec ſe unquam ab ullo Hercule fore degenerem; non ſe Cacos, non Lycos vel Autolycos expaveſcere.

CAP. IV.

Digitized by Google

CAP. IV.

Quærenti Archomb. quis ille Hercules, in cujus virtute virgo ſpem ſuam poſuerat, recenſet illa quæ eum fata à puero urgere cœperint. Archomb. vero quæ ſub Theocrines perſona geſta ſunt, & Licogenis in Poliarchum invidiam exponit.

Anxius interim Archombrotus audire geſtiebat, quis ille Hercules, in cujus virtute puellæ, cujus nomen ac genus ignorabat tota ſpes recumbere videbatur, cum illa rogantem docet quanta illum fata à puero urgere cœperint, ut ereptus furori Tyranni omni Euriſteo ſævioris, in mapalibus mentita ſorte adoleviſſet, dumque Tyrannus Regni luminibus cæco marte cæſis mendacis imagine officii Reginam eluderet, ut precario imperaret; ut prædonum ſcelere colono traditum hoc pignus ſubductum eſſet; ut in aula Regis Allobrogum quamvis ignoto genere in liberorum ſpeciem cultum denuo deprædatus miles, aulico vendidiſſet; ut impatiente ſecundarum Commindorige incolume pignus illud imperii coëunte plaudenteque plebe à parentibus in propriam prolem aſſertum eſſet, marcentibus interim Tyranni clientelis, qui eminus excepto multitudinis effuſæ ſtrepitu, tubarumque clangore, oculos ad terrorem minax præcipitare gradum quaſi ſolo ſupercilio plauſum compreſſurus ut pugnarit impavidus puer, ut gæſa Tyranni levi declinatione fruſtrata ictu lethifero infamem belluam ultioni gloriæque mactarit.

Neque illa miſſam fecit peregrinationem, quam Religionis fuco prætexuit, ut ſexu mentito matronam circumvenerit, vultu quidem in mœſtitiam flexo, verum gravitatem ſummæ fortunæ retinens, & acceſſum ad arcem efflagitarit, in qua tot laborum cauſa Omphale ſua latebat: ut in arce Prædonum turbinem nudo ferro irrumpentem & bacchadundum coërcuiſſet, ut horum

rum ſtrage limine cruentato, tunc per incerta noctis cautè declinaſſet; denique ut in patriam revertiſſet, factoque militum delectu naves conſcendiſſet. Atque hæc illa vel audiſſe vel vidiſſe teſtabatur.

Archombrotus ad omnia obſtupeſcere, quorum vix diſſimilia de Poliarcho narrata nuper audierat: ab illo tamen tota mente alienus erat: ſed hunc non immeritò Herculem appellatum eſſe revolvebat, qui ſub utriuſque ſexus habitu, tam fortiter ac audenter egiſſet, vixque parem aliun aut Herculeæ virtuti propius accedentem id ætatis in orbe ſuo viſum, ſi, inquit, unum excipias cujus fortitudinem in ipſo Siciliæ limine nuper adoravi: Perſeum putaſſes aliquem equo Meduſæo nemus prætervolantem, & ad ſolius fulgorem & horrorem clypei magis quam ad conſpectum Gorgonis turbinem ſicariorum ſeu profligantem, ſeu fugantem. Feralis iſtius invidiæ irritamentum fuit, quo alterius Tyranni nuptiis obſtitiſſet.

Et virgo avidior, quid porro iſte? porro iſte, hoſpes retulit, cum regem ipſum in necem ſuam conjuraſſe, tum vulgi rumoribus, tum accenſis per juga facibus (qui mos eſt) accepiſſet, me authore cervices ruinæ proximæ ſubtraxerit, & in latebris hæſit donec excitata protervo Tyranni halitu procella exſæviret, & Regem longior dies permulceret. Interim caſſum luce, incertiſque ſuperſtagnantis amnis vorticibus hauſtum libertus evulgat. Juvit credulitatem nox, auctique rumores in deterius ſerpunt. Regem lancinat fama mali; non ipſi proceres dolori parcunt, diſcorde quippe aulâ, tacitis in Heroëm ſtudiis. Ipſam comprimis Regis filiam is rumor horrore implevit, quæ ſtatim non lachrymis tantum uberioribus, verum etiam, ſua nece Herois neci quæſivit parentare. Mox tamen proſperiori auræ cedit ille turbo, & poſtquam hunc Theſeum ſuus Alcides latebrarum nocti ſubduxit, ſub degenere

genere panno, geniſque aſcititiis latentem virgo contemplata eſt, fœderibuſque Regem inter atque Tyrannum ſanciendis cum in templo victimæ ferirentur, illa feſtam plebem proturbare, motus fanaticos eluctando; quari labra vidiſſes; dentes comprimi, ſubrigi capillum, veſtigia titubare, anhelare pectus, & ficta rabie corda tumeſcere; articulorum ſe ipſos torquentium crepitus, ruptaque verba inter dentes labiaque quaſſata audiebantur defixo ad hæc monſtra rege, ſed frendente Tyranno, & exæſtuante ab imis præcordiis ſanguine. Tum Virgo patri ſuadet belli aleam jacere; ſi male cadit, declinare. Interim Tyrannus ad omne flagitium impiger libellis occultis ſævitiæ Regis adrepit: ad quorum conſpectum pluſquam ad Meduſam Heros noſter ſponte exul obriguit.

CAP. V.

Narrat Archombrotus quæ ipſe geſſerit, ut Regem diſcrimini ſubſtraxerit, ut Licogenem ſuperarit, ut conſilia Radirobanis, & Seleniſſæ de rapienda Principis filia exploſerit, uti ad Poliarchi in Africa de Radirobane victoris ad primos congreſſus cohorruerit, & utrumque Hyaniſba ad Meleandrum epiſtola ſedaverit.

TAmetſi utriuſque nomen & Herois & hoſpitis audire virgo arderet, tamen illa interpellare dicentem non eſt auſa; Archombrotus autem ſic proſequutus eſt. Tum fortuna mihi de Rege bene merendi duplicem anſam obtulit: alteram quidem cum Regem ipſum in lacu periclitantem, cum meo ipſe periculo ſubtraxi; alteram vero cum jacta eſt belli alea. Nam Rege Balearium qui auxiliares turmas advexerat, cum Siciliæ Rege convivante armorum ſtrepitus, & militum clamores Stentoreo ululatu noctis bellique pavores ingeminantium ad aures noſtras horridius allabuntur: hinc uterque noſtrum pugnæ accingi; inde emicare Tyrannus; & per ſuorum ordines volitare, cædem

terroreſque circumferre, denſare ictus, globo cuneos frangere, trudere adverſos, inſtare perculſis; tandem æquis locis æqui Dii, donec ego fatali quodam æſtu abreptus Tyranni poſtquam hunc ad humum arietavi, ilia pugione haurio. Tum miles lauros aptare fronti, principes vero & ipſi laureati ad Deos pergere, dextra hac mea opimum trophæum Tyranni caput prægeſtante. Jam puella hoſpitem amare incipiebat, cum ille ſubjicit:

At Rex Balearium ſecundo armorum eventu turgens; quanquam mihi palma, fœderum conſilia Siciliæ Regi aperit, ſenem ambiens, me victorem elevans; verum ille eſſe ſui juris filiam, viſum eſt proco ſi nutricem virginis pretioſo munere emeret, facilem de ea fore victoriam. Illa pretioſo perſtricta fulgure Memnonii inſtar idoli vocalem ſonum edit, & arcis arcana revelat. Tandem irritis conatibus Rex Balearium Anus conſilio ad raptum ſe convertit, ſed & iis artibus irritis utpote à me retectis & exploſis. Flexo ad veſperam die quam minacem & in ſcelus erupturam fors lenivit, Rex improbus loco cedens virginis famam proſcribit tanquam illuſiæ, additis atrocibus & occultis notis. Illa famæ diſpendium non ferens ludibrii artificem Anum elicit, quæ eludens abrupto mucrone pectore novo ſcelere convicium expiat. Tum Rex angore, ſimul ſenio feſſus poſt impertitam mihi, fructum victoriæ, juſtam gloriam, optantem ad fœdera pellicit; attamen bimeſtre intervallum ad viſendam matrem obtineo.

Interim Heros iſte redux è Gallia in Africæ oram procella jactatur; atque id temporis Rex ipſe Balearium ripam eandem inceſſit adverſus Africanos bellum moturus Regina opem ab Heroë efflagitat; is ut erat humanitate ac fortudine præcipuus belli molem ſuſcipit, & temperatis conſilio armis in Numida equo copias

copias ſuas luſtrans præludit victoriæ. Emicant Aquilæ, litui concinunt, ſtrepunt tympana; jam miſſilium concitari grandines, jam rorarii primos congreſſus excipere; Jam ſuccentarii ex inſidiis hoſtem à tergo occupare, diſturbare acies. At Heros quaſi fulgur erumpens nube obvia quæque demetere; ſubſiſtit, obſiſtit, inſtat, diſſimulat, laceſſit, fundit, ſuperat. Hoſtium ſibi quiſque properus; lentæ adverſum imperia aures. Hoſtis ipſe ſuccenſus fortunæ, ſic in hoſtem invehitur, prope ut ipſe apprehendatur. Demum collatis denuo ſignis æmulo provocato atque devoto Heros mucrone fauces illius reſolvit. In Africam interim appello, & ad patriæ vindicem vix me proripio gratulabundus cum ad primos congreſſus indignabundi pedem ambo reprimimus, matre ad id monſtri multum obrigente, Veruntamen animos in iras præcipites fœliciſſimo commiſſarum mihi ad Siciliæ Regem litterarum eventu illa mitigavit.

Nunc ad nova monſtra animum adverte. Orto inter Baleares diſſidio veni, vidi, vici. Summa rerum potitus Myſtas religione celebres mecum adduxi. Manipularis in ſago exotico poſtquam Gallico ſcommate plus ſatis jocatus eſt, Myſta ex panno os canum exerit. Tum gregarius joco in ſeria verſo genibus myſtæ ſatis reluctantis advolvi, ac Regem ſuum expreſſis gaudio fletibus appellare. Is rumor ſtatim caſtra, & mox aulam pervadit. Excitatus Heros, ſed in ſpe nimia adhuc caligans prorumpit, atque percontatur. Myſta ſe Regem Allobrogum, quondam excitum ad arma, ſed non æquis manibus poſtquam diſceſſit, genio præſtite auſpicante viam deflexiſſe ad aram, nemine liberorum regno ſuperſtite, adoptivo quoque belli aleam experto. Tunc Heros gaudio amens, Myſtæ illius, quem parentem appellitabat, collum amplexibus premere, pannum degenerem purpura velle commutare.

Verum ille obluctante geſtu fulgorem honorum executiens, Euripos inſtabilis aulæ declinare laborabat. Nobis in Siciliam provectis Regi porrigo matris litteras ipſe mihi Mercurius; quibus Rex revolutis litare fletibus, oſculis parentare, defixo ad hanc fabulam Heroë. Tandem ex tabellis Rex agnovit me filium ſuum eſſe ex prima conjuge Anna, ſuamque filiam Heroi tradit me ipſo Paranympho exiſtente.

CAP. VI.

Quærenti Cyrthæ exponit Archomb. ſuum, & Poliarchi, atque Argenidis nomen, ac genus. Profert codicillos, & effigiem Poliarchi, atque Cyrthæ: quibus facta certior non abnuit eſſe ſe Cyrthæam: ſed neque obſiſtit fœderi incepto, ac viciſſim latendi cauſam eſſe docet raptus Autolyci.

PUella jamdudum in antro latitans, attentaque ſermonibus vix ſibi temperabat avida ſciendi quis ille Heros, ecquæ virgo quam efflictim iſte deperibat, quis ille Rex Allobrogum in habitu Myſtæ, imo quis ipſemet hoſpes adeo virtutis amans? Et Archombrotus quanquam a fatis Cyrthææ ſuæ animo longè aberrabat, notabat tamen in fronte iſtius puellæ ſtirpis regiæ indicia. Illa nondum audet peregrino, & ignoto homini ſuum nomen, ſortemque ſuam credere, etſi victa ea humanitate nihil ſiniſtrum de illo poſſit ſuſpicari. Ergo puella ſic prior affata eſt: vellem, hoſpes humaniſſime, niſi ingratum eſſet, quoniam genus, & inſolentiam fatorum ſtrictim docuiſti, mihi pariter & nomen, & cauſas itineris tam prolixi roganti ſuggereres, neque me Herois, cui tam arcta neceſſitudine conjunctus es, & genus, & nomen celares.

Et ille, apud Siculos, inſit, Archombrotum, apud Mauros Hyempſalem me vulgus appellat, Sororem vero tot jurgiorum, bellorumque materiem, Argenidem. Hanc Heroi ſponſam dedi, ille mihi ſororem ſuam-

ſuam. Adhæc virgo, ergo tu, & ille ex ſanguine regio genus ducitis? Et Archombrotus fortunæ ſuæ moles, & regiæ virtutes mentem exprimebant, quæ vulgares dotes excederet. Porro nomen illi Poliarchus: in Gallia tamen Aſtioriſtem nuncupatum ferunt. Adhæc virgo primum confundi, tum gaudio ſtupens exitum Sermonis opperiri. Et ſubdidit Archombrotus, huic eſt ſoror nomine Cyrthæa, quam mutuo fœdere mihi pactus eſt, modo illa annueret.

Virgo jam certior, illudi tamen ſibi adhuc reverita rogat an codicillos ad illam à fratre deferat? Et codicillos, inquit, & ſuam cum depicta Argenide ſua in pyxide aurea effigiem: quam poſtquam unà cum codicillis protulit, & illa ſimul manum, ſimul iconem fratris recognovit in vota effundi cœpit, ac teſtari, ſe quoque Cyrthæam dici, Aſtioriſtis ſororem unicam, hanc oris ſui genuinam eſſe effigiem, eſſe Timandræ filiam, & Britomandis nuper defuncti, quam ſors nimium aſpera, & Tyranni libido exortem ab aulâ fecerat, quanquam Dii meliora.

Archombrotus tunc animadvertere eadem in virgine oris illicia, quæ prius in ejus effigie adoraverat, eoſdemque lepôres, ac parem oculorum vigorem admirari: mox incredibili lætitia efferri, eam videns ſibi eſſe deſponſatam, cujus dotibus nunc primum efflictim captus erat. Simul fortunam adorabat, quæ par amantium in unum coëgerat. Geſtiit tamen Archomb. audire quæ cauſa nobiliſſimam puellam in has latebras adegiſſet. Cui Cyrthæa. Totius rei ſcena hæc eſt.

Cum nullum ad Autolycum ex Oenotria nuntium à Leucterio Legato perveniret, timuit ne quis conſilia ſua exploſiſſet priuſquam ea ad exitus optatos traduxiſſet. In Reginam matrem perinde atque in me ſæpe impetus factus eſt: Sed & ſatellitum ſpectata fides, & Reginæ prudentia fruſtravit eventus, donec

ille paucorum ganeonum conſcientiam tentat. Hi ferrum ad omnia promittunt. Deſtinaverat eos inſidiis extra pomœrium in nemore quod prima luce ſolebamus celebrare, ut ambæ vota Deæ conciperemus. Totis incumbit artibus iſte dolorum artifex, quatenus inde ad ſe perducamur: Sed & tunc obſtitit furioſorum dolis & conatibus ſtrenua ſatellitii fides, & religio, quæ lege cavebat ne quis maſculus Dianæ clauſtra ſuo acceſſu macularet.

Forte in regiam parens me acciverat, ut in Aſtioriſtis ſui tam diutina mora dolorem conſuetudine mea detergeret. Locus iſte oportunus inſidiis eſt viſus Autolyco, quò me in violentum rapta conjugium ſummam rerum præſumeret. Votum ex ſententia animi cecidit. Me prædones vi ſubductam, meis aut fugatis, aut cæſis, abſtrahunt irritas manus in Cœlum tendentem. Verum illos non gemendi atrocitas, non ſexus, aut generis reverentia ad miſericordiam provocavit. Raptus iſte ad Tyrannum ſtatim delatus eſt, qui de eventu tam proſpero jam ovabat. Verum hunc comitia in Allobrogum colonia diſtinebant. Interim nobilis matronæ cuſtodiæ credita ſum; quâ adjuvante ego nocte concubia delapſa per muri ruinam, ſatellitum cuſtodiam fœlici auſu evaſi, regia veſte mutata ſervitio.

Vixque ſtadia pauca proceſſeram, cum ad limpidi marginem fontis ego defeſſa heſterna colluctatione membra compoſui. Vigiles me paſtores advertunt, & non degenerem frontis indiciis reputantes ad regiam me rogantem devehunt; à qua vix altero diſtabam lapide, cum inſtantium equorum ſtrepitu perterrita, relicto comitatu hoc dumorum præſidium quæſivi, qui mihi per varios anfractus divertenti capilli nodum ita laxarunt.

Ad hæc Archombrotus magis excandeſcere, & in ganeones, illorumque Ducem totis animi nervis inve-

hi

hi. Ubi tamen ille æſtuantis animi turbo poſuit, & amor huic ardori, ignis igni ſucceſſit, Cyrthæam oſculo pudiciſſimo excipiens totam navigationis ſeriem recenſuit, neque omiſit de Andropiſti legatione, ſucceſſu, ejuſdemque infirma valetudine, atque mora dicere; quibus ubi ſe exolvit, rogavit Cyrthæam, ut Poliarchi fratris ſui litteras evolveret: atque illarum lectione, & vera eſſe quæ hoſpes retulerat, illa cognovit: & quantis eſſet imperatura populis ſi hunc in ſponſum acciperet. Itaque pudiciſſima virgo è matris imperio, & fratris nutibus ſe totam pendere aſſerit: quod ad ſe Divis & fortunæ beneficium debere, quod tam fortem, & conſtantem virum, tam potentem, & magnanimum principem ſibi deſpondeant.

Simul his Archombrotus annulum Cyrthææ porrigit, volentiſque digito inſerit citans fœderis auſpices, atque paranymphos hujus loci præſides, ipſaſque Nymphas. Annuli gemmam omni carbunculo rutilantiorem inciſa Hermione, pari munere olim à Cadmo donata commendabat.

CAP. VII.

Egreſſus è ſpecu Archomb. unà cum Cyrthæa Timonidem ad Reginam præmittit. Ambulantibus irruit militum globus: pugnatur acriter; Archomb. vulneratur in dextra, mucronemque dimittit, quem virgo colligens, prædonem cædit. collectis viribus Archomb. cæſos fundit uno fugitivo ſuperſtite. qui mox cum validiori manu revertitur. Ergo ambo capiuntur & in arce recluduntur.

EGreſſus antro Archombrotus Timonidem elicit inſequendæ feræ, quæ ibi crebræ fuere, interim forte intentum, & hunc ad Timandram præmittit, quatenus illa de filiæ raptu ſollicitudinem omnem deponat, & carpentum ad revehendam illam iſthuc jubeat promoveri. Poſtquam Timonides ad obſequendum ſe accinxit, Archombrotus Cyrthæam manu ſuſtinens

ſtinens pedetentim ab antro receſſit, regente interea equum famulo: Attamen vix unum ſtadium emenſi fuerant, cum ſtrepitus equorum concurrentium ad aures utriuſque allabitur, dumque obliquis viarum anfractibus properant declinare, Archombrotus ad certamen adactum ſe ſtupet; nam repente quinque prædones atris obvelati larvis irrumpunt; totus vero impetus in virginem, quæ miſcere continuo cœlum clamoribus ſuperos vindices ciens.

Igitur Archombrotus adducto nervo telum dirigens, quæ vos Erynnis, furciferi, ad bellandum in imbelles virgines extimulat? Idemne eſt veſtræ mentis, qui frontis eſt, atror, & atrocitas? mox totis lacertis telum excutiens pertinaciſſimum omnium proſternit; deinde alterius accurrentis ad opem jacentis, ac ſitientis vindictam ilia vibrato rurſus telo tranſverberat. Tertium ſupererat telum; ſed hoc prædonis levi declinatione in vanum ictum delapſo, dextram Archombroti hoſtilis mucro ita libavit, ut cogeretur gladium dimittere: quem Cyrthæa colligens, ubi ſe deditioni proximam videt, oblita ſexus, furore vires ſubminiſtrante; dum prædo ad prædam involat, illa ſuo genere dignum facinus auſa eſt, ſiquidem Archombroti gladio ferit contumacem, & dirigente mucronem Dianâ, quam Cyrthæa, ceu Deæ cliens vocaverat, efrontem mandere ſolum, ac mori coëgit.

Archombrotus reſumptis cum gladio viribus, indignationeque ac bile calens inſtat perculſis, qui ſibi ipſis, ſuæque dextræ ſuccenſent, quòd juvenis tam impar ad ſpem victoriæ tot veteranorum conatus perfregiſſet: audentque denuo congredi. Tunc in Archombrotum alter ſaxum libravit eo ſucceſſu, ut percuſſo crure humo affligeretur. Is quamvis duplici vulnere gravis aſſurgit in poplitem, ac tumulum ſuperat: in quo velut ad propugnaculum quercus aſſurgebat, cui

ille incumbens proximum ferro excipit, immolatque dolori.

Jam æquis manibus certabatur, cum Archombrotus tot demeſſis palmis ferox defungi prælio properabat. Attamen æmulus non pugnam, ſed fugam adornabat, quem victor aſſequi curſu ob vulneratum poplitem cum non poſſet, nil ultra timendum ratus ad virginem ſe recipit, quæ prius confuſa ſtupore ac metu, jam flexo in lætius ore, ad gratias ſummi Jovis, atque Dianæ, deinde & vindicis ſui convertitur. Sed ille reputans quantum facinus illa eſſet auſa, Andromacham magis quam Cyrthæam appellandam dixit, quo deinceps nomine cùm ab Archombroto tum, ab aliis cognominata eſt. Porro negavit Archombrotus ſe prolixius iter conficere, multo ſcilicet ſanguine ex vulnere emicante.

Ergo dum hæc abit in queſtus ſubito lapſu Archombrotus terram ferit, expirabundo ſimilis. Quis Andromachæ iſtius curas, & querelas cogitando aſſequatur? His dum copiam faceret circum ſtrepentium hominum captat murmur, repentinoque timore percellitur: nec mora militum turba, quos fugitivus prædo compellarat, confuſis ordinibus per anfractus ſylvæ divertens Archombrotum ſemianimem, caputque gremio virginis reclinantem occupat. Vultures iſti alite Promethei avidiores tanto furore ac ſiti in ſubjectam prædam acti ſunt, ut Archombrotus extremo de-/decore magis quàm vulnere afflictus unius inſultantis latus ſubjecto mucrone hauriret. Attamen hoſtium numero cedendum fuit, & ambo irrito conatu reluctantes in arcem proximam, eamque munitiſſimam abducti ſunt, & in ſumma arcis recluſi, dum Autolyco capturæ indicium fieret.

CAP. VIII.

Dum nuntiatur Autolyco captura Cyrthæa, illa abit in queſtus, quos Archomb. conatur lenire. Mox hic per feneſtram arcis funis ope deſluit non ſine dolore, læſi cruris ac murmure: Et ad Timandram ſe recipit tot monſtris perculſam. Procurantur turmæ ab Archomb. & illo cogitante regreſſum ad Cyrthæam adeſt Andropiſt. qui legatione defungitur.

Dum auſpicatiſſimus ille raptus Tyranno nuntiatur, Cyrthæa Andromacha cum ignoto Prædonibus Archombroto ſub tutiſſima cuſtodia, cultu tamen regio ſervabatur. Eo rerum uterque poſitus communem poterat injuriam fatorum mutuis lenire fletibus. At Cyrthæa non ceſſabat queſtus ferales in factioſos expedire, quos Archombrotus quibus poterat lenimentis placare tentabat, virginis incuſantis matrem fletus ſimul abſtergens. O mater, exclamabat, uſquene deſertam filiam, & prædonum furori obnoxiam eſſe pateris? Cui Archombrotus, non eſt, ô Domina, quod fatum arguas, cui nemo non ſubjacet. Neſcis plerumque Jovem ærumnis copiam facere, ut oppreſſos potentiori manu vindicet? Nunquam ab illo me miſſum fuiſſe putas, quo ſolitudinem tuam ſublevarem? Ille inter duo dolia ſedet, unde alternatis vicibus bona malis corrigat, & mala bonis temperet. Secundis rebus te ipſam potius ſerva, neque fatorum iniquitati cedendum puta Hæc monens Archombrotus tamen ipſe ille longe alia mente decoquebat. Ratus enim Gallorum periiſſe libertatem captiva principe, his tandem verbis illam adoritur. Neque tuis lachrymis, ô Domina, neque ego ſuſpiriis meis tantam ærumnarum molem levabimus. Si alveus quo poſſemus hinc enatare, ex oculis noſtris inundaret, ego medius fidius in continuos fletus oculos ſolverem, lachrymaſque tuas libens provocarem. Mollia pharmaca ſunt lachrymæ ungentes ærumnarum ſpinas quæ mentem pungunt.

Con-

Conſtanter age, ne mors tua obſit & matri, & fratri: juvat nunc ad ſalutis tuæ remedia mentem appellere.

Deprehenderat in proxima cella attrita vetuſtate, & obſoleta quædam arma, ferreamque catenam; ſed diſſolutis annulis inhabilem, qui tamen nullo labore poterant una religari. Conſilii exitum adeo facilem eſſe probat virgini, ut illa non ægrè ad id à quo libertas ſua pendebat, animum inclinaret, ea tamen lege ut poſt triduum eò Archombrotus ſe referret, virginis pudorem, ſalutemque diſcrimini ſubducturus. Et quoniam adhuc recens erat cruris vulnus, illud vino, & oleo oblitum ſic ligavit, ut libertas utriuſque potior dolore videretur.

Jam provecta nox erat, cum Archombrotus deſciſſa infima parte culcitræ, eadem ad dolos abutitur, catenamque connectit, quam nulla interpoſita mora feneſtræ applicat: vocatis deinde Indigetis, & venia abeundi impetrata à captiva principe ad infimum funem defluxit. Sed cum funis brevior eſſet, Archomb. in foſſam deſiliit, ita ut crus alliſum ad ſaxorum aggerem graviter offenderet, vulnuſque refricaret. Altam adeo elicuit vocem dolor, ut ad aures militis ſtantis ad excubias clamor allaberetur. Is militari ferocia compellans, quis tu? Archombroti mentem ad declinandum præſens diſcrimen, magis quam ad dolendum ſuum dolorem avertit. Quare animos revocans ſubito in poplitem ſe erigit, ſuperatoque foſſæ aggere, ad ſylvam, & inde in urbem adhuc dubia luce deflectit.

Ad potam civitatis gradum ſiſtere juſſus accerſit militem, qui adventum ſuum Reginæ nuntiaret. Erat hæc in gynecæo, & in comitatu Druidæ enitentis, ſi quibus eloquentiæ ſuæ nervis illius gemituum atrocitatem poſſet compeſcere. Regina audito Archombroti adventu obviam procedit cum Timonide, & ipſo tunc ſollicito quod cum carpentum ad hunc fuiſſet in-

vectum

vectum reducendæ cauſa in regiam Cyrthææ, non ille, non ipſa virgo reperta eſſet. Poſtquam idoneo cultu, geſtuque Reginam propitiavit, erepta illa turbulentis affectibus vera diſtulit donec poſt nimbum lachrymarum expeditior de filia percontatur. Anxiam itaque Archombrotus docet, uti in ſpecu dumis vallato eam latentem invenerit; ut ambo per anfractus Sylvæ ad regiam divertentes incidiſſent in raptores; ut illâ prædonum avulsâ furori ipſe validiori globo circumventus furioſis cedere coactus ſit; ut ejuſdem fortunæ ludibrium ambo paſſi in arcem medio in luco ſitam inducti ſint; ut nocte concubia illudens excubias ex arce evaſerit faciendi cauſa indicii hujus diſcriminis. Cui Regina confuſa tot monſtris reſumpto ſpiritu, utere, ait, ut libet ad tuum facinus regni copiis; Lecto ſtrenuiſſimo quoque ne quæſo meæ filiæ ſtato tempore deſis. Sed nunquid de Aſtioriſte meo præter Timonidis codicillos? Tum Archombrotus litteras porrexit de fœderibus ſibi cum Cyrthæa principe ineundis; quibus perlectis flexo jam in lætius ore, nil ſibi jucundius fore aſſeveravit. Tum ille non omiſit dicere de Cyrthææ dotibus, & de virtute illius regia, & ſexum ſuum ſuperante, quæ Andromachæ nomen ipſi illi meruiſſet.

Auxit ea res Reginæ gaudium, curaſque levavit: adhuc tamen anxiam illius mentem tenebat ſollicitudo de Andropiſto, Legationiſque ſucceſſus, tametſi Timonides de Leucterii juſtiſſimo fato illam admonuiſſet. Sed nondum à colloquio ad jentaculum receſſerant, cum Andropiſtum adveniſſe in comitatu aliquot Siculorum Timandræ nutiatur. Tunc Archomb. hilarior, Lupus in fabula, inſit.

Ergo poſtquam Andropiſtus in conſpectu fuit, protulit literas mortis Leucterii teſtes, rediturumque propediem Poliarchum aſſerentes: quas exoſculata Ti-

Digitized by Google

Timandra, antiquius jam nihil habuit, quam ut filia ſua Cyrthæa è factioſorum manibus eriperetur, & Siciliæ principi, ubi ſuus Aſtioriſtes revertiſſet, ſanctiſſimo connubio jungeretur.

CAP. IX.

Dum lectæ cohortes educuntur, arcis cuſtodes captivum evaſiſſe cognoſcentes, Cyrthæam arctiori cuſtodiæ committunt in arcis culmine. Interea ad ſecundum arcis milliare metatur & ſubſidet in inſidiis Archomb. venientemque cum turmis Autolycum occupat ac fundit. Dumque Autol. palantes colligit, Archomb. in arcem irrumpit, convenitque Cyrthæam luctu perditam.

FOrtiſſimi cujuſque facto delectu, adactus ſacramento miles ad omnia pericula contumax, provecta jam veſperâ emittebatur. At Cyrthæam tanto metu Archombroti lapſus turbaverat, ut pene amenti catenæ de feneſtrâ amovendæ recordatio illi excideret. Itaque excitatæ excubiarum clamoribus cohortes ad virginis thalamum tumultuariè properant; mox patentem animadvertentes feneſtram, appenſumque funem, captivum evaſiſſe cognoſcunt: Quamobrem præfecto arcis illius viſum eſt tutius, ex eo loco in arctiorem cuſtodiam virginem traducere, dum quid opus facto, cum Autolyco agitaret.

Diſcedente luce Archombrotus ſuccinctus robore copiarum iter ingreditur, & ad alterum arcis milliare metatur. Bis mille omnino erant, quibus prætoriani præſidii principes ſilentii cauſa præfecit, dum ipſe aſſumptis paucis ad ſocietatem virilis facinoris foſſam exploraret, oſtiumque, quo de conclavi Cyrthææ evaſerat, aſcenſu ſuperaret. Nec utique ſine ſtrepitu aggreſſi ſunt facinus, vel tùm maximè, cum ſpe ſua ſe deturbatos intelligunt, quod ad conſtitutum ſymbolum virgo minimè reſponderet: imo ſuos dolos à cuſtodibus deprehenſos eſſe conjiciunt.

Cum

Cum totius negotii indicium Autolyco factum esset, hic cœpta luce cum paucis egressus in Archombroti agmina, quæ in insidiis subsidebant, imprudens offendit. Credidit Autolycus turmas esse ad præsidium arcis destinatas: Verum hostiliter cum illo actum est. Reverebatur autem Archombrotus ne antica hæc foret acies ampliſſimi excercitus tergo imminentis. Igitur occupato antesignano cum stipatoribus, alii ad impetus sustinendos ferrum & animos acuunt, aut territi palantes sunt.

Interea Archombrotus elusi consilii suspicione motus despondebat: quare decernit aperta vi patefactis foribus, vel cum discrimine salutis in arcem irrumpere, ignaviam reputans, si principem virginem hostium arbitrio ac furori diutius permitteret, neque promissis, & inito cum illa pacto staret. Idcirco progressus ad arcem, nemine obstante ad sublicium pontem gradum maturat: Et interdictos sibi ab excubiis ingressus minimè ferens, nudo ferro occupat stationem, occupatam affligit humo, paucis stragi subductis quos justus terror in fugam averterat; dum victoria multo sanguine stabat ipsis etiam palmaribus, qui aditus omnes invadunt, antequam arcis præfectus de alea certaminis certior fieret, atque his obluctari posset, qui portarum jam superabant fastigia, ut signum constitutum attollerent.

Maxima ergo præsidii parte profligata, quæ sit armorum atrocitas nuntiatur Autolyco, qui cum non procul aberraret suos palantes cogens de oppugnata, ac pene expugnata arce satis attonitus gradum præcipitat. Interim vero Archombrotus fastigio arcis superato Cyrthæam Andromacham invenit sponda eburnea reclinatam, sed mole ærumnarum sic oppressam, ut ne tumultum quidem certaminis auribus captaverit. Ad primos Archombroti conspectus cœpit illa col-

colligi, & vires perditas resumere. Longe tamen majori stupore obtorpuit illa, ubi hunc vidit gestantem claves arcis illius, ex qua paulo ante per fenestram delabi coactus fuerat, nec secius quam inani præcincta insomnio agebatur, donec totius rei seriem docta gaudium non tenuit. Ergo Archombrotus ad curandum corpus Virginem compulit, quod per quatriduum solo mali granati succo male refectum vix poplitibus sustinebat.

CAP. X.

Inito consilio Cyrthea uno comitata Archombroto evadit ex arce: dumque in Sylva latet, in Aforum Gallicam oram legentium incidit manus. Hi dum naves repetunt, & de præda contendunt, Archomb. & Cyrthea lembo se committunt, & sic se suffurati ad Baleares appellunt.

E vulgata arcis expugnatione, virginisque effugio, Autolycus subitæ atrocitate amentiæ pene absumptus est. Hoc œstrum premebat animum illius jam accensum, & ad obsidionem urgebat. Itaque plenis velis ferebatur ad portum, nisi hinnitus equorum ad aures exploratorum allapsus navim ad scopulum allisisset, explosissetque consilia. Jam animos, jam ferrum Archombrotus acuebat impetus hostiles propulsurus, cum arma Tyranni sic obtusa sunt, sic fractus animus, ut procrastinandum censeret, donec supplemento militum impares victoriæ auxisset copias, tantilloque otio refecisset.

Mitum quantum virginem tædebat diutinæ moræ; ergo ad Archombrotum conversa, tam importunis votis prudentiam ejus sollicitavit, ut hic recusando impar esset, quanquam animum præsentis periculi ingens imago oberraret: nam si copias secum educeret, exarmari verebatur, cum opus magnæ molis videretur militem novum in arcem admittere: Sin absque comitatu in-

tu ingrederetur urbem, fato ſe arbitrioque hoſtium permittebat, qui longe lateque vias inceſſerant. Poſteriorem tamen ſententia tutior viſa eſt, ſiquidem minor erat labor per anfractus & diverticula paucos furtim irrepere, ſeque ſolertiùs quam ſi globus ingens adforet, ab inſidiis expedire.

Coactus ergo à Cyrthæa ad preces obſtinata de neceſſariis ſtatuit, ſciſcitatuſque an concitati equi curſibus tolerandis, noctiſque intepeſcentis inſalubritati ferendæ par eſſet, in ipſo noctis & lucis confinio per obliquum egreſſum propugnaculorum flectit ad mare. Vix ſatis provectis obſtrepuere currus obvii: quare per avia ſylvæ opacæ digrediuntur, donec præteriſſet commeatus ille, quem Autolycus non ita pridem ad arcis præſidiarios refocillandos conduxerat. Ineunte die ex illis tenebris erumpebant in lucem, & ſecundo curſu agebantur, cum in atrociora pericula deferuntur, leviora declinantes,

Afri, Mauri, Arabes, aliique rapto vivere aſſueti tunc obtinebant Iberiæ non minimam portionem. Ex illis aliqui leviori navigio Gallicam oram legentes, paucos facinorum comites in continentem eduxere, quatenus genium plagæ explorarent, prædamque luſtrarent. Cadente nocte commeatibus eminus proſpectis crediderant in armamentarium regium advehi gazas, eaſque propter tenuem ſtipatorum manum poſſe vel abduci, vel certe delibari. Ergo illi accendere ſocios, ſpeque manubiarum ita permulcere, ut prædonum agmen velut examen apum furentium ex alveario ſe effundens, nimia ſpe ferox deſcenderet in arenam, ſylvam penetraret, & impetu facto disjunctos commeatus invaderet.

Hi dum remetiuntur ad portum, præda ſe exoneraturi, nonnulli per avia ſecedentes revinctum ad arborem equum advertunt: neque mora advolant prædam ſuſpi-

ſuſpicati, ſubitoque inter ipſum dumorum horrorem in obviam incidunt puellam omni ſimulachro emendatiorem: ſic ut his adorientibus improviſo facinore, Archombroti conatus fiant irriti; Et virgo princeps nequicquam fletibus obluctata ad claſſem abſtrahatur. Hoc uno ſpolio ditiores ſolvunt è portu, & in ſolitos abeunt gratantium plauſus, ſecundâ fortunâ tumentes.

In altum provecti ſarcinas evolvêre, quas ex æquo dividerent; quamobrem ſecretum navis thalamum ſubeunt, diutinaſque lites, & atrocia jurgia prædæ cauſa movent: ſed totius ſumma jurgii fuit in rapta Virgine, quam ſibi quiſque vindicabat. Adhuc lis erat ſub judice, cum gemitus Cyrthææ atrocitate perculſus Archombrotus in ſcapham oculos convertit, commodumque mœſtæ comiti præſidium obtulit. Illa eligens pelagi magis quam furiis prædonum exponi, ſubito in ſcapham inſiliit, reſciſſoque fune ad remos cum Archombroto, ex metu fortis incumbit. Et quanquam pleriſque prædonum puellæ venuſtate perculſis placeret inſtare fugientibus, tamen his advertentibus ſibi curſum in Africam eſſe, eos vero ad Baleares inſulas ſecundis ventis agi, conſultius viſum in ſtationem ſe recipere, quam aleæ periculoſæ objici.

Vix in altum ſatis ſe promoverat, Archom. & Cyrthæa, cum eos ad Mæonium portum Minoris inſulæ turbo detorſit, procella maligniori utique obruendos. Excepta portu ſcaphâ ad Cyrthææ veneres, decuſque frontis nemo non eſt accenſus. Is rumor effuſus in omnes, ubi Regis ad aures pervaſit, imperat hic vectores adduci. Senex erat cana majeſtate ſpectabilis, Gallorumque Regi, Cyrthææ patri quondam devinctus in ultimis: quæ cauſa Virgini fuit, ut in hunc orbem appelleret, eo ſane liberius quo omnia humanitatis jura à confœderato expectabat.

CAP. XI.

Author eſt Cyrthæa Archombrotus, ut genus ſuum celet, fingatque ſe filiam Mercatoris, quem piratarum turba improviſo facinore invaſerit. Hæc à Rege liberaliter accipitur, ſed ab ejus filio capto illicius ſuis per Lenonem ſollicitatur.

UBI in arenam deſcenderunt Archombrotus fidiſſimo metu in Dominæ periculo turbatus cenſuit eam debere genus ſuum, fortunaſque celare: illi tempeſtivum ſemper fore recipiendi ſe ad priſtinum faſtigium: non defuturam meditati facinoris ſuſpicionem: procacique famæ, & ſponte jam iniquæ perſuaderi non poſſe credebat, ejus ſortis virgini, quæ ſcaphæ vili, inſtabilique genio maris omiſſo comitatu ſe permiſiſſet, pudicitiam ſuperfuiſſe: ipſa potius mentiretur ſe filiam Mercatoris, quem adorti piratæ enecarant: parenteque inter ipſum pugnæ ardorem cæſo, ſe confugiſſe ad eum quem pronum in miſeros audiviſſet, Deorumque arbitrio commiſiſſe pudicitiam illibatam.

Principem virginem in privato habitu accedentem nihilominus excepit Rex cum omni ſignificatione benevolentiæ. Attamen filii Regis pectus tot ardentes in oculis Cyrthææ Andromachæ faces ſic accenderant, ut arcano igne pectus illud ſic aduri vix ſubſtineret. Verum mentis hoc æſtu diſſimulato pauca de genere, nomine, fortuna Virginis quæſivit. Illa ad omnia reſpondere prout in mente conceperat, propitiante ſibi principem cultu, vultuque idoneo, porro ſe dici Parteniſſam. Aſſerebat ille ipſam eſſe ſui juris atque mancipii. Inſulam hanc eſſe tutam perculſis aram, imprimis virgini illi cujus calamitas recens liberalis principis opem ſatis ſuperque ſollicitabat.

Inde dimiſſos deduci ad Municipem jubet, qui neceſſaria ſuppeditet: tum ſeceſſit in thalamum Princeps, ut

ut privato dolori liberiùs vacaret, tandem accerſito Lenoni fido in paucis morbi cauſas aperuit, rogavitque ſibi ut opem ferret. Promiſit ſtrenuam operam Leno, mœtoremque Principis ſpe levavit, qui ſpem inter & metum medius, hoc Eroticon leniendi cauſa doloris ſui ita cecinit.

Hactenus procul à fero
Vixeram puero Cypri,
Illius nimis invida
Tela tennere doctus.

Nunc mihi facies nova,
Dum Cupidinis attero
Arma, luminibus ſuis
Vulnus ingerit altum.

Phœbeo radio magis
Virgo pulchra, venefico,
Quando me ſemel aſpicis,
Sæva carmine perdis.

Me tamen crucies licet,
Non ego fugiam tua
Ora, ſcilicet es vagis
Virgo clarior aſtris.

Quando tu faculis petis,
O puer, Superos, Deam
Quæ nimis tua negligit
Buſta, frange ſagittis.

At Virgo hoſpitium ſibi deſtinatum vix ſubierat, cum illa remotis arbitris, longe atrocioribus curis quam antea lancinata per futuros caſus mentem deducit, cauſata averſos ſibi Superos eſſe, præterita mala auſpicium eſſe futurorum, & in neminem atrocius quam

Digitized by Google

in ſeipſam fata deſævire. An erat ſub Sole locus in quo meus pudor alea fortunæ luderetur magis quam in hac inſula quæ tantam mihi ſpem paulo ante ſuggeſſerat? Inter tot ſingultus Archombrotus vacabat ſedandis qua poterat arte curarum fluctibus Virginis æſtuantis, quam pudoris ſui naufragium revereri conjiciens, hunc illibatum fore ſpopondit tandiu donec ſpiritus ſibi ſupereſſet; adornaturum ſe interim regreſſum in Galliam; hac ſpe freta parceret oculis, dolorem premeret.

Simul his Leno ad laxiorem januæ rimam ſe applicaverat, & exceperat queſtus ultimos. Is facto ſtrepitu quaſi jam tum adventaſſet querelis & lachrymis puellæ modum poſuit. In thalamum ubi ſucceſſit, officioſa functus ſalutatione cœpit ſui Principis prolixè jactare fortunas, & orbitatis puellæ miſereri, anxiè obſecrans fletus ut abſtergeret, bonoque eſſet animo, quippe quòd in clementiam benevoli atque humani principis cecidiſſet, quam liceret experiri. At Virgo abire in gratias oblatæ clientelæ, & pietatem principis erga ſe miſeram prolixè laudare.

CAP. XII.

Ubi videt Princeps irritos eſſe ſuos conatus, ad carmina & Stygias artes recurrit. Pythonem adit; qui multis ambagibus irritis Principem ludit.

JAm Princeps per ſe, per Lenones, per munera ambitioſius ambire virginem, cujus illiciis & captum profitetur; at iſta nequicquam apud puram mentem, & caſtiſſimas aures. Tandem prolixa fruſtratus dilatione inſtituit ſuper his Pythonem conſulere, ſiquidem ad vim, raptumque delabi reverentia patris vetabat. Ergo ille Vatem adit, & Vates erat ejuſmodi, qui Beli ætatem vidiſſe poterat. Is decrepito incultus ſquallore ad principem proceſſit, & hunc in periſtylium,

Digitized by Google

lium, deinde in conclave ſequi jubet, ubi ærea ſpecula, conos turbinatos, ſolares annulos, gonometra, lituos, cylindros, cubos, Armillarem ſphæram, aliaque non pauca Matheſeos organa vidit: Porro in baſi globi cœleſtis iſta legebantur.

Machinæ cœleſtis tot jam labentibus annis
Sponte ſua vehitur multoſque amplectitur orbes,
E quorum numero ſummus, quod nobile primum
Dicitur, in ſpatio curſum ſolet ire diurno,
Hoc rapido volvens errantia ſidera motu.
Circulus ad Boream junctus quod continet Arctos
Arcticus à nobis Græco de nomine fertur,
Aut Helice, ſeptem vulgo dixere Triones.
Circulus in primis viſum deſcribit Horizon,
Signiferum Æquator rectus ſecat, inque priori
Arietis, Libræque gradu noctemque, diemque
Dividit æquali paſſu, medioque locatur
Orbe. Pari ſtudio medius ſtat Circulus, Axem
Complexus geminum, medioque è limite mundum
Diſſecat, hoc Phœbus lucem diſpeſcit, & umbras.
Signifer eſt pariter biſſenis undique ſignis
Conſpicuus, Tropicum tangens obliquus utrumque,
Quâ rutilum Titan decurrit lampade cœlum,
Et qua ſubſequitur rapidum vaga Delia fratrem.
Quinque tenent Cælum Zonæ, quarum una coruſco
Semper Sole rubens, & torrida ſemper ab igne:
Quam circum extremæ dextrâ, lævaque trahuntur
Cæruleâ glacie concretæ, atque imbribus atris:
Has inter, mediamque duæ quas temperat aura.

Tum viam ad hortum auſpicatur, cujus areolæ denſatis buxi luxuriabant ordinibus, laborioſæque artis elementa ſpatiantibus compendio offerebant, juxta autem Circinum ad Mathematicas apodixes. Neque hinc procul ſub vinea fornicata tabulam ex Lithoſtibe, diſtinctis ſectam quadris, cùm ad Arithmeticæ nu-

meros, & Latrunculorum luſum, tùm ad ſitum caſtrorum deſcribendum idoneis. Inde in ſcrinium iter fuit opacum frondibus lentato contextis vimine, ubi Tyrannum ſic confudit loci opacitas, ut ſibi aliquamdiu non conſtiterit, donec os pavore mutum in has voces demum reſolveret. Huc ego me contuli, auſpicatiſſime vatum, opem & artem tuam ſollicitaturus in re in qua ſummum votorum eſt. His proloquutus ingenti metu obſeſſus eſt, oſſa reliquit calor, voxque intercluſa faucibus non eſt plura effata.

Et Vates, quid iſte pavor, quid inanis membrorum trepidatio, quid frigidus mortis color? Tibi jam erunt in aperto decreta fatorum. Vatem atque antiſtitem Deorum inferorum cernis, ne dubita. Ergo ubi gratiam omnem prolixe ſpopondit, manu prehenſum adduxit in ſubjecti hortis luci funeſtiſſimam noctem, cujus medio aſſurgebat in altum arbos effuſis in tam ingens ſpatium ramis, ut ſub illis periret ſplendor Solis, & fons è trunco ſcaturiens frigidiſſimam aquam per fiſtulas emanaret.

Ubi hanc in noctem unà cum Principe à cœli conſpectu ſe recepit (favent enim tenebris inferiora numina, & ſuperiora luci) ſcrobem fodit altiſſimam, & ex attritæ geminæ laurus colliſione mutua flammam elicuit, quam ubi ſulphurato excepit, pulla veſte, notiſque diſtincta Chaldæis totos artus obduxit, nullaque eam zona cinxit quò uberius Deum intra præcordia reciperet.

Deinde canos, frontem, tempora, pallidas & contractas rugis genas tegentes, atque ad humeros uſque defluentes terribilem in modum excuſſit: tum taxo velatus proceſſit flexo in mœſtitiam ore, oſſaque & herbas collectas in plenilunio in ſcrobem injecit: Vino novies, deinde gelida perfudit ignem, poſtea lactis, melliſque Carcheſia in lacunam quam unguibus effode-

effoderat, cum ritu immerſit, additis pilis Lupi, dentibus Colubri, & cerea forma puellæ, totumque inſuper vas confertum oleo infundens quod flammam diſtinctam fumo per longa volumina ſurſum attollebat. Tandem imbuta pecudum cruore terra, multa cupreſſo, & lauro congeſtâ flammas alebat, ſicque augebat incendium, ut ſenſim tota paſſim ſylva arderet. Jam pedibus nudis ter circumire ſcrobem modo ululando, modo carmen lingua volubili diſperdendo Mox juvenem qui ad dexteram erat, in ſiniſtram partem traduxit in circulo quem radio definierat: & ſiniſtrum ejus pollicem albo ſtamine ſtringens acu ſubtiliſſima educit provocatum ſanguinem, identidem intonans, *hoc libamus.* Demum converſus ad Principem, ſtilum, & ceram ei dedit rogans ut votum ſuum in modulos exprimeret, ac ſibi porrigeret, omnia nimirum carmine fieri oportere. Et Princeps in hunc modum efficta vota Pythoni porrexit.

Qui fluctus pelagi, qui potuit notos
Pacare, ac hyemes pellere frigidas,
Mutare hic pariter poteſt
Durum pectus amoribus:

Hic ſolus poterit corda ferocia,
Hic ſolus gelidi flectere ſanguinis
Frigus lethiferum; poteſt
Flammis pellere frigora.

Heu princeps rabidis uritur ignibus,
Incautum pietas aſpera decipit,
Aut æſtum Deus amove,
Aut pectus rigidum doma.

Tu leges placidas omnibus ingeris,
Et deſideriis qui furit impotens
Te præbente manum, premet
Fervente animi impetus.

Interea Princeps demiſſo ad humum obtutu Pythonem ſtupet multiplices orbes iterum radio metientem, vocantque è cœlo Lunam, ex inferis Hecaten, & quidquid eſt furiarum mox blæſa lingua, ſed tam volubili expedientem carmen, nemo ut recitantem exciperet. Tunc exauditum murmur horridè ad aures allabi, quale canum Hecates latrantium. Feralem fragorem convalles terribilem in modum reciprocavere, telluſque iinis quaſſata radicibus, repentino motu acta eſt. Tandem poſtquam exaratum puellæ nomen fictitium, & Principis conjunctum votum corylo involutum ſurſum projecit in aëre, ſubito utramque ſchedam impellens aura ſic deſæviit, ut crebra fulmina, ac tonitrua principem exanimarent. Tunc Python incumbens arbori, ceu plenus Deo ſic eſt orſus.

Prò quantos irata movet natura furores,
Quos motus elementa cient! furit ignis in aura,
Aura quatit pontum, paßimque incendia ſerpunt.
Totaque ſuccuſsi moles diſrumpitur orbis.
Turgidus horrendo rapidum notus aëra perſlans
Turbine ſubvertit terras, & nimbus Olympo
Ater inhorreſcit nebulis noctiſque profundæ
Nigra rapit caligo diem tonat, iutonat ingens,
Inque ignes lacerum per crebra incendia cœlum
Corruit, in ſimiles vertens obſtacula ſtammas.
Teſtis es ô tanti peſſundata ſylua furoris,
O ſylva in propriam nimium fœcunda ruinam.
Nam licet inſtantis capiti quaſi præſcia luctus
Brachia protendas cœlis; tamen Auſter, & ignis
Horrida bacchantes miſcent incendia, flammas
Venti animant, denſique globos ad ſydera fumi
Flamma rotat; quid enim ventis, ignique reſiſtat?
Dii quibus imperium eſt umbrarum, animæque ſilentes
Et Chaos, & Phlegeton, Dirarum & turba ſororum,
Adſitis, noſtriſque pii ſuccurite votis.

O que

O quæ Tænario rapta es, Proſerpina, curru,
Tartareæ Regina domus, Plutonia conjux,
Quæ repetita ſequi neſcis fidiſſima matrem,
Hos precor hos animos duræ converte puellæ.
Deperis illuſtrem vultu, cultuque puellam
O Princeps pulchros inter pulcherrime Reges;
Ardet ſylva comis, ardes ſævo igne puellæ,
Sol pater obſcuro texit velamine frontem.
Nam pudet illicitos in te vidiſſe furores.
At reor inſanis favit Proſerpina votis:
Cerberus, infernæque Canes latratibus auras
Implevere ſuis. Confuſa elementa moventur.
Adventum teſtata Deæ: nam fauſtus ab antris
Auditur ſtrepitus, valliſque umbroſa remugit;
Jam complexa manum, pectus tenet infera Juno,
In melius duram convertet Diva puellam.
Durato nam cuncta favent, Ereboque litaſti;
Votorumque eſt ſumma tibi conceſſa tuorum.

Hæc ubi cecinit ſimilis vaticinanti Python defixo in principem vultu fluentes ſenio genas turpiſſimo riſu contraxit.

CAP. XIII.

Laborat oratione ſatis prolixa Principem æſtuantem avertere ab amoribus illicitis Archombrotus. Cumque videat nil ſe proficere, Cyrtheam noctu per murum demittit, ſed vix uterque in ſcapham aſcenderat, cum uterque incidit in Piratas.

INterea Virgini luctu propemodum victæ animos redditurus fidus Achates iſta ſuggerebat, induratum fortunæ jaculis animum conſtantiæ aſſueſcere; Et quemadmodum Nauta quanquam ſecundis mane ventis feratur, tandem flexo ad veſperam die, eandem pelagi pacem nequicquam ſperat: ita & mortalibus nullam eſſe poſſe ſinceram pacem, quam non libent adverſi caſus: Mundum eſſe mare naufragum, quo uti

Digitized by Google

qui neſciunt, in ſcopulos & ſyrtes eos navim allidere. In ſeculo nihil fidum: nec mitius immutantur auræ quam genius mortalium. Quò maturius luxuriantes opes ſuas flores explicant, eo contabeſcunt celerius. Sol in ortu ſuo facem attollit, quam ad occaſum flectat, ſuo motu ipſum ſubſtracturus tempus, & vitam quam continua dolorum acies obſidet. Sed euge, Domina, omne violentum, & quidquid caret alterna requie non eſt durabile: quiſquis nihil audet ſperare, deſperet nihil. Nuci pares ſumus junctæ itineri, quam paſſim iniquioris fortunæ jacula feriunt, quatenus veros virtutis fructus excutiant. Imo, dulciſſima, his ictibus nunquam perennibus fortiter eſt obſiſtendum. Remiſſionis plus eſt in vita quam angoris: etſi nos obruat ſeges malorum, an te latet metam dolorum mortem eſſe, eoque glorioſius triumphaturam conſtantiam, quo vehementiori procella exercitata fuerit.

At in filio Regis recrudeſcebat ille amoris illiciti violentus æſtus: altiſſimoque vulnere faucius, ac ultra moræ impatiens tentat iterum, ſi quibus artibus indomitum Virginis animum poſſit vincere; ſimul Archombrotum, qui ſe illius fratrem eſſe fingebat, quâ promiſſis quâ minis ad ſua vota adducere, ut qui ſorori imperare poſſit.

Accerſitus Archombrotus ſiſtit ſe coram Principe, & plurima jactanti ſic demum ille; fruſtrà indomitum expugnas animum virginis aſſuetæ virtutis certaminibus, neque temporis viciſſitudine mutare, aut frangere invictam potes. Nunquid tu vero erubeſcéres, cum cæteris imperando par eſſe poſſis, imparem eſſe te libidinibus refrænandis, coercendiſque voluptatibus quæ ſtatim evaneſcent, inentemque conſciam ſceleris perenni ſtimulo lancinabunt. Delectat voluptatis jugum, quæ in naturam ſuûm quaſi Circe deprimit inſcatos illecebris; aut Lybicæ inſtar Lamiæ veneribus

neribus oris decipit incautos, deceptos allicit, allectos ſuffocat, lacerat ſuffocatos. Vide ne te hujus Syrenæ lenocinans carmen demulceat, nec ſecius quam Ulyſſes aurem obtura, ſic virtutis honos illibatus erit. Quid Nemeſin in caput tuum elicis titillantis lenocinio voluptatis cui diutina pœnitentia ſucceſſura ſit. Commiſſa ſcelera conſciam mentem & pungunt & angunt: unius admiſſæ voluptatis recordatione flammam jam pene extinctam nutriente. Oſtreas libenter Cancer depaſcitur; ſed quoniam impervia ſquammæ teguntur præſidio, expectat dum æſtu afflante ſitum in ripa explicent, Soliſque margaritarum artificis deguſtent ſorbeantque radios; tum os lapillo impediens ne ſe contrahant, per hiantes aditus ſecurus irrepit, cibiſque oblatis abunde veſcitur.

Ubi homo ſocordiæ ſe totum dedit, voluptatique mentem aperuit, mox ſuggeſto ſcelere tumens Genius malus perverſis incautum afflat imaginibus, quæ incitas accendunt libidines, vixque animum obſident cum ictu lethifero miſerum Lamiæ mactant, diſcerpunt, enecant. Ita ſumus comparati, ut adrepentis flammam incendii non ſtatim advertamus. Dilutum mero toxicum ſapit ebrioſo, quandiu lethifer ſopor guſtum fallit: Veruntamen videat ne ſitim pleno reſtinguens calice, vitam extinguat, fatumque propinet. Fugat medicina ſtultitiam, ſed voluptas ipſa ſtoliditate ſtolidior occæcatas mortalium mentes à rectæ rationis calle detorquet, ſenſimque remedii ſpem præcludit omnem.

Irritamentum violentius igni non eſt quam aqua ſuffuſa; libidini, quam ſota deſideria; deſideriis quam faſcinantes aſpectus: Brutorum ferocitatem mulcet adulatio, nec ſecius quam vox nutricis, incautos decipit: quam longe alia eſt mens impervia ſtimulis Cupidinis, non allidi, non vinci poteſt; tantus eſt illi voluptatis horror, & amor virtutis. Regis partes implet ani-

Digitized by Google

animus, quandiu illi bene eſt; vices ſuas obeunt cæte-ra, & ad nutum ejus flectuntur. Sed ſi vulnus vel tan-tillum Cupido ille inflixerit; ſi voluptas victrix le-gibus hunc ſubmiſerit ſuis, marceſcet illico vigor, lan-gueſcent conſilia, conatibus eventus deerit.

Habes in te Sacrum Virtuti Templum, nobilitatis, & juſtitiæ tuæ opus; an cœleſtem hanc ædiculam ſub-verti ſuſtinebis infamis voluptatis ariete; quam vindex Nemeſis nunquam patietur inultam. Deos, Deaſque teſtor, & quotquot aræ Sabæo thure fumant, id ſi pa-traveris, non impunè te laturum.

Hæc ſuggerebat ſtudium honeſtatis ſurdis auribus, & ad libidinem obſtinatis, obtundente duritie pecto-ris aciem eloquentiæ. Imo ritu Leonis qui hauſto melle ſævit atrociùs, ſic excanduit Princeps, ut quaſi ad Murænas exclamaret. Itaque miſſo liberto qui mi-nis virginem urgeret illiciis indomitam, hæc nocte concubia raptim per murum, comite Archombroto delabitur, in ſcapham opportunam inſilit, præciſoque fune ſolvit è littore. Sed ô fatum! Dum uterque Cha-rybdim hanc declinare laborat, in Scyllam incidit. Etenim Corcyram nondum ſalutaverant, cum Pira-tas inſulares toto niſu ad ſe remigantes proſpectant. Pugnatur acriter, ſed numero cedendum fuit. Hi præ-dâ hilares Archombrotum exutum opibus, & furen-tem in ripa Latii ſiſtunt, abductâ cum anu virgine, quæ percuſſa horrore periculi tentavit ſi quibus arti-bus pudorem illibatum poſſet tueri: Ergo ſe Veſtalem eſſe confeſsâ, nemo extitit qui inceſtuoſo eam facino-re adoriretur: conſilium tamen eſt, ubi longius iter emenſi fuiſſent, mittere virginem ſub coronam cum captivis aliis. Etenim ejus erat frontis quæ multo ære piratas ditare poſſet.

CAP.

CAP. XIV.

Archombroto, & Cyrthæa ab invicem diviſis. ad hanc accidit captivus adoleſcens, qui narrat mœſtæ virgini ſuam ſortem; patriamque docet, ex qua per inſidias circumventus fugerit cum matre, utque in piratas inciderit.

Cyrthæa captiva multiplici gemitu, & lachrymarum indefeſſo miniſterio ſortem ſuam utcunque levabat. Sed nec ipſi illi defuere ſortis ejuſdem ac mœroris comites, prius à Piratis ſupra mare capti. Inter alios adoleſcens dotibus corporis eximius, ſed ingenii magis lepore præſtans ad illam acceſſit, & illa familiari ejus colloquio tantillùm delectata optavit non ignorare nomen, genus, patriam, & modum quo in Prædonum manus veniſſet. Cui Adoleſcens, Circa Heſperidum inſulas fortunatas ego patriam ſortitus ſum, quæ in amœniſſimos montes, quaſi tot propugnacula aſſurgit gratiſſimè, & validiſſimis caſtris munita Oceani fluctibus incaſſum alliditur. Hanc à Præſide regi mos invaluit, ex quo Reges vicinorum potentibus armis domiti, & alieno jugo ſubditi paulatim regios titulos amiſere. Seditioſis porro ſic eſt vicina populis, ut indigenæ obſidione quaſi perenni cincti aſſiduas agant excubias. Nam qui deſidiæ amor cæteras gentes emolliit, hæc iſtos ad bella duravit.

Meus pater uti avorum qui Reges fuere, gloriâ, ſic & propria laude conſpicuus hujus provinciæ Præſes, & Gubernator fuit, ac legionum ſtrenuus Imperator. Prolixior ſim ſi per egregia illius facinora excurrero. Unum eſt ſatis ad nominis illius commendationem ſempiternam: quod pro Rege ſuo, forti ſemper & intrepido Marte dimicaverit, quod nunquam capitis ſui diſcrimina declinaverit, neque ullis præmiis adduci à factioſis potuerit, ut ab eo deſciſceret, ne quidem poſt funeſtam Regis ſui necem, ſtupendam orbis toti, tragœdiam,

Attamen eo loci nihil tutum à factioſorum armis & inſidiis. Stat Oceani trajectione ſecuritatem in regnis exteris quærere, & poſt tot errores terræ, maris beneficio aſylum perluſtrare. Navis ergo inſtruitur, & armamentis, imo auro multo oneratur. At Pater prolixiori mora indigens, navigationi ſuæ multo plures naves adornavit.

Matri meæ ſolventi, & alto mari jam creditæ deſiderium inſidebat navigandi ad Batavos: ſed pater cogitabat in Gallias, quo ſe ſuoſque Regi offerret. Ergo mater conducto navigio ſecundo primum amne defluit uſque ad oſtium quo ſe ille amnis in Atlanticum mare devolvit. Ibi omnes in capaciorem navim ſupellectile multa jam onuſtam conſcendere & ſolvere è portu maritimo auræ ſubſidio leniter ſpirantis, ſenſimque oram legere. Sed vix Oceanum Cantabricum attigimus, qui Iberos inter & Ibernos medius eſt, cum tria piratica navigia à fronte occurrunt. Piratæ vela ſubmitti jubent, & quotquot viri eſſent in noſtra navi, eos ad ſuas tranſmeare. Quibus ubi eſt obtemperatum, hi hoſtilem in modum continuò debacchari, ſcrutari omnia, & expilare, nec ipſi parcere imbelli ſexui. Attamen hi cum ad matrem veniſſent, in ſponda jacentem, illa ſubito aureum numiſma, patris mei effigiem, pera extrahens, ſinu occultavit, peraſque piratæ obtulit excutiendas, Sed illi attriti reverentia illuſtris matronæ, eâ relictâ ad me ſe convertunt, exutum veſtibus perſcrutantur, & ſpe lucri nihil non retegunt aut intentatum relinquunt,

Erant iſthic cadi ſuperimpoſitis pulvinaribus obvelati, & in aliis quidem aurum multum, in aliis vero aqua ex vino vaporata. Ergo illi Lapitharum, & Centaurorum more compotare; ſed quo magis ſtudent ſitim frequenti hauſtu reſtinguere, eo plus ardebant fauces, potumque provocabant; neque deliſtunt à potu Poli-

Digitized by Google

pater in fugam verterat, nos noſtramque navim abducunt per fretum Herculeum in oram Lybiæ, ubi mater partim mœrore partim erroribus maris impatiens navigii facta eſt, dum redemptionis noſtræ pretium ad Pyratas à patre mitteretur. Porro ego Ducem illorum ſic demerui ut me propriæ prolis loco habeat, neque velit me ab illius latere abduci. His verbis mœſtam ille adoleſcens ſolabatur, Præfecti navis extollendo comitatem.

CAP. XV.

Archombrotus Æthiopiæ Regis filio cum forte occurriſſet, & miſeram ſortem illius audiviſſet, promiſſa opera ſua, & data acceptaque fide hoc comite utitur ad quærendam Cyrthæam per Lybiæ littora.

TUm Cyrthæa ſic agebatur, dum Archombrotus non procul à Parthenope occurrit Juveni qui ſe Æthiopum Imperatoris filium aſſerebat quidem, ſed arcitum ſolo profugum errare, & ad necem cum quæreretur, conſilium demum fuiſſe in Italiam enatandi. Is quanquam rei familiaris feciſſet naufragium, diuturna tamen deſperatione rerum obduruerat animum ad dolores novos. Mirabatur Archombrotus quod ille ab Africa patria tanti candoris vultum attuliſſet, non enim reflexa tumuerant labra, non coacti in orbem oculi ſub frontem receſſerant. Ille ubi conciliavit ſibi Archombrotum, hic ſibi advenam ad quærendam Cyrthæam, quia Lybiam totam cum interno mari profugus ipſe luſtraverat, adjungere cogitavit. Cum igitur Siciliam ſuam, vel Galliam affinem ei aſylum obtuliſſet, rogaſſetque ne ſe pariter profugum deſereret, ita eum eſt ſolatus; Tu fac animo forti, magnoque ſis, ſpereſque fore, ut fracto impetu barbari tuam priſtinam dignitatem & gloriam conſequare. Illuſtrabit mihi crede amplitudinem tuam hominum injuria.

Dux tibi & author erit Juppiter, atque eorum ventorum quò propoſuiſti moderator, qui res tuas non modo fortunabit; ſed à quo etiam domitis rebellibus, novæ tibi acceſſiones fient & fortunæ & dignitatis: præterquam quod habet præteriti doloris ſecura recordatio delectationem.

Dicentem Archombrotum Æthiops ita excepit: ſi fuiſſet in his fides, in quibus ſumma eſſe debebat, minime laborarem & ego graviſſimas injurias communis concordiæ cauſa voluntaria quadam oblivione conterem. Quis porro eas cogitando poſſit aſſequi? Superior Æthiopia mihi patria eſt, & legitima hæreditas: nomen Zaga, nec eſt quod mirum tibi videatur me, quanquam ſatis candidi oris, ex aduſta gente oriundum, ex illorum enim genere ſum quos Sabæa mixta Syris edidit. Ego inquam filius Regis in Merovæa Inſula, regiæ ſobolis domicilio & ſchola, liberalibus diſciplinis inſtituebar, cum Sacrilegus quidam conſanguinitate qua illi junctus eram, abuſus ad facinus, emendicatis undequaque turmis, vaſti primum Imperii fines depopulatur, deinde expugnata regia urbe Amara duplicato facinore parentem meum cum virtutum omnium laude imperantem adoritur, cæſoque ſuccedit ad clavum. Ea res per matrem ad nos delata utriuſque ſobolis præcordia ingenti dolore concuſſit. Erat mihi dolendum quod inimicum patriæ cives ſic amplexabantur, ſic fovebant.

Verum cum inclinata res eſſet, ſaluti conſulentibus in mentem venit aſylum quærere: & frater quidem, qui in eadem erat navi, & nauſragio proximus ad inferioris Æthiopiæ Regem divertit: ego verſus Aquilonem flectens, ut fugerem domeſticum ſcelus univerſam pene excurri Lybiam, toto triduo paſſim latebras & diverſorium luſtrans, donec egreſſus è paternis finibus ut ſum rerum antiquarum ſtudioſus, vetera monumen-

numenta ac rudera celebravi, Ammonis ſortes, rupem Auſtro ſacram, & fontem Solis rigentem meridie, nocte ferventem: nec omiſi Cephæi & Caſſiopeæ: Perſei & Andromedæ: Atlantis, & Alcidis monimenta; ſuperſtiteſque relliquias vidi & oppidum, perantiquum Anthæi opus, non procul à freto Herculeo: hic oblata mihi eſt ejus parma ingens nec ullius uſui habilis. Tum ego plagam emenſus ſum quæ ſpinis piſcium, muricum fragmentis ſparſa erat. Adhuc infixæ cautibus erant anchoræ; aliaque occurrebant veſtigia effuſi quondam uſque ad ea loca Oceani, priuſquam Hercules nexos olim perpetuo jugo montes Calpen & Abilan, inaudito labore diremiſſet.

Non ita procul ſeſe obtulere labyrinthi Pſammetichi rudera ubi quondam domus mille, regiæ duodecim perpetuo parietis marmorei ambitu. Poſtea Thebas ſucceſſi centum portis inſignes. Ibi Gymnoſophiſtæ conſuetudine uſus ſum qui Ægyptios non vetuſtiſſimos hominum modo prædicabat, verumetiam trecentos & triginta Reges ante Amaſim ſupra tredecim millium annorum ætates imperaſſe: quater curſus ſuos ſidera vertiſſe: Solem bis occidiſſe ubi nunc oritur affirmabat: Vidi & Aſcalonem, & Joppem, ubi Cepheum regnaſſe eo ſigno accolæ aſſeverant, quod titulum ejus fratriſque Phinei veteres quondam aræ cum religione retinebant. Tum Phœnices prætergreſſus ſum, gentem ſolertiſſimam, & ad belli paciſque munia eximiam. Placuit poſtea Lyciam permeare licet infeſtatam Chymeræ ignibus: Caſpias quoque & Armenias pylas: Olympum & Acheruſiam aditum Cerberi. Denique cum pigeret nullibi terrarum tutò poſſe me conſiſtere, anchoram ſolvi, & continuo tractu relicta à tergo inſula Cypro, ad dextram vero Creta Ecatompoli, & Peloponneſo, ad Corcyram inſulam, deinde Otrentum in ora Italiæ appuli: tum in Apu-

liam, mox Parthenopen veni, ubi te mea fortuna obvium mihi dedit.

Poſtquam Archombrotus Æthiopi opem ſuam eſt pollicitus, ambo Cyrthæam quæſituri alto mari ſe credidere, emptis prius vitæ commodis, ex gemmis quas in ſinu veſtium Archombrotus occultarat; & armis acceptis quibus ad manus venire poſſent ac vincere, ſi forte Pyratis raptoribus occuriſſent, quos oram Lybiæ legiſſe, & verſus Ægeum mare curſum flectere fama erat. Porro navigium illud quod conduxerat, & mira celeritate præſtabat, ſuperabatque ventos, & vectores habebat ad Martem impigros, atque ad omnia pericula contumaces. Addebantque animos cùm ſpes ingentis prædæ, tùm viri fortiſſimi ac liberaliſſimi promiſſa ſacramento merces, poſtquam nobiliſſimam virginem inveniſſent: Erant enim pares ad ſpem victoriæ.

ARCHOM-

Digitized by Google

ARCHOMBROTI ET CYRTHÆÆ
SIVE
SECUNDÆ PARTIS
ARGENIDIS
LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

ARGUMENTUM.

Timandra de Archombroto, & Cyrtheâ ſuâ anceps ac dubia venit in ſuſpicionem inſidiarum Autolyci. Timonides reditum adornat in Siciliam, & Ixiobatem Legati vices impleturum huic comitem adjungit Timandræ. Ille ubi legatione ſua defunctus eſt, Argenis audito caſu Archombroti deſpondet; ſtupet Meleander. Impetrat tamen illa à patre facultatem petendi Gallias, quare Poliarch. Pyrrhicam inſtruit, dum ſalutis Archombr. & Cyrth. ſpes aliqua affulget.

ATTONITA Timandra quod nulla neque de Archombroto neque de Cyrthæa ſua vel leviſſima aura ad ſe perveniſſet, de utriuſque ſalute actum putat. Enim vero etſi de parta Archombroto laurea, & filiæ libertate prius receptâ, certior facta eſſet, ſuſpicandi tamen erat locus in inſidias ab Autolyco in dolos artifice comparatas iterum eam offendiſſe.

Neque minus Timonides de Archombroto ſuo angi cœpit. Nullus eſt apud Celtas locus quem veſtigando non perluſtret. Dumque Regina nullius conſilii patiens eſſe poteſt, Timonides irritas eſſe dudum tot circumitiones eſſe intelligens, Siciliam repetere ſibi ſecurius fore æſtimavit. Itaque ad hoc iter cum Reginæ venia accingitur. Verum qua fronte ille ſe

Meleandro & Poliarcho Regibus, Argenidique ſiſtere audeat, dum Archombrotum cum Cyrthæa miſera perditum audient? Vix Euripus ſæpius quam illius animus fluctuabat. Multa tamen ad remetiendum pelagus eum impellunt. Quare Timandra comitem ei junxit Ixiobatem, qui legati vices obiret (nam Andropiſtus de via nondum convaluerat) ut Poliarchi navigationem in Gallias maturaret,

Nullam res moram paſſa eſt, & terra marique dum Archombrotum & Cyrthæam quæritant, in Siciliam applicant. Stupet ad repetitam legationem Poliarchus & ad Timonidis reditus tam celeres omen captavit. Cui Ixiobates, Salutem tibi, inſit, & Argenidi tuæ centies repetitam Timandra tua mater impertit, Princeps ſereniſſime, tuamque dextram enixè implorat contra factioſorum invaleſcentem nationem, & Autolyci flabello excitatam, quæ ut imperiis ejus aſſueſcat & jugum ſuum patiatur, ſublevatur ab eodem oneribus ac tributis. Demum Tyrannus quibus poteſt beneficiis plebem demeretur, quam deinde ambitioſiùs opprimat: vix Regis nomini parcit, omniumque invidiam in te retorquet.

Aderat Argenis, & Autolycum execrabatur: verum poſtquam dicentem Timonidem illa excipit, imprimis vero Archombroti & Cyrthææ caſum, vix compos animi eſſe potuit. Quam ubere lachrymarum imbre manibus utriuſque parentavit, quam crebro ſingultu niveum pectus ſuum quaſſavit! Illa ubi æſtu ac dolore fugientem ſpiritum revocavit. Dii vos, exclamat, veſtramque fidem! Ideone fratrem in Gallias dimiſi ut loco ſponſæ fatum quæreret. Vivis an jaces Archombrote! ſi vivis; ubi gentium? Jaces? quanam tuum cadaver extremis decorandum honoribus reperiam? Et tu Gallici orbis delicium, Siculorum expectatio, unica ſoror; ubi lates, & qua terrarum te-

quæ-

quærimus? Ego, si ambo estis super, altaria donis cumulabo.

Rex Meleander in dies expectatur, sed quis tam feralis nuntii bajulus esse auderet? qua mente Rex filii, quem nunc primum agnoverat, iniquam sortem acciperet? omnia inhorrescebant, sed maximè à Regis Meleandri reditu, qui à nemine lachrymas ad hos eventus non extorquet. Nempe insit Meleander nobis solertissimè, ista silueras, solam Regnorum Regumque fortunam prænuntians Aneroeste. Et ille de Deorum clementia nondum plane desperandum: Jovemque temperaturum istas rerum alternatas vices.

Poliarchum interim tædebat navigationem diutius procrastinare eò rerum imperium deveniisse intelligens. Æstuat tamen incertus animus; hinc timet Argenidi, inde negat se quidquam parentis officio præversurum. In illo bivio sponsam consulit, quæ plus satis instructa adit parentem, & aliquantulum delinito significat, quanti sit momenti incendio Galliam devastanti succurrere, maximè cum factioni non pauci studeant procerum, qui post moram diuturniorem invalescentes simile audebunt facinus in caput Regis sui Poliarchi, quod nuper in Aneroëstum moliti sunt, & excusso jugo sui juris esse volent. Etenim uti populi mentes non raro avertit à debito cultu absentia principis, ita præsentia illius novis quasi stimulis excitat ad obsequia, temperata conversatio amicitiam nutrit, immoderata contemptum. Adhuc sub pellibus miles est, qui sic dividetur, ut altera pars ad præsidium Siciliæ hic stativa habeat, altera vero instantibus Autolyci furoribus opponatur. Denique & pro se ipsa paucis illa peroravit, quatenus à Poliarchi fui latere non recederet.

Annuit quamvis ægrè Meleander qui se orbum & filio Archombroto, & Argenide filia vix ferre poterat.

Ab Arſida, Eurimede, Cleobulo, quos ad id negotii coëgerat, in idem conſilii itum eſt. Ubi Poliarcho innotuit; diſceſſui quoque Argenidis Meleandrum aſſenſum eſſe, inſperato gaudio mœrorem quam libens deterſit. Quidam rumor allatus à nautis viſam eſſe in ſcapha virginem ipſis gratiis gratiorem cum juvene, cujus frontis ſerenitas haud degenerem probabat, & in Siciliam curſum flectere percrebuit, is rumor quamvis incertus doloris tamen aliquid permiſit remitti.

Dumque Meleander naves expediebat Archombroto ituras obviam, jamque flexo in lætius ore bene ſperare cœperat; Poliarcho, antequam è Sicilia diſcederent, enaſcentis gaudii ſignum velut omen edere placuit, & ludicrum inſtituere, cujus argumentum ludibundi Cupidines excuſſis ad cytharam ſagittis in coronam diſperſere.

Manes tacitos adit
Orpheus feriens Chelyn
Conſumptas iterum Dea
Supplent Euridice coles:
Sed dum reſpicit immemor
Cantus præmia perdidit.
Tum ſolamina cantibus
Quærit flebilibus modis.
Ad cantus veniunt ſuis
Ipſæ cum latebris feræ:
Cæſum à Manadibus parens
Triſtis Mnemoſyne gemit.

Vidiſſes ipſos Manes ſui oblitos ſupplicii, cum Tytio atque Tantalo tripudia ad concentum Lyræ miſcentes; Siſyphum rotam volventem ad numerum; Inferos Deos Judiceſque de ſolita ſerveritate non nihil remiſiſſe & pyrrhicæ ſe adjungere: Cerberum, hydram aliaque Tartari monſtra ſubſultando ſequi. Imo ipſum relicta cymba Charontem ſubhorridum juveniles in ſaltus

ſaltus ſic attolli, quaſi Medeæ artibus ſenectæ pondus depoſuiſſet: Denique totum Erebum cantibus Orphei pellectum trahit, atque ipſam Stygem retrorſum fluere, & quaſi gaudio obtorpere.

Meleandri curas Mimus iſte ſic lenivit ut ad iter in Gallias aggrediendum quamvis ſenio gravis eſſet, aſtringere ſe non dubitaverit, ſtatim atque ſoſpitem Archombrotum eſſe certiori nuntio acciperet.

CAP. II.

Poſtquam credidere ſe pelago Poliarchus & Argenis, portum ſalutare videbantur, cum in Ibericum mare jactantur: ſed dum quaereni Argenidi indoles gentis exponitur à Poliarcho, ingens tempeſtas improviſos excipit. Tempeſtatem ſequitur certamen cum Piratis, quod cum diu dubium fuiſſet, Heroës quantumvis ſtrenuè dimicantes in poteſtatem venere piratarum, quod eſſent impares numero ad victoriam.

INterim omnes vaſa colligere, & ad naves commeatus advehere: tandem ſalutato cum mutuo fletu patre, Argenis cum Poliarcho ad littus contendit, & ſideribus adoratis navigium intrat. Secundo mari primum defluebant medium jam iter emenſi, & ad Phocenſium portum brevi jacturi anchoram, cum naves alias ad Ibericum ſinum procella detorſit, alias in Sardiniam applicare coëgit, donec deſcenſum Regis in Galliam reſcirent vectores ad arma ſemper parati.

Rogabat interim Poliarchum Argenis quænam eſſet iſta regio, quantum à Galliis diſcreta, an ſoli genio ingeniorumve fœlicitate Galliam ſuperaret: Cui Poliarchus: hæc ora ab Ibero amne Iberia dicta cùm ob armorum virtutem, tùm propter gloriam litterarum, poſt unam Galliam cæteris orbis imperiis ſuperior eſt. Purus eſt & incorruptus cœli tractus nec auſtrinis obnoxius æſtibus nec borealibus objectus frigoribus, hinc Pyrenæis jugis à Gallia diſtinguitur, iſtinc Herculeo mari ab Africa & Oenotria ſecernitur. Non

hinc procul celebratur Valentia propter ædificiorum numerum intra vel extra pomœrium, aliæque non paucæ quæ Galliæ noſtræ urbibus gloria vix cedunt. Porro robuſtum eſt hominum genus laboriſque patiens non quo arva coli ſolent, aut artificia procurari, verum in belli ferendis incommodis. In ſuſceptas ſpes pertinax animus eſt. Reconditæ mentes ſunt & ad conſilia idoneæ. Verborum pompa ſupra cæteros ita ſe efferunt, ut generis claritate & opum redundantia illuſtres omnes putaret qui populi genium non exploraſſet.

Adhuc in ore erat dictio cum crebri fluctus inquieto jam mari navium proras ac latera pulſavere; ſpiſſæ etiam tenebræ lucem ſuppreſſerant. Subduxere vela nautæ, ſed eorum miniſteria decumano fluctu occupantur. Jamque in medio vortice intorta Poliarchi prætoria navis & gubernaculi impatiens ſic oblique agebatur, ut anceps periculum appareret, & emoriens natura defeciſſe videretur. Ergo ingenti certamine concitant remos, ſed navigia in latera procumbunt. Ominabantur extrema omnia, unius Poliarchi invictum animum pericula non obruere, licet aliquas naves tempeſtas disjunxiſſet.

Pene ſubſederat mare cum ad oram Africæ maritimam jactatos turbine ingens piraticarum navium ſylva, tempeſtatis reliquias quærentium improviſo eos adorta facinore circumſeſſit. Horum tetet aſpectus terrorem auxit, nam frontem atrox & atrocitas obſidebat. labra reflexa tumuerant, oculus ſub horridum ſupercilium receſſerat.

Jam prædo tumultuario impetu confluere, jam naves collidi, roſtriſque arietare: Poliarchus indignatione periculi motus manum conferre lymphato ſimilis, nam ipſa pro ſe pugnabat ſaluris atque pudoris deſperatio: vix ſegnior ad Martem erat Gelanorus cæteri-

terique ex tempeſtate ſuperſtites : & jam prædonum quiſque certabat elabi victori donec Anteſignanus milites ſuos jam deficientes ſpe inanubiarum ſic erexit, ut ſtatim illi majori cum ardore luctari cœperint, donec ad eos Mars hactenus dubius inclinaret. Jam ægrè corpus grave vulneribus & poplitibus vix exceptum Poliarchus tuebatur, cum unum prædonem gaudio alacrem ad ſe ſuamque Argenidem advolantem videt. Ergo ille dedecoris ultimi diſcrimine linquentem animum revocans graſſatoris latus ſubjecto mucrone hauſit.

Gelanori fides hic imprimis enituit dum tribus confoſſus jaculis non ſe tamen, ſed patronum ſuum protegebat, donec è vulneribus magna vi ſanguinis emicante, ſimilis exſpiranti arma dimitteret adeo reſolutus, vix ut ad divellenda tela dextra ſufficeret. Tum Argenis Poliarchi, & Aneroëſtus Galanori corpora gravia vulneribus veſtium ſinu excipiunt : verum ſuſtinendo jam impares piratæ invadunt, ſatis ſtupentes, quod imbellium manus exauthoratis tandiu reſtitiſſet.

CAP. III.

Heroës in lembum piratarum dum rapiuntur, Argenis queſtibus locum implet, quibus ſedandis non Poliarch non Aneroëſtus ſufficiunt. Fors tamen obtulit eis unum ex nautis natione Gallum, qui expoſitis ſuis caſibus bene ſperare eos jubet, ſimul ad Navarcham deducit. Sed & ipſum Navarcham eſſe Archombrotum ſtupet Aneroëſtus, mox & alii : denique inter convivandum narrantur utrimque fortuna & caſus, donec ad quietem diſcedatur.

NOx erat & priſtinæ tempeſtatis reliquiæ tenebras ſic auxerant vix ut ipſi prædones in captivos intueri, non captivi in hoſtes potuerint. Heroës in lembum rapti, cuſtodiæque ſtrenuî ducis crediti ſunt, qui & ipſe habitum ad Aſiorum morem compoſuerat.

Arge-

Argenis neſcia quo vota verteret, continuo cœlum ſic incuſabat; quanta eſt inclementia tua! egone ſolo natali avulſa, inconſtantis Neptuni jactata furiis piratis data præda ſim, & gratum celeuſma quaſi canens peream in portu nauſraga? Qui tandem ærumnis modus? mors? grata quidem ea fuerit, ſi pudore illibato, ſimul illius pectus inundavere lachrymæ, atroxque ſuſpirium animum pene ſubmovit.

At Poliarchus ſpem quidem vultu ſimulans, ſed altum premens corde dolorem, quid, inſit, intempeſtivo queſtu cœlum laceſſis, ô mea Argenis? quid nil profuturo gemitu pectus diducis? putas tuum caput & pudorem ſuperis curæ non eſſe? abſit hanc mentem induas; non eæ ſunt cœleſtibus iræ. Hos potius ſpera virtutis tuæ memores.

Aneroëſtus in primis inſueta eſſe principibus fortunæ ludibria ſciens, cedentem fatorum moli Argenidem quibus poterat verborum lenociniis & argumentis erigebat, docens eam eſſe rerum viciſſitudinem nihil ut ſibi conſtet; fore ut exundanti nimbo ſuccedat Phœbus; non ſic obſtinatam eſſe Deorum iram, ut ſupplicum votis non aſpirent; induratos malis animos placere ſuperis; hac via heroibus cœlum patuiſſe.

Unus ex nautis & ipſe Gallus ad vernaculos ſermones obſtupuit, Galloſque hos eſſe conjiciens: ſic eos demum occupat, parcite luctibus, Gallia vobis natalis terra eſt: abunde eſt, ſed quæ tandem Galliæ ora? Poliarchus in ea plaga ſe lucem hauſiſſe retulit, quæ Rhodano, Alpiumque jugis clauditur; antiquam ſe quærere patriam, quam ô ſi Dii! nauta interfatus & mihi quoque Gallia natale ſolum eſt: in Dordonæ, & Garumnæ confluentibus non ignobilem ſortem ſortitus ſum. Tum afflictis quidquam ſpei eò calamitatis affulſit, pluraque audire libuit. Quibus ille; Pater ſexagenario major erat, ſed cui vivaces adhuc vige-

bant

bant oculi, firmus inceſſus, robuſti artus, denique vir erat ſupra ætatem fortis, & qui non breviorem quam Neſtor ætatem ſibi arrogabat. Is puellam juveniles annos vix ſalutantem uxorem duxit; illa me ad facinus atrox, quod numen avertit, impellere auſa eſt. Irritaſque intelligens ſuas eſſe blanditias, & ad minas ſe convertens ingerebat identidem, niſi ſi ego ſuæ libidini obedirem, in exitium Hyppoliti me brevi eſſe trahendum, denique de geniali thalamo tanquam inceſtuoſe violato me apud patrem delaturam.

Ego intempeſtiva pertinacia timui accendere obſtinatam: ſatis fuit fugiendæ libidini ſpatium impetrare. Interea furtim me ſubducens in navim conſcendi Oenotriam quæſiturus, dum libido novercæ exſæviret. Verum in altum jam ſatis provecti in hos piratas offendimus, & poſt levem velitationem nimium impares ad ſpem victoriæ, dedimus manus, & collum catenis ſubjecimus. Attamen dii meliora: cum enim navarcha, cui piratarum dux lembum hunc credidit, me Galliam patriam habere audiviſſet, non mora remigio me ſubſtraxit. Subdidit Gelanorus, num & ipſe navarcha eandem patriam nactus eſſet? Nequaquam, inquit, patriam eandem; at ſi qua fides, magis Siciliam; hunc vero non ignobilem eſſe frontis ſerenitas prodit, quæ piratam & ipſi propitiavit.

Navarcha intentus hactenus piratæ conſiliis de captura inſtitutis, nondum oculos in captivos verterat, cum Poliarchus inito cum ſuis etiam conſilio Aneroëſtum ad hunc conciliandum ſub nautæ Gallici auſpiciis legat. Jam ille piratæ colloquio defunctus recipiebat ſe in thalamum corpus curaturus, cum Aneroëſtus oratione illa eum aggredi parat. Attamen vix in conſpectu ſtetit cum utriuſque primum oculus immutari cœpit, & modico tremore ſenſim errare. Navarcha ubi ſe collegit à Myſtæ venerando cultu ac vultu, ſubito

bito quasi monstro defixus hæsit rogans num is esset Aneroëstus? & iste, quanquam habitus navarcham ignotum prima fronte feciſſet, referre num & ipse Archombrotus? Cui navarcha vix suis satis fidens oculis, ubi ergo Poliarchus, ubi Argenis, & cur ab illis sejungeris? Aneroëstus, in eadem, inquit, sunt navi. Hic majori stupore navarcha obtorpere, ire deinde in amplexus fortunam adorans, veruntamen silentium utrique imperat, jubetque captivos adduci.

Hi succedunt in thalamum familiariterque colloquentem Aneroëstum stupent, & Archombrotum in peregrino habitu ad se erumpentem. Is stupor primum linguam utriusque ligavit, quam Archombrotus mox ita resolvens: Quis te Deorum, ô frater inquit, in hanc oram advexit? deinde ad Argenidem tota corporis mole irrumpens, ô soror addebat, an fata incusem, Deosne collaudem qui nos. Simul abit in lachrimas quas tùm fatorum insolentia, tùm gaudium in hoc occursu conceptum extorquebat: denique Gelanorum & obvios quosque amplexibus & osculis salutabat.

Dum cœnula more nautarum à luxu remota instruebatur, sedentibus in Archombroti cubiculo Heroibus, postquam Poliarchus discessum suum ex Sicilia expositi, quem secunda primum aura, deinde atrox procella excepit, postquam errores suos, naviuin divisionem, & imparem cum piratis pugnam paucis evolvit; Archombrotus ipse vicissim sortem suam primum dolere quod in consanguineos pro pirata bellare, licet imprudens coactus esset; deinde sua, & Cyrthæ suæ fata non sine mutuis lachrymis recensendo complecti, quibus postquam litatum est sacris, percontari libuit, quonam insolito fato ex captivo, navarcha Archombrotus evasisset. Et Princeps, suspicatus, inquit, piratarum dux ex supercilio, ut ipse mihi jactavit, nobilitate gentis & mentis me illustrem esse, tametsi genus

nus fucatem; neque me ab innata claritate fore degenerem judicans, huic lembo me præfecit, donec ſedata hieme, ad optatum portum volentem eveheret, ſubdebatque, non ſe laboraturum in obtinenda captivis perinde ac ſibi diſcedendi facultate.

Interim oblatis dapibus veſcuntur ad arbitrium, quas labores, priſtinaſque curas repetendo condiebant, vixque quidquam fœlicitati convivantium defuiſſet, ſi una Cyrthæa adfuiſſet. Hic unus dolor, hoc unum vulnus. Sed Aneroëſtus in meliorem ſpem eorum mentes identidem erigebat; quanquam ille non eſſe hîc metam laborum præſentiret, verum eò jucundiorem exitum fore canebat, quo graviora cum Uliſſe, ac Ænea maris, terræque pericula exantlarent: remotis menſis ad quietem & ad inſtructos juſſu navarchæ lectulos penſiles quiſque ſeceſſit.

CAP. IV.

Pirata adductis ad ſe captivis contabeſcit amore, ad vultus Argenidis, tranſmiſſiſque aliis in aliam triremem, hanc retinet uno adjuncto ipſi cum ancillis omnino duabus Aneroëſto ad fletus detergendos: Conaturque illam ad amorem ſui pellicere: ſed illa votum & ſacerdotium nondum expletum fingens ſervatur in antro littoris Lybici dum ad novam prædam advolabat prædo; ſed ipſe vincitur, dumque victorum in manus veniunt Heroës facile impetrant libertatem, & per Africæ oram Argenidem quærunt.

AUrora poſteræ lucis proximum eſſe ortum Solis vibrantibus jam radiis admonebat, cum piratarum dux è ſomno lectuloque emergens Archombrotum commiſſoſque curæ ſuæ captivos ex lembo ad navim ſuam accerſivit. Poliarchus, Argenis cultu tumultuariè compoſito prædonem propitiare ſibi properant. Is intentis oculis Argenidem luſtrans ſic ejus amore contabuit, ut cæteros in libertatem non dubitaret aſſerere, modo hæc una in manus ſuas veniret. Negabant principes poſſe ſe hac abſente diſcedere; Argenis vero diſcru-

diſcruciabatur animi, facinuſque atrox decoquebat. Verum ad mœſtitiam compoſiti coguntur in aliam triremem migrare; Argenis vero cum ancillis omnino duabus ad obſequium deſtinatis remanere, vix Aneroëſto ad detergendos dolores impetrato.

Ex illo Argenidis imago mentem Piratæ ſomniantis, vigilantis oberrabat, & clarioris mentita proſapiæ argumenta ingerebat: quare aliud nihil niſi conjugia, niſi amores iſte dux piratarum loquebatur. Illa ut invitos hymenæos eluderet, aſſenſuram, ajebat, ubi ſemeſtre ſpatium, abſolvendo Palladis, cui initiata fuerat ſacerdotio effluxiſſet. Poliarchus interim ſuam, & Argenidis ſuæ vicem dolebat, fortunæ æſtuariæ, & ſtellione mutabiliori maledicens; contra Archombrotus ſpem brevi recuperandæ libertatis cum Argenide ſubjiciens, mœrori illius tergendo incubabat.

Viſa tum claſſis eminus in Inſulam Cyprum deflectens; accenſus igitur prædo, & accinctus ad manubias ad proximum Africæ portum navem remigio applicuit. Erat ſecus Lybicum littus in declivi collis antrum obſitum rupibus tophiſque ſtratum, ubi veſtitas teſtudine aulas artifex natura effinxerat, opportunam naufragis ſtationem. Illo incluſam ſpecu cum comitatu Argenidem viſum eſt prædoni aſſervare, ne quis eam ſibi ſubſtraheret; deinde flexit ad claſſem pugnam adornans. Argenis in illa nocte caligans non ceſſabat tenebras & ſitum carceris ſuo augere luctu, quæ tamen oris veneribus, & oculorum radiis illuſtrabat, his lamentis, quorum teſtis auritus, & oculatus Aneroëſtus erat, ipſas pene rupes emolliens, quare ipſe vates hæc carmine traduxit ad poſteros.

Sic ubi pavit avem tabo ſtillante Prometheus
Incuſat tarde funera longa Dea:
Crudeleſque vocat Parcas, crudeliaque aſtra
Infernique ſitit flumina lenta vadi.

Quem

Quem mihi namque animum certi ſub imagine lethi
Eſſe feras inter, duraque ſaxa putem.
Non mihi Sol lucem, non affert Cynthia ſomnum;
Feſſa licet refugit membra levare ſopor.
Mi ſine Sole dies, ſine Luna & ſydere noctes,
Jamque ſuperſum animæ corpus inane meæ.
Tantum unum lapidem molitur Siſyphus, una
Ixion fertur, diſtrahiturque rota;
Nec plures refugas allambit Tantalus undas
Plurave deluſo gutture poma petit.
At ego longævos duco in ſuſpiria Soles,
Idem mente ſedet nocte dieque dolor.
Hìc terris, hìc luce carens, hìc æthere caſſa
Inter mille metus funera longa traho.
Ergo qui Stygii tormenta tuliſſet Averni
Duceret illa meis eſſe minora malis.

Argenis alterum jam diem ſine alimentis trahebat, cum à fido in paucis Aneroëſto paſſa eſt frangi pertinaciam ſuam, oblatiſque cibis vires excitari. Interim harpagine in peregrinam navim injectâ tam atrox utrimque prælium motum eſt, ut prædo vix unam è ſuis navim ſuperſtitem poſſet furori Bellonæ ſubducere, captis nimirum cæteris, & in Cyprum deductis, in quibus & ipſum Heroum par Poliarchus & Archombrotus unam dolebant Argenidis abſentiam, cujus deſiderio Poliarchus tabeſcebat. Sed illum Archombrotus adeo majora promerenda ſuperûm beneficia, quò libentius animus horum acquieſceret nutibus, mœrentem comparabat, aſſerens cœlum non omnia ſimul munera depluere; ſed ex minoribus eos majora auſpicari.

Inito ſimul conſilio de perluſtranda Argenide, peregrinæ navis præfectum adeunt, ſe non prædones, ſed Gallos & Siculos profeſſi, quos adverſa fors captivos fecerat: nam ſi pro virili dimicavi, inquit Archom-

brotus, feci quod eſt ſtrenui Ducis, cui navigii cuſtod credita fuerat. Non ægrè petitioni Præfectus annu in captivorum fronte legens indicia fortunæ amplior Recuperata libertate remigio radunt Africæ littora qu piratæ flexerant, Zagâ Æthiope viam auſpicante. Se dum oram illam legunt, quâ Nilus per oſtia ſeptem i mare Carpathium labitur, ſubito tumultu Hippopod immenſæ molis è profundo emergentes, quotquot r pere poterant, eos in omnium oculis miſerabilem in mo dum devorabant. Moxque multo majori globo mon ſtrorum ſpe ſubeundæ in eſcam prædæ amplioris unda efferbuit. Tum omnes in eorum capita jacula contor quere, ut vel ſic repulſi jaculis fugari poſſent.

CAP. V.

Luſtrantes Africam Heroes dum ad fontem artus refecturi diſcumbunt, feris belluis obniti coacti ſunt. Stupent quoque ad ferinam gentem, & Zaga Æthiope duce totam plagam percurrunt deſiderio Argenidis.

AD Africæ ſolitudines arenoſas appulerant, quæ peſtifero animantium halitu infeſtantur. Jacta anchora anfractus omiſere nullos, abrupta nulla, aut ſpelæa; ſed nullum hactenus Argenidis veſtigium. Tandem æſtu, fame, ſiti, quaſi deficientes, in denſi nemoris aprico ad fontem diſcumbunt, refecturi cibo defeſſos artus, eoſdemque compoſituri ad ſoporem. Sed illicò arrectis caudarum aculeis, paſcualibus indiciis ſcorpiones conſuetum petentes potum turmatim confluxere. Moxque vis immenſa Ceraſtarum quadrigeminis cornibus: totaque regia criſtatis ſerpentibus ſibilabat, ſquammis, & ore ferociter humum atterentibus, linguas triſulcas exertantibus faucibus, ſcintillantibus venena oculis. Ergo ubi ceſpitibus, & ramis arborum denſavere locum, ſpicula excutiunt, quæ duritiæ ſquammæ reſpuebat. Inſtabat Gallicus Hercules

cules ne adverſis cederent ſocii; verum ut ingentes animos induerent veteris Herculis, qui plagas iſtas indefeſſo pede excurrerat. Hæc eo loquente Leones concuſſis jubis irrupere; deinde & Tygres, & Pantheræ prælia miſcuere: atque hos venabulis exceptos Solo demum æquavere.

Jamque ad pericula duriores hi quoſdam barbaros obvios habuere, belluis non adeo diſpares; utpote quibuſcum aſſiduus illis congreſſus ſolet eſſe: ipſa etiam ſolitudo ingenia ſic efferavit, ut ne cum finitimis quidem ullo commercii jure miſceantur: prominent illis ungues numquam reſciſi; hirſutæ, & intonſæ comæ horrorem inſinuant. Denique Heroës ad tuguria ex conchis, & cæteris purgamentis maris inſtructa obſtupeſcunt.

Deficiente commeatu confecti fame multa ferinâ vires rurſus excitant. Quibus reparatis juvenili tumore elati de longiori itinere cogitant, ne quid illis in ignota ſubſtraheretur plaga, quod in veſtiganda Argenide non eſſent emenſi. Ergo ſanctius aliquid mente ſuggerente, de ſortibus, Jovis Ammonis adeundis, ſuas & Argenidis vices audituri conſilium ineunt duce ac auſpice itinerum Zaga Æthiope, quippe qui totam quam percurrerat Africæ oram, ſatis noſſet.

CAP. VI.

Per Africam quæritur Argenis, ſed incaſſum. Ergo ſortes Jovis Ammonis conſulunt Heroes, & præmiſſis litationibus oraculum auſpicatum accipiunt. Mox iter repetentes quâ juſſerat vates Elephantes occurrunt, quorum ebore onuſti proſequuntur iter.

AFrica in juga excurrens faſtigiat ſe molliter: Nilo Ægyptus interluitur, adituinque Aſiaticis aperit in provinciam illam quæ toti huic parti univerſi orbis nomen ſuum impoſuit. Cætera Numidæ, & Mauri, & Ni-

& Nigritæ, & Æthiopes tenent. Tum late vacat regio arenoſa perpetuo tractu inhabitabilis, ubi præter innumeras ferarum & monſtrorum formas, homines etiam Semiferi, Ægipanes, Satyri ſine lege, ſine lare potius terras habent quam habitant. Has plagas Heroës ſub Æthiopis auſpiciis luſtraverant equis Lybicis miræ celeritatis invecti, cum ſupra ſinum importuoſum ob vadorum frequentiam, alternoſque motus fluentis ac refluentis pelagi, luctantium puellarum turbam ingentem proſpiciunt, gradum glomerant, ſi forte in denſo virginum agmine, Argenidem videant palæſtra ſupra ætatem, & ſexum habilem. Hanc Tritonidis paludem circumvolitant, & multarum quidem Virginum Minervæ genethlion concelebrantium virtutem & induſtriam demirantur. Sed inter illas Argenis nulla.

Eodem curſu Jovis Ammonis ſortes adeunt, ubi (ſi vera eſt fama) Libero ſitienti mediis in arenis Lybiæ, Jovemque patrem imploranti viſus eſt aries, qui terram pedibus proterens fontis lympidiſſimi indicium fecerat. Sed novum monſtrum eos defixit in templum ſubeuntes. Homo ſtupendæ molis, atro corpore, caninis dentibus, perforata unionibus utraque aure, lacertis pelle opertis ſic eos eminus increpat: O quicunque ad hæc ſacraria ſucceditis, ſiſtite gradum, & ſi vos tactus venerei experti eſtis, poſitis cothurnis ſit fas ingredi. Hi paruere religioni utique profuturæ, & pacta mercede operaturi Jovi primum luſtrantur. Peractis luſtrationibus in adyta penetrantes eidem Jovi ſub forma arietis iſthic adorati, omnes faciunt, exta identidem inſpiciente, & verbis conceptis myſta præeunte: porro Hymnus Jovis metamorphoſim in Arietem, dum Typhæum fugeret, illiuſque victoriam, ac vindictam continebat. Sacerdos deinde quaſi œſtro aliquo ſtimulatus cœpit multas ambages, & ænigmeta

loqui.

loqui. Forte verſabant in mente Poliarchus & Archombrotus utrum ſibi ad patrios lares cum Argenide, & Cyrthæa, regreſſus à Diis concederetur, cum anxia mente talia revolventem ad utrumque viciſſim converſus hæc vates cecinit.

Durato, ô invicte malis, immota manebunt
Fata tibi, cernes patriam, tibi debita patrum
Sceptra geres: ſed non finis datur ante laborum
Quam gemini ferro juvenes, hominesque, feraſque
Fundant, & geminum referant ex hoſte triumphum;
Virgoque quam luſtras comitem ſe tradat eunti:
Illam reperies ubi ſaltum tramite longo
Mons aperit: ne necte moram, pete regna per undas:
Altera Niliacas inter reparabitur urbes,
Macti ambo, & rebus voſmet ſervate ſecundis.

Heros uterque mœrore utcunque deterſo vagus cum comitatu errabat, mille mæandris & anfractibus ſe implicans, hac ſpe fretus quam fecerat vates, cum Elephantum greges ambo proſpectant erecta proboſcide erumpentium. Tunc Archombrotus ſues elicit è mapalibus vicinis, ac educit: ad quarum grunnitum Elephanti trepidare attoniti, & ſaltus repetere: paucis tamen contuſo poplite ſolo æquatis, & eorum ebore detracto abeunt principes inſigni ‖ præda onuſti.

CAP. VII.

Africa deſerta pervagati in Pſeudo-Tyreſiam incidunt: ampliſſimam ridendi anſam. Hujus ridiculi vatis, ejuſque Manthonis Oraculum perfunctorie accipiunt; & tantillum ibi refecti proſequuntur iter. Sed vix aliquot ſtadia confecerant, cum deſtructum à feris Pſeudo-Tyreſiæ Vimineum templi audiunt.

Bidui iter emenſi in arenoſa ſolitudine obviam habent hominem lapſæ mentis, & ſapientiæ ementitæ. Is captus oculis cum eſſet, ſed barba horrenti, non

Digitized by Google

dubitabat, Tireſiam ſe profiteri, docens uti è ſerpentibus coëuntibus fœminam cædens, ipſe ceſſiſſet in fœminam: tum poſt annos aliquot interfecto mare priſtino ſexui redditus eſſe; exortoque poſtmodum Jovem inter & Junonem jocoſo certamine arbiter factus eſſet, & ipſe quod eſſet ſuffragatus Jovi, à Junone ultrice fuiſſet luce orbatus, ſed Jovem cæcitatis dolorem vaticinio compenſaſſe addebat. Moxque filiam accerſens hanc ſanctè aſſerebat eſſe Mantonem Delphico Deo in paucis dilectam, & conſciam ſecretorum illius: & quoniam huic filius erat vix magis compos animi, quod ille eſſet ſtatura brevi, & tumentibus humeris temperare ſibi à riſu Archombrotus non potuit. Tunc homo excandeſcens hæc in eum effudit gravitate heroica.

Quiſquis es haud noſti qui ſim; ſum maximus ille
Amphitrioniades: par mihi nemo fuit.
Nempe Giganteas digito proſterno phalangas:
Cum volo, ſi neſcis, tela Typhœa vibro.
His humeris cœlum attollo dum ſubſidet Atlas;
Atque mihi cedunt ſydera, cedit humus.
Ne mirare igitur mihi ſi mea terga tumeſcunt;
Ecquis onus toto grandius orbe tulit?

Sed riſum tum movit imprimis Pſeudo-Tyreſias, cum unis ſe Platonis ideis, unis Pythagoræ numeris, & Jovis cerebro ſe veſci jactaret; unde ad eum ſapientiæ apicem erat evectus. Tandem ut ſermonem ridiculum ineptiis coronaret, filius incredibili luctu ſe fractum referebat de fato aviculæ, cui hoc Epitaphium poſuerat immortale ſtoliditatis ſuæ argumentum; & illud à Theandro expolitum, & auctum hic inſerere placuit:

Occidit, exequias tenera celebrate volucris.
Namque immaturo funere merſa jacet.
Nunc mea perpetuos effundite lumina rores,

Æter-

Digitized by Google

Æternoque meas imbre rigate genas :
Flumina namque bibit Stygii Paſſercula regni,
Vexit eam furvæ Navita torvus aquæ.
Quæſitor movit vaſtam ferus Æacus urnam
Mors illi eſt diro judice juſſa pati.
O dolor ! ô caſus ! cecidit Paſſercula mœſto
Funere ; nuncque ſolo flebile corpus adeſt.
Invida ſcidiſti florentes Atropos annos
Paſſeris, & lucem deſerit ante diem.
Paſſeris hos oculos denſæ preſſere tenebræ,
Et nihil in toto pulchrius orbe fuit.
Ah quoties digito caveis educta micabat
Oſcula mille mihi, carmina mille ferens
Sola excurrebat totos Paſſercula campos,
Et tamen ex ipſis juſſa redibat agris.
Si quâ forte illi ſeſe obvia muſca dediſſet,
Roſtra, pedes teneræ vix fugiebat avis.
Aut ſi roſtra forent fontanis obvia lymphis,
Non mora, fontanas tunc pipiebat aquas,
Continuoque micas emendicabat edendas
Mobilis, Enneæ munera grata Deæ.
Occidit heu ! Largos illi date lumina fletus ;
Heu paſſer Stygiis corpora merſit aquis.
O mihi ſi Cytharas Orphei natura dediſſet,
Tentarem Stygios flectere voce Deos.
Audiret nigræ Sulcator pallidus undæ
Noſtra per argutos carmina ducta modos.
Audiret cæci irremeabile limen Averni
Carmina, ſeu querulæ conſona fila lyræ.
At talem nobis cytharam natura recuſat:
Threiciæ nequeo tangere fila Lyræ.
Occludit votis infernas Juppiter aures.
Juno profunda meas deſpicit uſque preces.
Plange nemus, voſque ô cavea, domus una volucris,
Delicium, Mantho, tu quoque plange tuum,

At ſolæ lætentur aves, Luſcinia plaude,
Nil mage te poſt hæc funera, dulce canit.
Vos oculi noſtros fletu perfundite vultus,
Et dicat tenui murmure lingua, Vale.

Ubi hominis ſtoliditas ſatis deriſa eſt, quæ ſe fata manerent Poliarchus joeando à Vate fictitio quæſiit. Ille tempore, & nummis opus eſſe, nec priuſquam litatum eſſet Diis, ineundas eſſe ſortes. Emuncta pecunia in ſuum templum Delphicum, tugurium dico intextis vimine ramulis ſeptum nos Vates novus intromiſit. Manthonem ſuam advocanti præſto eſt illa patre utique non ſanior. Hæc vili victima prælibata ficto tripode inſidere, & per terræ hiatus fanaticos ſpiritus exſorbens totis acceptos ſpirare præcordiis. Tum volutationibus oculorum, artuum torſionibus præmiſſis ſimulata Pythoniſſa humano expulſa ſenſu, & quaſi divino obſeſſa furore ex tripode circa ſalem, & fabam ſic erupit. O quotquot adeſtis magno ac veridico Apollini operaturi favete linguis, & ſortes veſtras proni accipite; ego ſapientis Tyreſiæ Mantho fatidica, & Deorum interpres ſacra pandam Oracula. Deinde verba neſcio quæ arcana ſubmurmurans, injectaque in ignem fronde Apollinis augurium captans, moxque victimæ exta conſulens; atque ea integra, intaminata, ſitu quæque naturali poſita aſſeverans, Illa repente exclamavit.

Quo pede cœpiſtis ſic pergite ſemper eodem
O Juvenes, quo juſta manet Cœloque, Soloque
Laurea; ſi forti violenta repagula marte
Frangitis, augurio fælix fortuna favebit.
Si cœlum annuerit patrias ſpectabitis oras.
Donec opes aderunt, vos nulla urgebit egeſtas.
Horrida vos pelagi fruſtra diſcrimina terrent.

Vix ſatis conſtanti vultu hoſpites ſtare circum poterant

Digitized by Google

rant nimium quantum obſtupeſcentes, aut ridentes ad fictitios rictus oris, ad rotationes oculorum inſolitas, ad extorſiones artuum, manuum geſticulationes, & vocis barbariem. Nobis deinde ſtomachum inanem querentibus, cœnulæ officium ſenex liberis ſuis mandavit, quò ruinas illas repararemus vacui ſtomachi. Tum Pſeudo-Mantho ſtratam in gramine apricо menſam ingratis cibis oneravit, ovis, & pomis, quæ dapum duæ extremæ ſunt. Verum hæc ſic erant acida, ut dens obſtupeſceret ad morſum: & ova pene omnia in pullos coierant.

Principes vix in equos conſcendunt, cum diſcerptum ab Elephantis, quibus ſcatebat regio, Viminеum templum una cum vatis domo audiunt. Tum Archombrotus, Et ſunt vero, ait, qui in fatis aliorum prænoſcendis plus quam ſatis docti ſunt; ſuis minimè conſulunt: mox carmine extemporaneo ita luſit:

Conſulere hìc Vatem ceſſate, oracula ceſſant;
Namque ruit Pythii vimine texta domus.
Præſcius hæc nobis referens oracula Vates
Vicinam exitio neſciit eſſe domum.

CAP. VIII.

Occurrunt Heroës ſeni in ſylvæ confinio, & ab eo accipiunt quanta victima mactabitur Jovi Latiali; neque mora procedentes choros eminus vident, & in extremo agmine Argenidem hoſtiam. Totus Heroum impetus in illam pugnatur, pugnamque nimbus dirimit, & in proximum ſacellum adegit. Hic promulgata lege Heroës in feras certare decernunt, victoreſque victimâ potiuntur.

Bina ſtadia per apricam vallem emenſi, ad opacæ ſylvæ confinia pervenerant, quæ ramos in teſtudinem effuderat. Itaque per anfractus varios divertentibus obvius factus eſt ſenex cano capillitio, & prolixa barba, cæterum ore in mœſtitiam contracto: & triſte neſcio quid anxia mente decoquens rupta ſuſpiriis

quædam verba laxabat. Is Poliarcho multam ſalutem aventi, Ave, retulit ſenex, & ſalve honeſtiſſima virginum, cui nulla ſperanda ſalus. Converſus ad hæc Poliarchus hunc mente vel oculis captum credidit, qui ſic hallucinabatur in ſexu; & hæc inquit, Archombrote, ſtolidorum patria eſt. Propius tamen accedenti, percontantique cauſam luctus ita ſenior ſui magis compos: Ilio me extrahis; errabat enim animus meus nimio dolore confuſus, Urgentibus Principibus ille: ſic hoſpites in iſta regione eſtis, ſic veſtræ una cum pedibus peregrinantur aures ut ferali rumore non atterantur? & ille quo nempe? Cui ſenex fato miſerabili venuſtiſſimæ, dicam, an funeſtiſſimæ virginis. hæc Iſidi, & latiali Jovi devota ob ſervatam homicidio pudicitiam ad aras rapitur inſons victima; poſt Hecatonbem in amphitheatro quod non procul ab ara in nemore ſitum eſt ferarum furiis immolanda; & ô Diana ſeu Pallas Iphigeniam hanc aris & feris ſubducat: Poliarchus tantam barbariem indignatus ac in vires ſe colligens, etſi nondum victimam agnoviſſet, ſic tamen affatus eſt, da querelis modum; ſpectabis enim cataſtrophem ante præludium hujus tragœdiæ, Alcidem revixiſſe ſcias, qui rurſum Heſionem à feris ac monſtris vendicet.

Adhuc confabulabantur, cum eorum oculos fulgor apparatus perſtrinxit, aureſque concuſſit cantus lituorum, ſiſtrorum, virginum, ſuæ Inachidis labores, & amores feſto carmine modulantium, quantum dilecta Jovi, ut in juvencam eſt transformata, dolus ubi Junoni ſubolevit; ut inter pinguia Peloponneſi armenta cuſtode Argo nive pellis emicabat: ut Mercurius fiſtula ſua ſomnum infundens centoculi fauces harpe trajecit. ut infenſa Jovis conjux, œſtro immiſſo, pellicem exagitavit, donec vicem ejus miſeratus Jupiter priſtinæ eam formæ in Ægypto reddidiſſet: demum hyme-

hymenæum ejus & apotheosim.

Poliarchus pronis auribus hæc hauriebat, avidis oculis cuncta perlustrans: ea porro fuit acies, is ordo populi ad sacra procedentis. Centumviri rusticis obducti sagulis iisque in nodum collectis, exerto lacerto mamillaque dextra præcedebant, securim humero gestantes totidem boves floribus cinctos ante se agentes; cum tibiis ut hac hecatombe humanæ præirent hostiæ. Sequebatur agmen virginum sparsis Thebano ritu capillis ad præscriptum carminis se efferens: tum emicabat in equis Thessalicis pubes multitudinis latera cingens, quorum tibiam levis cothurnus, corpus candida tegebat, penula lemniscis virgata argenteis & cæruleis, quam aurea fibula connectebat, cincinnis per auras ludentibus: tandem ingens sacerdotum succedebat ordo; extremaque in acie sacrorum Rex, victimam manu ducens. Virgo erat cujus vultum etiamsi tempestas inundasset, Charites tamen atque Dii seu Pandoram divinis dotibus expressérant, argentea palla ad imos defluebat pedes, flavum capillum vitta aurea intexta floribus in nodum collegerat: Venerem diceres ex Papho reducem, vel Hercen aliquam inter Palladis virgines emicantem, nisi si quid triste oris veneres delibasset: propius est, ut Cererem conjicias anxiam in vestiganda sua Persephone ingentique circumseptam ordine facum, quæ puellam haud secius quam solem suum minora sydera cohonestant. Verum Tauricæ Dianæ solemnia putabat Heros, cui humano cruore litandum erat.

Ubi in unam hostiam intenta est omnium acies, caligare primo Poliarchi oculus, & dubio æstu animus reciprocari, donec in vultu consternatæ ora detorquet. Mista puellæ adhærens fortunæ ludibria, nedum supplicia insueta regibus sciens, quasi cedentem fatorum moli atque sævienti fortunæ animum puellæ erigebat.

bat. Mox Poliarchus ad utriuſque notos vultus accenſus involare, & ſtrenuo ligare amplexu morituram, tentans ſi quibus precibus ex pumice aquam, & è ſaxeis Aſrorum pectoribus aliquid pietatis exprimeret; ſed arcetur à globo equitum qui hanc homicidii, & religionis exoletæ ream, latiali Jovi atque Iſidi, juxta leges devotam, conſpirantibus votis, vocibuſque exclamant; cum ecce ſubita nocte cœlum inhorreſcere, erumpentibuſque è nube fulgetris diro murmure miſceri, nimbum quiſque præceps declinare.

Non ita procul perantiquum erat ſacellum clementiæ vario genere tabularum mirabile; quippe quod Zeuxidis manus nondum vetuſtatis injuria victa, & Protogenis rudimenta cum ipſius naturæ ingenio ibi pugnabant. Huc turba citato gradu præcipitat, nec Poliarchus interim victimam deſerit, pro qua eximenda perorandi locum Antiſtes ſic tandem aucupatur. Libemus Divis, proceres, qui è lubrico famæ inſontem extraxerunt. Quid enim fulgura, tonitrua, nimbi, niſi præſentiam numinum arguunt? nemo neſcit in hac plaga quam Nilus inundat, inſolitos eſſe tales cataclyſmos: Quot guttæ imbrium, tot linguas putatote, quæ inſontem puellam vindicant, quæ à vigili Argo obſervata, à feroci prædone laceſſita in gratiis tuliſſet pudoris diſpendium, niſi ſpurci raptoris petulantiam vindice ferro compreſſiſſet. Ideone arenæ damnabitur per ſpeciem homicidii & religionis exoletæ? Ideone & Jovi Latiali, & Iſidi devovebitur? audebunt poſthac filiæ veſtræ, audebunt veſtræ conjuges ſuam virtute ſua tueri pudicitiam, veſtramque famam: Dii veſtram fidem, veſtram clementiam, proceres: Eaſne virgines objici feris patiemini, quæ ſupra humanam conditionem puros ſpiritus & ab omni corporis contagio illibatos æmulantur? Ecce Dea ipſa Clementiæ aſylum pudicitiæ ante ſuas aras obtulit; an ejus nutibus

Digitized by Google

tibus obſiſtetis? an ab aris ad arenam inſontem perduci feretis? Exuite ergo mentem hanc ſeveram, ut clementiæ locum detis,

Flectebat ſenſim multitudo, donec pœna differtur, & ſic tandem aufertur: Juſſus eſt præco recitare leges; hæc autem erat lex: ſi qui reum reamve homicidii pœnæ eripere volent, rei vel reæ caput capite licitantor. legi Poliarchus ultro annuit. Ergo deſæviente nimbo, quo cœptum eſt pede eodem ordine ad ſacra proceditur.

In amphitheatrum non procul ab Iſide, ubi perventum eſt reſeratis ferarum clauſtris, prodeunt pugiles (nam Archombrotus cum Poliarcho de certamine, ſeu Damon cum Pythia de morte decertabat) feraſque primo impetu ambo cunctis ſpectantibus plaudentibus aſtris conficiunt, hic mucrone acinacis, ille repetito teli jactu. Ergo Argenis ubi vindices ſuos recognoſcit, ubi Poliarcho reponitur, quæ gaudia! quis te Deorum, Argenis, nobis tandem reddidit, vel quæ fata te cruentas ad aras adegerant. Ad quæ Argenis vultu conſtantiam, inter & lætitiam medio, à prædone, inquit, capta hymenæos quantum in me fuit prorogavi ſpecie infularum. Verum Barbarus ille veneris impatiens vim inferre dum tentabat, ego ſupra ſexum invalui, & ſpurci petulantiam ferro compreſſi: mox iniquâ lege arenæ damnata, oppido quam opportune inde à vobis propitio Jove obviis tandem erepta ſum: Deinde ad Antiſtitem Aneroëſtum Heroës converruntur, & gaudio mutuum multiplici amplexu ligant.

CAP.

CAP. IX.

Aulitis Argenidis variis casibus omnes ab uno ex Gymnosophistis excipiuntur liberaliter, & stupent ad Atlantem molis insolitæ, tamen artis specimen. Multa percontantur super ea scientia: quibus se facturum satis promittit senex, postquam paratis dapibus vires refecerint. Remotis mensis in hortos progressi audiunt ex ore senis ejus philosophiæ summam.

Hermes inter Gymnosophistas ut Scientia, sic & Religione conspicuus pellectus ea virtute, Heroës in tectum excipit, sciscitaturus quam Europæ oram incolerent (nam & virginem Europæam paterno affectu domi colebat) illi plenis votis abire in gratias, & patriam cursumque docere. Ægyptius more gentis in syderum motu versatus erat, præter alias dotes quas in eum prodiga natura congesserat. Ideo atrium ingressis artis ejus argumentum atque miraculum amplam suppeditavit hospitibus stupendi segetem.

Ingens Atlas opere Cyprio Rhodio Colosso elegantia superior, mole inferior, globum terræ graphicum altero pede proterebat, altero in poplitem tantillum flexo. Atlantis humeris sphæra cœlestis incumbebat syderum motus rite describens. Diurnam nocturnamque lampadem nostrum nemo non stupuit, quarum cursu temporis vices mensurabantur. Errantium infima Lunæ medietatem exhibebat, incrementisque & decrementis justum mensibus terminum definiens, Sol ab ortu ad occasum per meridiem revolutus, dies annosque describebat, nunc ascendens & producens vernum, nunc delabens & autumnum afferens. Vidisses Lunæ defectus per interpositionem tertii: stellas vero fixas cum sua sphæra æqualiter progredi, sed inæqualiter coruscare.

Aneroëstus ut amans erat Astronomiæ, capta occasionis ansa Gymnosophistam obsecrat, ut quod de sphærarum cœlestium motu Ægyptii sentiunt, paucis

eis ediſſerat. Tum ille, faxo lubens, ſi prius jejuna corpora aliquo cibo refeceritis. Interim menſa multa ferina, & multiplici genere frugum onerabatur. Priuſquam accumberent ille Ægyptius aquam puram in ſolum effundens, libo, inſit, Africæ & Europæ indigetis. Intercommeſſandum ab ovo ad pomum de cujuſque ſorte, & patria ſermo protractus eſt donec ſoluto convivio in viridarium divertentes, ſubjectum ædibus, ſub compluvio è carpino & fraxino multa compacto, in ſedilibus gramineis tota corporis mole incumbunt, & ad auſcultandam Aſtronomi ſcientiam animos comparant: tum ille ſic orſus eſt.

Cœleſtium arcana reſeraſſe Atlantem noſtrum traducta hactenus per poſteros fama vulgavit, unde & cœlum humeris ejus incubuiſſe dicimus. hæc ſcientia per traducem memoriam ad nepotes defluxit ab Atavis, à quibus hæc à teneris accepiſſe memini. Septem eorum ſyderum quæ certis diſcreta ſunt ſpatiis medius Sol fertur ampliſſima magnitudine atque poteſtate, non temporum modo, terrarumque, ſed ſyderum etiam moderator. Hunc mundi totius eſſe oculum, mentem, atque numen nos cum arcanæ naturæ ſcrutatoribus & credimus, & quotidiano cultu, matutiniſque honoribus huic delatis confirmamus: nam & lucem rebus imprimit, fugatque majori lumine faces minores, temporum vices temperat; & cœli triſtitiam diſcutiens humanas quoque mentes ſerenat, denique ſingulis aſtris lumen ſuum, terris vero benignos influxus ſic fœnerat, ut rerum omnium pater non temerè ſit appellandus.

Summum Saturni ſydus tametſi minimum omnium appareat, maximo tamen circulo ambit cætera. Martis calore ob vicinitatem Solis ignei, & rigore Saturni ob receſſum à Sole gelidi interjectus Juppiter ſalubriter temperatur. Venus Solem inter & Lunam medi[illegible], & utri-

& utrique prodroma maturat lucem utriuſque, eandemque terminat. Hæc rerum procreatrix in alterutro exortu genitali rore non ſolum terræ, verum etiam animantium conceptus properat. Luna ambage multiformi contemplantium ingenia torſit, modo curvata in cornua, modo tanquam ex coitu Solis plena luce, ac repente nulla. Septem errantium harmoniam quam diapazon vocamus, univerſitatemque concentus Solem iſtum naturæ parentem, planetarumque medium moderari ſic indubitata fide credimus, ut ſine cythara nuſquam à noſtratibus depingatur.

Attamen in cœlorum numero planetarumque motu non adeo conſtans eſt & conſentiens hominum opinio, ut non alii cuilibet errantium ſphæram ſuam tribuant, alii piſcium more in vaſto cœlorum oceano diſcurrere non putent: alii circum terram immobilem verti Solem, alii circa Solem immotum vagam terram agi non contendant. Alios videas qui poſt omnes planetas quos Phœnomen, Phaëtontem, Pyroënta, Stilbonem, Phoſphorum vocant, Solis orbem collocant; deinde Lunam, quæ, inquiunt, divinas & immortales vivacitates ignium paſcens ordinatis ac ſemper æqualibus invectionibus ſolvitur ac reparatur. Porro maculas quæ in Sole atque Luna apparent, alii denſiores partes & minus diaphanas, alii faculas ſeu ſtellas, novos orbes alii ſibi perſuadent. Sed & ex noſtratibus nonnulli in orbe Lunæ terras & aquas per teleſcopium ſe deprehendiſſe jactitant.

CAP. X.

Facta novi mundi in orbe Lunæ mentione narrat Gymnoſophiſta cujuſdam Mathematici in hunc novum mundum peregrinationem, ſitum, mores gentis, cibos, beatitudinem, leges & religionem.

CUM Principes nimio ſtupore quaſi torpentes ſenex videret, cœpit lepida narratione eorum animos,

mos, ac aures magis ſuſpendere. Hæc inſit in præludium præmiſſa ſint ut in fabulam quam ab uno ex Mathematicis noſtris accepi via mihi ſternam. Hunc olim pigebat quòd ſolo intuitu ſydera contemplaretur, quodque novum terrarum orbem eſſe ſuſpicaretur, qui ſenſus ſuos fugeret. Hinc deſiderium ingens novi hujuſce mundi animo ſenſim exarſit.

Itaque referre nobis ſolebat ſe adhuc puerum pullo aquilæ donatum eſſe, quem ferendo caniſtro ab ipſis vitæ primordiis aſſuefecerat: deinde ſe impuberem in caniſtrum impoſuiſſe, appenſum ad collum aquilæ, ut ab eo in altum tolleretur. Quod cum à puero in dies factitaſſet, adultus deinde à grandiore ac robuſtiore aquila altius ferebatur (comprobato proverbio poſſe taurum tollere qui vitulum ſuſtuliſſet) donec ego, ſubjiciebat, novi hujus orbis quem in globo Lunæ eſſe conjiciebam, deſiderio captus, peregrinationem hactenus intentatam aggreſſus ſum. Quamobrem captato tempore, dum nullis turbatum nebulis cœlum eſſet, & Luna integri & pleni orbis ſui copiam faceret, ipſis ego lacertis in altiſſimi montis jugum avem tranſtuli, quæ me deinde in orbem Lunæ ſuſtolleret.

Aquila carnium quas aſportaveram, eſu facta robuſtior in calathum nullo ſuperfluæ rei pondere gravem me excepit, neque enim mecum aſſumpſeram niſi neceſſaria ad aliquot dies alimenta. Jamque nubes infra poſitas deſpiciebam è caniſtro, cui velum aptaveram, quatenus aquila ſubjectis ſpirantis auræ flatibus faciliori labore attolleretur: ſed & aquila ſæpiſſimè quaſi ſuccumbens oneri terras reſpiciebat. Aſt ego acri quo ſolebam clamore deficientem erigens, & allati mecum jecinoris ſuilli particulis refovens addebam animos, donec illa concitatiori alarum remigio, propitiâ aurâ intumeſcente velo, ſenſim ſine ſenſu evadit in ſupremum, & ab omni tempeſtate immunem æthera.

Digitized by Google

Tunc Luna quæ paulo ante orbiculo vix latior apparuerat, jam vix anguſtior ipſo terrarum orbe appropinquanti viſa eſt: terra è contra tanquam Luna aſcendenti videbatur, ita ut partes molliores atque diaphanæ aquas; lucidiores vero quæ acceptam à Sole lucem reflectebant, terras æſtimarem.

Sed quod magis miremini, vix, ait, aliquot ſtadia in altum enitendo rurſus emenſus ſum, cum ecce derepente, citra caſum tamen, mihi viſus ſum everſo toto corpore non tam ferri ſurſum, quam deorſum in præceps decidere, non autem ego tantum, ſed & avis & caniſtrum ipſum quo ferebar, in tantum ne ulterius in caput ſic deciderem, coactus fuerim in caniſtrum manus injicere, utique me ſecuturum una cum aquila. Quin & ipſamet avis cum ſe mecum videret inverſam decidere, ſtatim ſtrenuo ſubitoque impetu & ipſam ſe, & cum caniſtro ipſum me ſic invertit, ut ibi pedes ſtatim haberemus ubi prius caput, mihique viderer in erectum corporis ſtatum recompoſitus. Tum & illa ipſa avis quo prius ægrè nitebatur, eo cœpit mecum quaſi in infima decidere, lentè tamen, & abſque eo impetu quo lapides in terram cadunt: alas enim ſic expandebat, ut nimio noſtro pondere nunquam ferremur abrepti. Cui rei haud parum favit aptatum caniſtro pedibuſque velum; ſic enim illud ſubjectis novæ terræ novis ventis attollebatur, ut etiam aliquando lentioris lapſus moras extimeſcerem. Sed tamen poſt aliquot horas, & emenſa aliquot aëris ſtadia, tandem aliquando mea aquila in novum hunc terrarum orbem innoxiè me effudit. Iſtic quid potiſſimum demirarer, vix vacabat eligere: miranda enim omnia. Sed expediendæ aquilæ officio nihil duxi prævertendum: videbam ſiquidem eam labore fatiſcere, pigebatque avem hanc quæ me tanti tamque prolixi voti compotem ſic effeciſſet, diutius haberi in vinculis. Expedita autem ut aliquantiſper

tiſper ſuper arboris ramo acquievit, prædam proſpectans, quæ in his ſylvis plurima erat, ſibi venabatur. Erant enim ibi ſylvæ quaſi Herciniæ, ex quibus Nemæum Leonem Junonis Novercæ imperio in Alcidem bellaturum eſſe delapſum aſſerunt. Ego pariter refectus ulterius penetro, & totam circum regionem cupidus rerum novarum per dies aliquot obeo.

Mundus iſte cœlo tam temperato, aëre tam ſalubri fruitur, ut nec hyemis rigor, nec æſtatis calor ibi ſæviat. Agri perpetuò virent, & incredibili fœcunditate ſua inopiam omnem ab hoc orbe removent. Ex arboribus aliæ quidem inſuetos odores exhalant, aliæ fructibus ſuavitatis incredibilis onuſtæ ſunt. Ibi & gemmæ varii coloris variæque lucis, & ad radices montium pyropi aſtrorum faces igne ſuo æquantes: metalla etiam diverſa ad templorum ſolos ornatus: etenim nummorum nullus iſtic uſus, nulla commutatio, quippe commoda vitæ ibi omnia communia. Gentis autem tanta religio eſt, ut quiſque ſponte ac certatim uno eodemque, eoque legitimo ritu numen colat.

Sylvæ ibi & nemora conferta quadrupedibus, ac volatilibus variæ ſpeciei, qualia noſter orbis haud novit. Campi ipſis Theſſaliæ agris amœniores floribus variis luxuriant. Hos limpidi ac pellucidi fontes alluunt, qui in amnes deinde gratiſſimè derivantur. Vix horti Adonidis, aut Heſperidum, vix & ipſi campi Elyſii voluptate majori ſenſus afficiunt. Utque cœlo iſto mollius nihil, ita & ſolo nihil uberius. Terra nullis ſubacta ligonibus meſſes quotannis geminat, ita ut Liberi Cereriſque certamen putaſſem. His addere liceat felicem aromatum proventum quibus dives eſt, & nobiles portus, & elegantiſſimas urbes in quarum ædificiis ars & natura luſiſſe videntur.

Incolæ ad juſtam ſtaturam corporis habitumque membrorum nobis haud abſimilem aſſurgunt. Animæ

immortalitatem non modo ſentiunt, ſed & vitam iſtâ longè beatiorem aſſecuturos ſe & ſperant & jactant. Nulla apud illos tribunalia, ſiquidem omnes æqui bonique ſua ſponte tenaciſſimi: nulla arma, cum jurgiorum, rixarum, odiorum, litium penitus expertes ſint. Hæc enim bellorum ſemina meum, atque tuum, & exitialis pecunia æterno apud hos populos exilio proſcribuntur. Et quemadmodum Solem, & aquam natura omnibus ex æquo largitur; ita omnia vitæ commoda quæ ibi maxima ſunt, communi lege eſſe omnium æquum putant. Veſtis quaſi è goſſipio infra umbilicum depreſſa illis eſt: aures, & lacertos ornant gemmæ. Uſus carnium apud eos nullus, ſed frugum ſuaviſſimarum eſus, è quibus potus exprimitur qui vina noſtra ſuo ſapore exuperat. Cuique ſua conjux, adulteria nulla, ſed nec ulla alterius generis peccata; unde nec legibus mortis obnoxii ſunt, cum peccati, cujus ſtipendium mors eſt, omnino immunes ſint: nam exacto millenario in cœlum rapiuntur.

Gubernandi ratio monarchica, ut omnium optima atque certiſſima, non ad ſcelerum vindictam, quæ inquam ibi nulla ſunt, ſed ad orbis iſtius ornamentum inſtituta eſt. Nam toti huic orbi unus Princeps, non hæreditario quidem jure, neque aureis gradibus ad ſolium evectus; ſed ut quiſque ad virtutis & ſcientiæ ſtudium maxime incenſus eſt, ita legitimis ſuffragiis regno præficitur. Porro lex eſt inter omnes communis, honeſte vivere: alterum non lædere: jus ſuum cuique tribuere: cultui Numinis nihil anteferre: & ab eo quod in aulis noſtris communius eſt; obſcenitatem ore, geſtu, habitu, animo retinere, illud omnes tota mente averſantur.

Attamen hoſpitem noſtrum, ut ipſe referebat, nihil tantum rapuit, quantum ingens ille literarum amor, ad quas gens illa quaſi innatos habet igniculos; & Academia

demiarum mira disciplina. Norunt enim isti populi reipub. quantum interfit, ingenuos liberalibus artibus instituì, non modo quia noverca juvenum ignavia eo negotio repellitur; verum etiam quòd scientia virtutis alumna, religionis parens, & nutrix, adolescentiores animos cereos ad omnia, optimis moribus soleat informare.

Idcirco in unaquaque provincia cui præfectus suus à Rege quinto quoque anno sufficitur, quatuor ædes superbæ molis in altum assurgunt aliquâ intercapedine ab sese distinctæ. In primariâ Academiâ suam naturalem Theologiam provectiores annis edocentur: in alterâ politicis legibus cum gentilitiis majorum factis imbuuntur alii: in tertia rerum in naturæ majestate abditarum notitia evulgatur: in ultimâ virgines magnâ curâ matronarum eruditæ aut canunt, aut fidibus ludunt. Nullæ autem apud illam gentem linguæ peregrinæ quæ edifcantur, quippe inter populos à nobis ita remotos una gens uni subjecta Regi; uni linguæ, uni legi. Saltatio vero ex arte apud illos vilis, equitatio propter mansuetudinem belluarum facilis: quare nullis opus est aliis disciplinis aut Academiis.

Addebat peregrinus quanta cum benignitate, & quam liberali vultu ab his populis exceptus esset; quam sæpe de moribus nostris interpellatus, donec, inquit, patriæ desiderio, aquilam ad pastum revocans aptato rursus canistro velivolo ad reditum se composuit; & eadem celeritate in hunc orbem nostrum, nataleque solum, eodem remigio tandem delapsus est. Tum aquila aërios tractus remensa in altissimæ rupis jugo subsedit, ex qua descendens Mathematicus penates suos repetiit.

Placuit coronæ lepidi argumenti jucunda narratio, quæ deambulationem gratissimè fallebat, omnibus ad

hos ſermones magis quam ad hortorum elegantiam, aut viretorum amœnitatem attentis.

CAP. XI.

Omnibus ad quietem ſecedentibus, atrox inſomnium Gymnoſophiſtam turbat. Ergo ille ſcrutari omnia, & poſt libationem faſtigium tecti ſuperare, unde nautas advertit ad navigationem ſollicitantes hoſpites. Dumque paratur jentaculum, prodit Ægyptia juſſu puellæ quam Poliarch. & Archombr. Cyrtheam eſſe ſtupent, nuper cum anu raptam & una Ægyptium volentem abducunt.

Veſpera intepeſcente, ſyderibuſque ſomnum provocantibus in ædes Ægyptii, deinde in ſuum quiſque thalamum ſe recipit ad quietem: ſed non Heroum par, non Aneroëſtus & Argenis disjungi ſe ſinunt. Hic earum quæ viſæ, quæque auditæ ſunt rerum ſimulachra recurrunt. Quæ comitas Hyerophantis, peritia, lepos, quæ liberalitas; qui cultus artium liberaliorum in ea gente Solis aduſta fervoribus.

Et jam graves Heroum oculos inter fabulandum placidus ſopor ſenſim claudebat, jam omnes arctior ſomnus complectebatur, cum Gymnoſophiſta repente excuſſus, & quaſi œſtro percitus ſtrato exiliit, & lymphaticum in morem per domum diſcurrens ſedulò luſtravit omnia, veritus ne quid Galateæ ſuæ (hoc Europeæ puellæ ſuæ nomen erat) inauſpicatum, & ominoſum contigiſſet: tutaque omnia eſſe intelligens, implevit pateram, & vina coronans in foco Penatibus libavit: deinde ad culmen ædium ſe proripuit, quas plumbum ad ambulationis voluptatem leniter accumbens onerabat. Hic nocte reliqua emicare in excubiis inſomnium ſuum implacida mente volutans.

Jamque Aurora prænuntia lucis Sinus Arabici littora lambens, apparebat, cum è Lybico mari nautas omnino duos inquies homo proſpicit ad ſua tecta greſſum maturantes. Ille raptores eſſe in ſomno ſignificatos

tos

tos conjiciens, primo impetu foras prorumpit ſimilis comminanti, ac ſciſcitans num quid ſe vellent? Illi contrà rogare num Galli apud ſe diverterent? veniſſe eos admonitum, acquieviſſe mare ſedentibus ventis, nihil in ſe eſſe moræ quominus è portu ſolverent.

Ægyptius his auditis ad hoſpites ſuos progreditur, ſomnoque ſepultos excitat, admonens advepiſſe nautas, & ad navigationem ſollicitare, quanquam iſte pro vernacula humanitate eos remorari tentaret. Attamen omnes cultu tumultuariè compoſito ad iter cœperunt ſe accingere. Interim jentaculum Ægyptiorum more non illautum apparabatur; dumque toris accumbunt, Gymnoſophiſta temperare ſibi non potuit quin noctis ſollicitudines exponeret. Neſcio, inſit, quæ Alecto nocturnam quietem mihi abſtulit. Jacebam alto ſopore domitus, cum inſomnium atrox implacida imagine ſenſus omnes confudit. Aquila gallinam albam in gremium meum primum demittebat, moxque idem prædo in longinquas oras eandem ſummovit: licet hanc ego non oculorum acie modo, verumetiam tota pectum contentione ſequi videbar; nam amor addebat alas. Somno repente, lectoque excuſſus ad Galateam meam ſtatim animum appuli: credidi eam eſſe candidam aviculam ex Gallo parente editam, quæ mihi ingratiis ſubduceretur. Tum ego fanatica mente per ædes errare, donec ad nautas iſtos quaſi ad raptores Perſephones cohorrui.

Archombrotus omnem ſuſpicionis umbram remoturus, melius, inquit, pace tua dixerim, melius ominare: ſi aſtrorum influxus calles vide ut nihil ominoſum hæc inſomnia tibi præſagiunt. Verum, ſi nos amas, virginis ora, patriam, genus, fatum, ſodes ne nos celato. Ad hæc ſenex, cum nuper ad Apollinis ſortes ob raptam mihi unicam Delphos navigio delatus eſſem, & nequicquam Deo operatus eſſem, expoſitam ſub co-

rona virginem adverti. Illa me miſerabilibus oculis intuens ad pietatis pellexit officium. Quæſivi à mercatore unde illi virgo tam candidi vultus, & pudicæ frontis? Ille ſe à piratis commutatò accepiſſe: cæterum ſe genus ignorare, ſcire tamen hanc eſſe Europæam, quod illa nix genarum interſtincta minio arguebat. Galateam à mercatore ſolitam appellari: Et hanc ait centies ſeſtertium emptam domum deduxi cum anu aſſidua illius comite, & illibati pudoris cuſtode, quaſi à Diis filiæ loco mihi repoſitam adoptavi: amavi ſupra paterna viſcera, & filio jam nubilem deſtinavi. Sed quando commodum eſt, faxo in conſpectum prodeat.

Poliarchus interea lapſi temporis memoriam repetebat, recurſabat amiſſa ſoror unica, quæ citius quam Proſerpina ſibi rapta evanuerat. Facta per Ægyptium prodeundi facultate præſto eſt in gentili habitu puella, quæ majeſtate frontis, oculorumque fulgure hoſpitum aciem abſque mora perſtrinxit. Oculus imprimis Poliarchi & Archombroti modico tremore errare viſus eſt: & Poliarchus quidem hæc ad aurem; quantum oris decus, ô Archombrote, qui luminum vigor? neſcio quo me vinculo iſti virgini natura ligavit. Archombrotus viciſſim eadem oris lineamenta quæ in Poliarchi vultibus, eaſdemque veneres in illius fronte luſiſſe notabat: & primus ille; ô quam te ſimilem video Cyrthææ meæ Andromachæ, quæ tot laborum & curarum mearum caput eſt! Quam vultu, oculis, membris illam refers, & hoc ſolo exotico habitu ab illa differs. At Poliarchus, tu hercle ipſamet es Cyrthæa ſoror, aut falſa deludor imagine: te tantum loquentem audiam: hactenus enim virgo ea fatorum inſolentia obſtupefacta obmutuerat; jam vero patrio idiomate linguam illa ſic reſolvit: ego ſum illa (neque vos imago fallit inanis) illa ſum tot exercita fatis veſtra Cyrthæa Andromacha,

Digitized by Google

mocha, ô mi frater Aſtioriſtes, ô amantiſſime Hyempſal Archombrote, ne dubitate, Mecaſtor ipſa ego ſum. Non plura verba illi gaudii montes paſſi ſunt; amoris violentia non amplexus, oſcula, aliaque improviſæ lætitiæ pignora differre potuit. Fluebant etiam ex oculis lachrymæ tanti gaudii & amoris obſides. Sparſo per domum rumore ſuccurrit anus: ſed & hanc Soſtratam eſſe ubi intelligunt, fortunam adorant quæ ſolitariam Cyrthæam eſſe non ſiviſſent.

Vix ſatis compos erat ſui Archombrotus, vix ſuam Andromacham geminis oculis ſatis contemplabatur, modo fata incuſando nimium ferrea, ſed tandem meliora; modo geniis præſtitibus affatim litando; interim Ægyptio, ſtupore ac metu ſatis ſuperque obmuteſcente, & inſomnium ſuum alta mente recoquente. Ad quem Archombrotus; Dii me pater omnes oderint, niſi te magis quam oculos meos amo: tu vitam, tu me mihi reponis, dum Cyrthæam Hyempſali reſtituis; neque minus de me, quam de filio pater, es bene meritus, dum authore te, & quaſi obſtetricante rurſum vivo ac ſpiro. Et ſenex; ita eſt, inquit, hominum vita, mi hoſpes, quaſi ſi ludas teſſeris, ſi illud quod maxime opus eſt jactu non cadit, hoc non raro repetita alea corrigit. Tandem habes poſt tot caſus & labores exhauſtos quod minime ſperabas, Cyrthæam tuam, quam ego lubens ac ſine mercede ullâ tibi reſtituo.

Tunc Heroum par hoſpitem ſuum orare, ut ſocius itineris eſſe velit, ſe optimi parentis loco utrique ſemper futurum: quod ſi receſſus & religio placet, eſſe in Galliis Druydas non ſcientia magis quam vivendi honeſtate venerabiles, quorum ritus, ſi luberet, ab Aneroëſto Druydarum diſciplinis erudito quam primum doceretur. Ad hæc fluctuare, & Euripi more reciprocari animus Ægyptii, quippe qui neque poteſt à puella, quæ in filiæ locum & amorem ſucceſſerat, ullo mo-

do abduci; nec adduci ut in regionem peregrinam diverſetur ipſe alienigena, & ore diſcolor. Verumtamen in illo æſtu poſitum, ac perſtrictum honore verborum, comitate, promiſſis, tandem cogitatio ſubiit abducto ſecum unico filio, patriæ ſe, parentibuſque, ac Gymnoſophiſtarum collegio ſuffurari. Neque mora, congeſtis in arculum gemmis cum turba ad portum tetendit, & aura ſecundante Lybicos tractus ſtatim deſeruit.

CAP. XII.

Solvunt è portu Heroës, & appetente nocte in Cretam appellunt. Excipiuntur in caſam piſcatoris, ubi Ægyptius filiam recognoſcit jamdudum amiſſam. Qua gaudia! illa ſuam ſortem & varios caſus ſuos exponit corona, & ipſa comite omnes incœptam navigationem proſequuntur.

Alternis fortuna gaudet, animum autem viciſſitudinibus fatorum ſuperiorem ſemper oportet eſſe, neque adverſis frangi, neque ſecundis attoli. Ad inſulam centum populorum deficiente jam die navigium flectebant, ne inſtantis noctis caligine obvelati ad Siculi maris Scyllam alliderentur, vel Charybdi abſorberentur: jactabantque anchoram quo apricarentur adhuc neſcii. Verum Juppiter hoſpitalis cui ſacra erat inſula, obvium euntibus dedit piſcatorem provecti jam ſenii, lacera retia, pro foribus reſarcientem, dum alter è pueris piſcibus in mari exultantibus fuſcina ſua inſidiabatur, alter blandientibus hamis prædam captabat.

Ita ſenem Archombrotus ſic adorſus eſt; Dii tibi, vir bone, quod optas, adeſdum, paucis te volo, eſtne hic diverſorium in quo poſſimus pernoctare? cui ſenex, nudius tertius pueri mei retia hæc, dum piſcantur, lacerarunt perditi. Et Poliarchus, id abs te non quærimus, ſed diverſorium. Illi nempe, ſubdidit piſcator,

cator, nimium imperiti retia mea rupibus intricarunt. Aſt Heros captum auribus hominem eſſe intelligens, ſic vocem attolit: Salvus ſis mi homo, dic ſodes, ſitne hac una nocte non hinc procul diverſandi locus? Ad hæc ſenex, & ego ſalutem vobis multam impertio, juvenes, quando quidem cæca nox incautos vos occupavit, non eſt quod longius progrediamini: eſt mihi caſa tenuis, eſt ſiligineus panis, & modo expreſſum lac cum paucis piſcibus, unde & vos inanis ſtomachi ruinas reſarciatis, & hi qui in navibus remanſerint, etiamnum veſci queant. Lares ergo meos adire ſi lubet, benevolum ſenis animum probabitis, hanc humanitatem principes minime recuſarunt; dumque in gratias oblati hoſpitii excurrunt, reſumpto ille centone ſurrexit, hoſpiteſque duxit in ſtabulum: dixiſſes Jovem & Mercurium à ruſtica gente quondam exceptos animo ſane minimè ruſtico.

Vix limen ſubierant quum ad prodigium novum cuncti torpuere: virgo ore diſcolor luſtratis hoſpitibus in Ægyptium oculos retorquet, ſubitoque amplexu imprudentem ligans exclamat, ô pater, quis te Deorum mihi repoſuit? ego ſum tua Philopatra quam fata utrique plus juſto ingrata tibi ſubduxere; jam vero mitiora parenti filiam, filiæ parentem reſtituunt. Interim Ægyptius ſpem inter & ſtuporem anceps ſilentio obtorpere, donec colligens ſe à virginis vultu, oris & vocis reminiſcitur. Tu ne es mea Philopatra, meum delicium? ait, agnoſco veneres & illicia frontis: ô ſortem provecto ſeni jam tandem æquiorem; quibus Hecatombis fortunæ litabo? ô & auſpicato ſuſceptos pelagi labores! quis te Phœbus ſic afflavit, ô princeps, ut patriæ meæ ſinu me divelleres quatenus patrem natæ, natam patri reponeres? uter melius meritus eſt, ego de te, an vero tu de me? Tu medius fidius Heros invicte; ſiquidem ego ſororem tantum, Tu vero unicam

cam reſtituis. Jam agnoſco cœlum in donariis multo largius eſſe quam in virtute probanda ærumnis, & caſibus.

Poſtquam Ægyptius effuſa aqua Neptuno libavit, poſtquam piſcibus menſa onerata eſt, dapibuſque ruſticis inſtructa, accumbentibus omnibus Philopatra ad Crembali diſcrepantem tenorem vocem attemperans novo obſonio epulas condiit. Carmini acroama dedit, Jupiter qui tauri formam induens, & Agenoris juvencis ſe implicans colludentem in arena Europam rapuerat; & inſidentem tergo in hanc ſuam inſulam avexerat. Agenoris filiis ad inveſtigandam quâ terra, quâ ponto ſororem dimiſſis. Cadmus emenſus totum propemodum orbem ſortes excipiebat Apollinis, factoque ſibi urbis condendæ oraculo ubi bovem reperiſſet, non detractabat imperium, Bœotiæque nomen imponebat. Demum canebat uti draconem ſociorum nece adhuc madentem Athleta confeciſſet, è cujus conſitis dentibus cataphracta manus emergens reciproco cecidit vulnere, quinque ſuperſtitibus qui Thebas conderent. Modulabatur & Jovis cunas & victorias de Titanibus reportatas.

Corpore curato ad fata Philopatræ dilabuntur quæ raptim tantum delibaverat: itaque rogata illa ſic occipit. Meminiſtin, ô optime parens, nos ab annis paucis in Eubœam flectentes, Sporadas inter, & Cycladas Ægei maris minimas inſulas, & Boſphorum Thracium à piratis fuiſſe deprehenſos qui me ſola, & theſauris paucis contenti, te incolumem, ſed de me multùm anxium dimiſerunt: oculis interim humentibus euntem te ſequebar, donec in inſulam Cycladum maximam navigio provectus es: nos Ionio mari ſuperato Peloponneſum adnavimus: ſed piratis Corinthum commeatuum cauſa divertentibus, ego cum paucis in navi relicta, dum iſti maris erroribus defeſſi in ſom-

num

Digitized by Google

ñum labuntur, in lembum desilii, & à portu sensim remigando recessi, donec auspicibus divis in hanc insulam applicans istius senis servitio me tradidi, qui me brevi reducturam in patrias oras sacramento sæpe repetito confirmavit, verum Dii meliora; Ægyptius collum unicæ osculis repetendo non se exsatiabat antiquos luctus expressis gaudio lachrymis detergens. Tandem nocte jam concubia defessos artus tantilla quiete demulcent, donec Gallicinium omnes ad iter accingeret.

Aurora jam illuxerat, quum nautarum solventium è portu clamoribus excitati tumultuario obsequio se quisque prævertit, sarcinasque componit: quod ubi sensit paterfamilias somno & strato excussus Epityro multo excepit hospites, & faustam navigationem precatus ad portum deduxit; reddita etiamnum patri Philopatra.

CAP. XIII.

Vix in altum ambæ naves provehuntur, cum ab invicem sæviente procellâ distrahuntur. Intortâque in Africæ oram Heroum navi, Gelanorus in Phocensium coloniam appellit: ibi Siculo fit obvius qui omnes maritimos sinus ad quærendam Argenidem transnatarat. Post reparatas cibo vires sermo de Argen. & Poliarch. protrahitur.

JAM plenis velis vectores properabant: quùm subita procella dividuntur ambæ naves; altera quæ Heroës vehebat ipsis Argonautis clariores recedebat in Africam sævientibus ventis intorta, altera quæ Gelanorum cum impedimentis cæteroque comitatu, ad Phocensium coloniam appellebat. Positis antennis, ad remigium votaque recurritur, quibus obsecundante cœlo, dum Gelanorus puppim conscendit, exploraturus, num qua navis in conspectu? Lembum fractis mali antennis absque gubernaculo mediis in fluctibus vagum eminus prospicit: mox vexillum liliatum

liatum malo appendit, ſi quis forte jactatus hyeme oberraret; ergo lembus errabundus ad portum, eo pene remorum impetu quo navis applicuit.

Errantis lembi præfectus ubi ſe Siculum profeſſus eſt, in amplexus itur, & diverſorio ſecundum portum ſuccedditur: cauſas itineris Gelanoro perconanti ille ſe principi potentiſſimo fidum in ultimis, qui liberorum orbitati dolens canos in luctu à multis jam menſibus trahebat. Urit miſerum principem, inquit, comprimis filiæ caſus: etenim tot erant in ea dotes, tota ut Europa parem neſciret. Sed jam hora laborque inanem ſtomachum irritant, juvat tributum reparare quod irato mari exolvimus, priuſquam longas injuriarum ambages in horas multas protrahamus. Exſtructis ergo menſis uterque accumbit: ſed Gelanorum avidior fames, ſitiſque urebat acrior inſinuati ſermonis quam cibi vel potus. Adraſtus (hoc Siculo nomen) initiatum colloquium in hunc tandem modum proſequutus eſt.

Velim me hodie de mea principe differente virtutis ſimulachrum, vel potius virtutem ipſam, Aſtræamque è cœlo reducem mente concipias. Putaſſes in ea effingenda non aliter quam in Pandorâ alterâ cœtum deorum conſenſiſſe. Erat illi juſta corporis ſtatura qualem virtutis eſſe decet, aut certè ſupra juſtam paululum aſſurgens: oculi ſideribus pares, & mitiſſimi aſpectus blandiſſimo fulgore ardeſcebant: diffuſiſſima frons & minimè ſupercilioſa: genæ ipſæ nullo unquam artis adulterio perditæ, ſed nativa gratia florentique colore vernantes: in ore Suada velut in ipſo eloquentiæ lectiſternio ſeſſitabat, tantoque humanitatis genio ac lepore verba condiebat, ut aureis quaſi catenis & aures ſuſpenderet, & corda devinciret. Etenim quanquam forma raram cùm ſapientia mixturam faciat, fuit nihilominus Hyppocrenes aquis ad ſatietatem imbuta: & quamvis in manſuetiorum Muſarum gremio nutriti ſoleant

leant inani quadam vanitatis aura diſtendi, nihilo tamen impotentius illa faſtu intumeſcebat: in florentis fortunæ tropicis educata, voluptatis lenocinio non fracta eſt; inter divitiarum fulgura exerta virtutis acies non obſtupuit: demum nobilitate majorem ceris & ſtemmmatis comparata mentem ſortita eſt nobiliorem. Et cum ſciret familias ſplendore generis nobilitari, animas vero ſplendore virtutis, ſanctius nihil habuit quam ut ſanctos mores parentum æmularetur. Sin patriam, ſolumque natale rupium ſalebris & rugoſis montium ſuperciliis horrens nacta eſt, ut fit tamen plerumque, ſoli malitia fœcunditate non vulgaris ingenii compenſata eſt, ſicut ex ſcopuloſa Ithaca Ulyſſes ad ſummum conſummatæ ſapientiæ apicem efflo-ruit.

Hoc naturæ ſeu certius artis divinæ miraculum deperibat princeps paribus animi corporiſque atque fortunæ dotibus conſpicuus: ſed quo fato factum dicam ut par amantum, dum Gallias repetit, inclementis Neptuni furori objectum eſt ne dicam abſorptum. O fortunam virtuti ſemper invidam! nonne ſatis fuit à teneris eam virtutem in invictis Heroibus lacefſi! ô & fata noſtro Hyempſali nimium aſpera! ô ſortem Argenidi plus æquo immitem! quos ſi Dii. Ad hæc vocabula Gelanorus repentino ſtupore obrigere, moxque ſe colligens omen, inſit, avertant Superi: probatam caſibus diverſis virtutem numen amplectitur, & ereptam fortunæ ludibrio fovet, promovet, & coronat. Vitam, ut ſpero, cœlum indulſit Heroibus, quos mille fatorum ludibriis terrâ marique ſubſtraxit, quæ quis numerando percenſeat? Teſtis eſt Lybia, teſtis Nilus, gladiique, & ſacræ faſciæ quas cœlo tandem mitiore declinarunt. Sed portum ſubire liceat, & longe maris ſpatia è proximo promontorio in mare procurrenti luſtrare: nec enim Dii prædonibus, aris, arenæ Heroas

ſub-

Digitized by Google

ſubduxere, quos deinde irati pelagi furiis committe-rent.

CAP. XIV.

Dum ſermones ad uſque portum ambo proſequuntur, jactat amborum Poliarch. altera comitatus navi cui præerat Theander ad quærendum Poliarchum deſtinatus. Is turbarum Gallie Regem certiorem facit, qui refecturus vires arenam occupat.

Ubi largioribus cibis exhauſtas erroribus maris vires excitarunt, tendunt ad portum inter eadem colloquia, ſpe pleni & votis. Vixque jugum montis ſuperaverant, cum naves omnino duæ, & ipſæ liliatæ in continentem applicant. Ambo quaſi ad monſtrum obmuteſcere, quid enim par navium, cum una Poliarcho ſupereſſet; itaque juvat ire & dubitationis noctem eluctari. Ergo inde defluentes ocyus, ovantis Poliarchi vocem exaudiunt, gradumque glomerantes ambos Heroas proſpiciunt cum Argenide, Cyrthæa, Aneroëſto, Ægyptio filiaque ejus Philopatra, & cum cæteris quaſi ex equo Trojano, aut ex Argo navi ad expeditionem pluſquam Colchicam emergentes. Hercules enim erat Poliarchus, adeo indefeſſa laborum ſerie virtus illius erat exercita: Archombrotus vero Telamon, aut Theſeus, ambo Herculi fidi in paucis, & laborum ejus participes, quanquam Caſtorem & Pollucem Argonautarum auſpicatiſſimos ambo præ ſe ferant: Ægyptius vero quam non abſimilis grandævo Neſtori. At Argenis Helenæ pares oris illecebras, ſed in modeſtiam magis compoſitas præferebat.

Dum Gelanorus ad Poliarchum præcipitat, Adraſtus ad Argenidem & Archombrotum maturat gradum, & genibus utriuſque advolutus itineris cauſas exponit. Poliarchus Gelanorum pedes ſuos amplexantem ſinceris ligat amplexibus nunc fortunam ſatis incuſans, nunc ejuſdem ludibria tandem deſpiciens.

Io

Io nunc exilia atque luctus, Io mortalium ſcelus, Io ceſſiſtis victori. Ego te quæcunque Aſtioriſtem laceſſebas, ego te laſſavi fortuna pertinax: de fluctibus pedem extuli, evaſi de naufraga rate, & arenulam ſecuris oſculis adoravi: nunc & cautes & vada quibus me tempeſtas alliſit, gratiſſimo horrore contemno. Juvat ô Africam reliquiſſe, juvat per errores meos, & ſponſæ ſororiſque injurias conditionem hanc emiſſe, quæ me hodie florentem contumacibus fatis oſtendit. Nunc me calamitas felix in altiorem ſortem efferet, poſtquam me pelago vagum optatus portus excepit, & tranquillior patriæ meæ aura demulſit. Jam enim Parcæ mitibus decretis ſuum in me crimen excuſant, ex quo mihi & ſponſam & ſororem reponunt. Hac mercede calamitas placet, & jamjam donaria templis cum votivâ tabellâ appendam.

Tum ille erectam è ceſpite aram aqua hauſta aſpergere, æquoriſque numinibus libare. Deinde verſus ad ſocios, quoties, inquit, tonſorem ad lunam quæſiimus? quoties tempeſtati detonſa coma libavimus? ego ipſa malorum conſuetudine robuſtior per varias gentes, mariſque diſcrimina inſtar Ulyſſis aut Æneæ diu exilium meum circumtuli: at mitioribus tandem Diis tot oppugnata turbinibus, tot quaſſata fluctibus decumanis noſtra ratis, nobis gratum celeuſma cantantibus, ad portum ſecura enatavit.

Interea Theander qui alteri imperabat navi Gelanorum advertens ad amplexus prorumpit fortunam & ipſe adorans, totiuſque navigationis ſuæ ſeriem ediſſerens; uti Autolyco, ſuam in dies promovente potentiam, jus omne divinum humanumque proterente, arces & oppida occupante, omnium inſidiante libertati, ipſe navim inſtruxiſſet ad veſtigandum quâ terra quâ mari Regem ſuum: uti luſtratis pene omnibus inferi maris inſulis, in Herculeo freto, non procul à Gadi-

bus periclitatus sit; inde tamen sedantibus ventis, fluctibusque ponentibus erumpens in Balearico mari Principis sui Gallias quærentis navim obviam habuisset. Postquam Theandri fidem Poliarchus impense laudavit, è portu in apricum secessit, ubi attritas pelagi erroribus, procellisque vires adducto ex vicinia commeatu reparent.

CAP. XV.

Heroës in arenam desenderant, & advectis commeatibus vires refecerant, cum Poliarchus captus amœnitate loci, alios in aprico somnum provocantibus, comite Archombroto, & aliis paucis gratissimam hanc solitudinem perambulat, de Autolyco, perversaque politica sermone prolato.

Primum à portu emensi lapidem ad ripam sinus maritimi admodum capaci alveo planiciem percurrentis apricaturi se recipiunt. Etenim ibi lætissimæ sylvæ æstatis voluptatem alunt, & aperta ambulantibus spatia offerunt, præcipuè qua flumen exceptum convalle æstum nimium tepore gratissimo temperat.

Istuc advectis commeatibus vires colligunt, nec enim in urbem succedere consilium est, quo felicius imprudentem Autolycum possint adoriri: nulla enim consilia meliora sunt (referabat Poliarchus) quam illa quæ hostis ignoraverit antequam ad exitum ea perducas; quæ si cognoveris adversariis prodita, dispositionem mutare convenit. Porro cum justum bellum suscipitur, an apertè quis pugnet, an ex insidiis nihil ad justitiam interest. Dolus an virtus quis in hoste requirat? Tametsi vir Macedo palam soleret aggredi, & plerumque jactare, malo me fortunæ pœniteat quam victoriæ pudeat. Consilio non minus quam gladio superare Imperatoris est, maxime si bellum justum est, atqui bellum justum est quibus necessarium & pia arma, queis nulla nisi in armis relinquitur spes, siquidem com-

commune eſt à natura omnibus animantibus ut ſe ſuaque tueantur. Itaque communis & conſentiens omnium ſententia fuit, ut novis copiis comparatis, & clam adductis incautum Autolycum â tergo inſectaretur Poliarchus, dum eum à fronte cum ſuis turmis Andropiſtus aggrederetur. Quare remotis dapibus miſſus eſt qui hunc in habitu mentito, ſine ſatellitio, ne quis foret locus ſuſpicioni, quamprimum arceſſeret.

Dum pene omnes depulſa fame circumactum pelagi etroribus caput componunt in gramine, provocaturi ſomnum, Poliarchum loci amœnitas ipſis Theſſaliæ agris jucundior ad deambulationem pellexit. Archombrotus â Regis latere non diſcedens nunc de Autolyco ſermonem faciebat, nunc operam ac manum ſuam libens offerebat, tum obſtupeſcebat ad veſaniam Tyranni, & pro ſuâ Cyrthæa ardebat in iras. Mox hominis ſine fronte os ac impudentiam ſaxo, vel cruce digna prædicabat, quod Tyrannus & ſecundarum impatiens, & factione popularium ferox; quò primas obtinere poſſit, nihil non moveat; quod pleriſque ſcelerum adminiſtris abutatur ad facinus; quod & Regis ſui capiti inſidias molitus ſit, & Reginæ matris famæ tam improbè illuſerit.

Retulit his Poliarchus: hominis fallaciam vel exinde collige. Patri meo Britomandi Celto-Gallicum regnum nuper tenenti, nunc & regno, & vita defuncto fuere duo gratioſi in ultimis: alter erat ipſe Autolycus, quo vix alius erat in aucupanda gratia Regis ſolertior; alter propter eximias corporis & animi dotes, plerumque Regi acceptior. At quoniam æmulos amicitia Regis nullos patitur, incipit alter alterum elevare, ſalacibus maledictis proſcindere, apud Regem repetundarum, & ambitus criminari. Quamobrem Autolycus gradu ſuo, aulaque dejectus ad ſolitas ſibi artes mentem convertit. Vulpem attende: hoſte erant

in procinctu, & ad ſpem victoriæ pluſquam pares. Hic regiarum copiarum imperatorem beneficiis ſuis ſibi devinxerat. Author eſt cum hoſte ſuccincto in campum deſcendat, certaminiſque aleam jaciat. Sic enim fore ut ſi regius deleretur exercitus, Rex inops conſilii extorrem ſe revocaret: ſin hoſtiles turmæ funderentur, de ſe optime meritum hominem victor Regi commendaret. Fraudi eventus minimè defuit. Fortunæ certamen committitur: regius miles profligatur. Conſternatus Rex, & conſilii expers amandatum Autolycum acciri jubet, qui rei male geſtæ ſuccurrat ocyus. In illo nihil moræ: pugnæ aleam inſtaurat. At Jove propitio. Itaque omnibus grati animi ſignis à Rege excipitur, mox ad primos honores, priſtinumque amicitiæ gradum reducitur.

Attamen parum eſt eundem, aut ſuperiorem quam antea locum in aula aſſecutum eſſe, niſi æmulo ſui caſus authori parem ruinam moliatur. Juvat illius famæ cautius adrepere, & clandeſtini cum hoſte commercii tam acriter eum apud Regem inſimulare, ut ab aula ad crucem ſictoris manu duceretur. Ex illo neminem paſſus eſt Autolycus arcanorum regni, & Regis præter ſe unum eſſe conſcium, aut unicæ Regis ad nuptias aſpirare; ne ipſos quidem regni proceres, quos aut igne, & aquâ interdixit, aut manibus inferias dedit. Ex illo autem Autolycus patrem meum ambire quandiu ſuperſtes fuit; filiæ principis ac ſororis meæ Cyrthææ nuptias occultis artibus procurare; regni clavum ſpe & cogitatione devorare. Extitere tamen qui præter averſum meæ ſororis animum Regem, aut Reginam ab hoc conſilio deterrerent. Hinc ille ad vim, & raptum, ſed conatibus ſæpe irritis mentem applicuit. Demum ex quo me vivum ac valentem eſſe audivit, non deſtitit me dolo malo inſectari, attamen verſutus verſutum nactus eſt.

Arch.

Ver. 1. *Ut nemo in sacris fana deosque rogabit.*] Ut nemo rogabit in sacris fana deosque. Ut nemo rogabit fana deosque in sacris. Ut nemo rogabit deos in sacris fanaque. Ut nemo rogabit deos fanaque in sacris. Ut nemo rogabit deos in sacris templa. Ut nemo rogabit templa deosque in sacris. Ut nemo rogabit templa deos in sacris. Ut nemo rogabit templa fanaque in sacris. Ut nemo rogabit fana templa in sacris. Ut nemo rogabit templa in sacris. Ut nemo rogabit in sacris templa. Ut nemo rogabit templa fana in sacris. Ut nemo rogabit fana templa deosque in sacris. Ut nemo rogabit templa fana deosque in sacris. Ut nemo rogabit templa deosque fana in sacris. Ut nemo rogabit templa deos fana in sacris. Ut nemo rogabit templa fana deos in sacris. Ut nemo rogabit templa deos fanaque in sacris. Ut nemo rogabit templa fanaque deos

CAP. XVI.

Heroës in ſylvam dum penetrant, in Timonidem offendunt ſolitariam vitam ibi agentem. Docet ille quæ fata poſt Timandræ mortem, Gallias exceperint, & cauſam ſui receſſus. Ergo Poliarch. ſtimulante Anereeſto ad bellum ſe comparat adverſus Autelyn.

Hæc dum colloquuntur ad denſiſſima ſylvæ penetrant, interim ad tartareas tyrannorum artes obrigentibus ac frementibus Archombroto, Gelanoro, aliiſque paucis qui ſe principis lateri officii cauſa applicuerant, cum ruſtica caſa ſe obtulit ſentibus interclusa, fontium in rivulos cocuntium aquis impedita, ſaxetis aſpera. Poliarchi mentem ſuſpicio delitescentis in ea ſolitudine ſolitarii ſtatim inceſſit. Juvat progredi, & ſuperatis ſalebris explorare quid lateat. Laborem hunc nemo detrectavit. Ergo magis provectis ſolitarius proterentium dumos aulicorum hauſto tumultu, cellâ caput primùm, deinde & corpus extulit attonito ſimilis.

Præmiſſa ſecundum vernulam comitatem ſalute, omnes ad improviſum monſtrum ſubitò obmutescunt, donec collectis animis os ſtupore mutum princeps ſic demum reſolvit: Quis te Deus, mi Timonides, in hanc eremum intruſit? Ex Siciliâ te dimiſeram ſolamen matri futurum, & nunc inter ſpelæa ferarum hominem videris exuiſſe, ut eſſe Timonides noſter jam deſinas. Cedo quæ tanti cauſa exilii? ſed num fallor tuâ deceptus umbra? Minimè vero falleris, ô princeps, retulit, ſum ipſe tuus Timonides. Omen Dii bene vertant: quem ergo curſum venti dedere? quid noſtra Argenis? ſuperatne? ecquæ illi relicti parentis ſenis cura eſt? vivitne Cyrthæa tua, ô Siciliæ delicium, generoſe Hyempſal? ô quantus Gallias luctus inceſſit ab amiſſa principe. Imo age, Rex, & ab origine prima errores, caſuſque tuos, ab ovo inquam fatorum veſtrorum Iliadem recenſe. Quibus poſtquam Poliarchus fecit ſatis, multa rogat ſuper cauſam receſſus, ſuper Timandram matrem, Andropiſtum, Har-

Buchstaben, Lettern, Schriften, Typen, Figuren, Charaktere, Zeichen, Schriftzeichen, Schriftarten, Typenarten, Figurenarten, Charakterarten, Zeichenarten, Schriftzeichenarten, Buchstabenarten

collegere. Is eſt enim mos communis Tyrannis, ut partis adverſæ clientes, & quotquot ſuſpectos habuerint, immerito fato donent.

Poſtquam Timonides omnium dolori fecit ſatis, ad regni excidium ita demum deflexit: porro factionum Autolyci ſumma hæc eſt. Autolycus capta anſa neminem eſſe jam credens qui conſiliis ſuis moras objiceret, abſente aut extincto Poliarcho, Timandra non ſuperſtite, clientibus Regum ſeu profugis, ſeu carcere recluſis, longinquiores provincias ſibi conciliavit, quatenus orbatum capite regnum occupans, horum præſidio fretus ex precario imperio non poſſit à quoquam deturbari. Ego vero tam tætræ belluæ furias declinans in hac eremo delitui, quam plurimis ſolitariæ vitæ commodis ipſa natura cumulavit, quandoquidem ad Siciliam patriam ſecurus non dabatur regreſſus. Hic Aneroëſtus indignatione ac bile calens exclamat; ô ſordidi terræ amatores, iniquitatum bajuli! ô capaces ſcelerum mentes, peccandi libidinem quando explebitis? Tua, Poliarche, virtute nunc opus eſt, iſte virum te, ac vivum, valentemque ſentiat. Tunc Poliarchus bilem evomens, ô me veſanum! ait, quem inviſa toties fata premunt, dum ſcelus ad arbitrium imperat: ſat eſt ſuperque dolori parentatum. Non arma expedient? in me nihil moræ poteſt eſſe. Cui Timonides: Expectanda magis eſt decernendi ratio, quam decertandi fortitudo, temere enim in acie verſari quidpiam eſt ſimile moribus belluarum.

CAP. VVII.

Cum ad turbam reliquam pervenissent Heroës, ad subitos conspectus Timonidis nemo non stupet. Sed dum Poliarch. belli consilia agitat, horret ad novas insidias, auditque quanto dolore Regis causa attritus sit Theander ipsi dilectus in paucis. Simul litteras accipit motuum fidem facientes.

Talibus colloquiis fraudato itinere ad reliquam turbam in arena procumbentem pervenerant, cum

cum cæteri improviso Timonidis jam à se multùm mutati vultu, cultuque solitario satis obtorpent; omnique statim dubitationis velo remoto, illius collum premunt, & latendi causas doceri postulant. Verum Cyrthæa auditis de Timandræ parentis obitu feralibus nunciis, vix mitius quam Phrygio more cœpit lamentari, & dissoluto gemitu funeri matris parentare. Attamen hos questus ut intempestivos exprobrans Poliarchus, Marti potius litandi tempus esse monet; animumque ex illo non impigrè ad bellum appellit, docens ad urbes quas prædo invadere nondum potuerat propter Præfectorum fidem, aut Consulum, sensim, non tumultuariè esse adrependum. Deinde agnoscendas adversarii vires, paremque aut superiorem numerum bellantium seligendum; tum explorandum pugnæ locum, & ipsos astus hostium in eorum perniciem esse vertendos.

Talia differentes subiti portenti horror avertit: victorem Chimeræ Bellerophontem prope existimant, equo Medusæo nemus prætervolantem, in quem unum expedita armatorum manus invehebatur. Iste flexu tumuli superato binos repetito teli jactu jam trajecerat, cum ad Heroas satis attonitos stimulis additis equum concitat opem efflagitans. Ad hoc monstrum quasi visa Gorgone defigi Poliarchus, indignationeque periculi, & imparis pugnæ perculsus ad suos ita se convertit. Gloria ô socii ad manum posita est; liceat inire gratiam ignoti militis, & ab officio pietatis meditati belli exitum auspicari. Illicò cuncti accingi ad opem: sed hostes per varios anfractus in fugam effusi sunt instanti subsidio perterriti. Tum hospes desiliens equo sic abire cœpit in gratias; seriùs quam par est mecum egissent fata, viri fortes, nisi in eo capitis discrimine quod incurri modo, virtutem pietatemque vestram comprobassem. Non est tanti, retulit Archom-

chombrotus, aliena virtus illi qui Marte proprio turbinem erumpentem discutere potuit. Verum quodcunque hoc præsidium nostrum esse potest, totum tuum est; utere ut libet. Hospes iste se sponte patiebatur officio vinci; tuncque, quo tandem cursus esset, unde gladiatores isti, & quæ semina odiorum vacavit percontari.

Quibus hospes, ego inquit unus sum ex manipularibus Andropisti: prædones vero isti ex Autolyci satellitio, qui assiduè subsidunt in insidiis, ut quotquot ab Andropisto ad te delegatos (jam enim Regem Poliarchum propius advolutus agnoverat) quacunque offenderent, hos suo furori immolarent: maximè ex quo ad portum Gallicum appulisse te rumor percrebuit. Vix Theander quem ad Andropistum legasti vivus ex eorum armis evadere potuit; nec enim exors periculi ac vulnerum fuit. Audito Theandri nomine, ubi ille tandem, subjicit Poliarchus, vivitne? ecquis legationis ejus exitus fuit? Theander, retulit iste, parem mecum aleam expertus est. Jacet adhuc Arelatæ acceptis vulneribus gravis. Et Poliarchus, nempe? at ille, nempe triplici vulnere sauciatus ab iisdem gladiatoribus qui me modo insequebantur, vix asylum urbem reperire potuit. Ingressus est tamen, & Andropisto qui summæ rerum præest, utique frendente Autolyco, litteras tuas porrexit, deinde lecto incubuit cedens dolori.

Poliarchus de Theandro nimiumquantum inquies dicentem interpellat, an lethifera sint hæc vulnera? cui miles; nulla interposita mora Andropistus Medicum acciri jussit, qui ubi præsto fuit, cœpit vereri ne telum unum divellentem sanguinis profluvium occuparet, & minus prosperæ curationis culpa in suum caput recideret, donec Chariclem alienigenam Andropistus pariter arcesseret. Ille ubi coram stetit, cœpit suarum virtutem herbarum impense jactare, ita ut inquit occisus draconis catulus herba quam Balin vocant,

Ad Ecclesiam Catholicam.

Ecclesiam Catholicam, quæ non solum bonos habet, sed & malos, & utrosque multos, nec malos ideo bonos esse, quia in Ecclesia sunt, nec bonos ideo malos, quia cum malis communicant sacramentis, quibus unusquisque non ad suum judicium, sed ad suam sortem pertinet, quæ in futuro judicio manifestabitur.

Ad Ecclesiam Catholicam.

& copiæ quæ in his oppidis & arcibus ſtativa habent, quas tu Rex, & quotquot ex naufragio veſtro ſuperſtites circa Phocenſes muros attritas tempeſtate vires reficiunt, in campum educes: deinde quo poßis Autolycum à tergo aggredi incautum, quem ego à fronte adoriar, deſignatum tibi locum comparabis. Arelatam inter & Maſſyliam campus eſt lapideus, in quo Herculem ferunt contra Albionem, & Bergiona Neptuni liberos dimicantem, cum tela defeciſſent, invocato Jove, adjutum imbre lapidum. Locus iſte aptus inſidiis, ibi caſtra metare, nec niſi ad conſtitutum ſignum copias inde move. Legatus iſte cùm de Autolyci conſiliis, tùm de Theandri vulnetibus, & ego de parandâ divis auſpicibus victoriâ plura coram.

CAP. XVIII.

Poliarchus urbes & arces ſuæ ditioni aſſerit, offeruntur à vicinis Autolyci tyrannidem auerſantibus, & pecuniæ, & auxiliatrices turmæ. Mox in campum lapideum educuntur acies. Mars utrimque atrox: ſed Poliarch. ex colle erumpens victoriâ potitur, vitamque victis indulget.

Revoluta epiſtola, & alta mente recocta, Poliarchus Gobriam cum Gelanoro in oppida cum litteris regiis ad manipulos mittit, quatenus in caſtrum quod in agro lapideo ſitum eſt quam primum omnes ſuccincti confluant, dum ipſe cum comitatu regio in arcem ſe reciperet illam, ex qua nuper Archombrotus cum Cyrthæa evaſerat. Magiſtratus urbium, præfecti, conſules, & quotquot nobilitate generis, aut amplitudine familiæ illuſtres erant, principis ſui comitate demeriti, ad ejus epigraphen cùm ſeipſos, tùm fortunas ſuas oblaturi in arcem ad Regem Poliarchum ſe conferunt. Obtulere quoque ultrò turmas auxiliares Volcæ, Aremorici, & Tectoſagi, & Taurini, reveriti omnes Autolyci impotentem tyrannidem. Nec magni negotii fuit Archombroto Sardos populares unà cum copiis Poliarchi imperium expectantibus elicere. Triduo

duo toto in apparatu & consiliis belli transacto, sub signis educuntur acies ex veteranis pene conflatæ, eo quasi ordine.

Primo agmini præibat Poliarchus, extremo Archombrotus; ad alas Gelanorum, & Gobriam Imperator constituit. Præcedebant horarii, qui levibus armis accincti parma scilicet & gladio primos congressus exciperent: deinde equitatus, & robora legionum: demum ultimæ legiones quæ pilo contorto, strictis gladiis, & collato pede consererent; nam sicam breviorem ad dextrum latus, ad lævum vero longiorem aurea catena subnexerat.

Principes agebant ordines. Milites ætate robustiores ab hastatis per intervalla divisi, & in quincuncem distributi: ultimique triarii qui rebus desperatis, & fractis animis vires adderent. Velites nullis armis præterquam parma tripedali, gæsaque peracuta præcincti, quò ad volitandum expeditiores fierent, inter levis armaturæ milites collocantur ad insequendam aciem inclinatam, ad excipiendos effusos hostes, ad infestas populationes inhibendas, ad repentinas excursiones paratissimi. Prætoriani assiduo sui Regis lateri hærent. Neque levius ad pugnam accinctus erat Andropisti exercitus.

Autolycus hausto armorum strepitu, sed de gemina acie minimè gnarus, ab arce sua signum roseum ac cæruleum equiti & pediti extollit clamans, qui Regnum salvum esse vellet, ipsum sequeretur ducem Autolycum. Moxque procedit in campum pugnam deposcens, & cuneos accendens circumvolitat. Dato belli signo, & angaris ignibus in summa arce, uti constitutum erat, Andropisti jussu sublatis, ipse à fronte cum Autolyco congreditur. Jam rebellium consonus clamor, armorumque crepitus spondebat victoriam, cum Andropisti pedester exercitus cum Chiliarchiis & Pha-

Phalangarchiis impetum hoſtilem ſuſtinebat. Hic ſago ſegmentato illuſtris prima in acie emicabat. Miſcebantur Lupis Minotauri, Sphynges Leonibus.

Præmiſſis pugnæ præludiis, fundis, & catapultis lapides, veruta tela baliſtis, glandes bombardis eminus excutiuntur: deinde ſariſſis, haſtilibus bipennibus decernitur. Undique Mars atrox & communis hactenus: cadunt hinc illinc promiſcuè, ejulatu horrent omnia: ſuccentarii ex inſidiis Andropiſtum adoriuntur, diſturbant aciem. Poliarchus eventus belli ſpeculator poſtquam ancipitem Martem ex collis jugo ſatis proſpexit, per occultos vallium ſinus in Autolycum imprudentem copias educit, prælioque defatigatum cautè ſtimulat. Fulgur diviſſes erumpens è nube cum fragore, & obvia quæque demetens, ſeu nimbum ſata læta bovumque labores ſecum evehentem. Jamque ad Regios Mars æquior inclinabat, jamque remittebat adverſum agmen, cum Andropiſtus inſtat percuſſis, Poliarchus in fugam præcipites excipit, dedunt ſe alii necem ultro deprecantes, partim inviti capiuntur, partim diſperſi palantur.

Evolat ante omnes rapidoque per aëra curſu
Frendens Autolycus, ventos poſt terga relinquit.

Is Aſylum in arce quærens obſidione cingitur; teſtudine, vinea, pluteis, falarica oppugnatur: nec ſegnior oppugnatio quam pugna fuit. Tandem erumpit quaſi ad ultimum nefas fluctumque decumanum Autolycus, & veluti fanatico actus impetu in hoſtem ruit, more furentis equi obvia quæque conterens.

Forma pugnæ inſolita Regios parumper exterruit; ſed Poliarchus, generis ſui memor illuſtri facinore hic nomen ſuum auxit: cum enim ad impetum tyranni, qua ſe intendiſſet, trepidantes turmas adverteret, ſubito advolans, hiccine eſt, ait, perduellis, factionum author ac fautor, Regni lues, omnis juris violator? ego te modo

te modo mactatam victimam manibus dabo: calcaribusque subditis infesta cuspide in eum fertur eo successu, ut assurgentem umbone resupinet. A cæde tamen abstinet quam Autolycus deprecatur. Detractis spoliis Poliarchus cæteros fundit, qui certamen anceps hactenus moverant: certat ipse, & ad castra compulsos alios cædit, alios ad preces conversos armis traditis sub jugum mittit, omnium ora in se avertens. Diripitur arx, aboletur, exscinditur, ad internecionem desolatur.

Manubiis victores onusti trophæa cum pæane erigunt. Andropistus tam insigni lætus victoriâ Poliarcho obvium se offert, manumque victoris amplectens osculo premit. At Rex in Andropisti laudes excurrens fidem illius comprimis extollebat, lacertisque sæpe eum stringens, memorem se exhibitæ fidei fore profitetur. Repetendæ mox arcis, & exercitus partim in eam, partim sub pelles dimittendi animus est, donec postera luce Poliarchus, Argenis, cæterique principes cum pompâ in urbem Arelatam inveherentur. In arcem procedendo Andropistus officii causa lateri Regis adhærens raptim delibatis pelagi erroribus aurem porrigebat, ipseque vicissim sollicitudines suas recensebat, cæteris principibus, qui latera cingebant animum ad hos sermones advertentibus, quibus itineris moram tantillam fefellerunt.

Ad vestibulum arcis cum Rex perveniisset irrumpit in collum obviam procedentis Aneroësti exclamantisque; Dii tandem exorati supplicum precibus aurem facilem porrexerunt, sereniſſime Princeps: nec irrita sunt vota quibus dum hostium arma domabas, ipse Deos flexi & ad tuas partes ut æquiores allexi. Simul victori epinicion hoc porrexit.

Te belli eximium decus,
Te forti celebrent Priamida parem

Et

Et proli Thetydos Dii.
Non te, invicte, premit militiæ labor,
Frigus non hyemis gravat,
Non terret nimium dira Canicula,
Non fati variæ vices.
Te nullæ excubiæ, non ſitis aut fames,
Te nullus cruciat dolor.
Non gaudes dapibus quæ Saliis placent,
Non ſomnum nimium capis.
Pro lecto recubans pulvere Martio
Armorum ſtrepitus amas.
Non teſtudo placet, non Cytharæ ſonus,
At Martis ſtrepitus placent.
Bellonæ patiens prælia concitans
Palmas aſſiduas metis.
Tu præſumpta rapis regna rebellibus
Et pacem populis refers.
Hinc non immeritas Gallia prædicat
Virtutes Herois ſui.
Hinc non immeritis tempora laureis
Victoris redimit ſui.
Et Mars ipſe ſua te beat arbore:
Alcides tibi colligit
Factis digna tuis ſerta: Jovis manus
Intexit tibi laureas
Immiſcens variis frondibus arborum,
Nec laurus tibi ſufficit,
Quamvis Phœbe tuis quæſieris jugis.

Alii quoque poëtæ laurus omnes, & omnes Parnaſſi frondes in celebrandis victoris trophæis impenderunt: in quibus ſupra laudatum hoc carmen locum hic meruit non vulgarem, quòd ſe & principibus, & toti aulæ probaviſſet.

AR-

ARCHOMBROTI ET CYRTHÆÆ
SIVE
SECUNDÆ PARTIS
ARGENIDIS
LIBER QUARTUS.

CAPUT I.

ARGUMENTUM.

Autolycus conditiones pacis in Cereris templo à Poliarch. accipit & juramento his acquieſcit. Oratores ex ſingulis urbibus Rex accipit, hiſque ſuam clementiam probat. Dumque Rex convivio accumbit cum Archomb. & Autolyco; hic tertii hujuſce gradus impatiens nocte recedit ex arce, & ad ſuos ſe recipiens, ad jaciendam iterum belli aleam impellitur.

POSTQUAM Aneroëſtus, Regina ac cæteri imbelles in occurſum victorum properantes juſtis plauſibus Poliarchum exceperunt, ſanctius nihil viſum eſt quam ut omnibus grati animi ſignis Dii remunerarentur, & onerarentur muneribus aræ; deinde & Autolyci fides, & conditiones pacis ſacramento circa ſalem & fabam firmarentur. Ad id negotii oportuna fuit antiqua Cereris ædes ad præſidium arcis jamdudum erecta. Itaque Autolycus in mediis Poliarchi laureis marcens, in principis, purpuratorumque comitatu Theſmophoræ ad aras proceſſit, ſpeculum Numini tenuit, & ſacris de more exhibitis Deæ purpuram induit; accenſiſque facibus quaſi præſente Numine per quidquid eſt Deorum tactis aris, perque regium ſceptrum dejerat; ſtricto deinde in verris ju-

gulum gladio, dum mediam habent hoſtiam, Poliarchus hæc liberali vultu: quoniam victoris eſt pacis leges dare, ſit tibi non quidem amplius trans Alpinos montes præfectura; at Galliis in poſterum præfectus eſto, dummodo ſimultatum reliquias omnes deponas, meaque præſidia in arcibus quæ mari imminent patiare; cæteræ arces deſtruuntor, nihil ſit tibi poſthac commercii cum Allobrogum Colonia: Denique cum in tota pene Gallia toto fere bienno immenſa tributa Commindorigis patris ampliſſima gaza non exſatiatus exegeris millies ſeſtertium, in ærarium pro regni commodis reſtituuntor. Dum Autolycus & cœlum, & terras, & Solem, & quotquot numina cœlo terriſque præſunt, & ipſas ultrices furias teſtatur, exhauſtum eſt verris jugulum, moxque hoſtia in fluctus demerſa. Verum ſcurra non illepidus hæc interim ad aurem Archombroti muſſitabat; etſi adderet & Allium, & Cepas Ægyptias, & Zenonis Capparim, & Crambem Jonum, & Lamponis Anſerem, fidem haud reciperem iſtius hominis ex fallaciis, mendaciiſque conflati ab imis unguiculis uſque ad verticem.

Tunc ex ſingulis urbibus Oratores ſupplicem lanam geſtantes ad Regem conceſſere ejus fidem imploraturi, dum alii in arcem ſuam, Allobrogum Coloniam, velut ad aram transfugiunt. Qui rumor poſtquam ad principum aures allapſus eſt, ſciſcitanti Archombroto quodnam aſylum ibi quæreretur, Poliarchus loqui ſic órſus eſt: Libertatis effrænatæ ſacra fames in cœcis mortalium mentibus quid non poteſt, & quot homines tranſverſos non egit? Emerſit è Styge natio ſacrilega conflata ex ganeis, fuco virtutis vitia mentiens: & alii quidem Tartarea quorundam eloquentia delusi: alii novitatis œſtro impulſi; hi genio, illi ingenii argutiis ſervientes, non pauci cœca ambitione ruentes in gladios; demum Lurcones, Helluones, ſce-

ſcelerum mole fracti, conflarunt mendacia, jugum ſui principis excuſſerunt, ut novas Reſpublicas inſtituerent; aut ad tyrannos qui ſuis faveant cupiditatibus delabuntur. Addantur inquietæ mentis tumultus perpetui, inſolens tumor, mobilitas animi in errorem, ac vitium præceps. Iſti libertati ſceleratæ libidinibuſque aſſueti, aut conſciæ ſcelerum mentis ſtimulis acti malunt ad hoc domicilium rebellionis, impietatis arcem, tumultuum caput, omnium malorum fontem declinare, quam experiri meam clementiam. At caveant juſti doloris aculeos. Tum legatos liberaliter exceptos dimiſit.

Simul his Andropiſtus Regi author fuit, ut poſtera die ſub ignota veſte Arelatam ſe transferret, ne qui populares Autolyco ſtudent, extollantur & tumultus excitent, ſe quoque anteceſſurum promiſit, quò ſenſim furioſos demulceat. Aſſenſu Poliarchus accepit hoc conſilii; deinde cœna parata, ubi menſis inſtructis omnes accubuere, & Rex Archombrotum ad dextram, ad lævam Autolycum collocavit, ipſe ut erat ſecundi, nedum tertii gradus impatiens diſſimulavit tamen ea luce; donec poſt curata corpora omnibus ad quietem jam converſis, ad fraudes ſuas, ingeniumque ſuum revertitur; omnibuſque in ſomnum lapſis circa ſecundam noctis vigiliam, cum reſeratas valvas, demiſſumque pontem ſublicium reperiſſet, nam cuncta ab hoſte ſecura ea nocte videbantur, ad milites ſuos ſub pellibus citra vallum pernoctantes gradum præcipitat, eoſque neſcios quò proficiſcantur, ſua ſequi auſpicia jubet, & per incerta noctis citiſſimo greſſu incedere. Demum Autolycus qui neceſſitate compulſus victoris iram deprecatus erat, vix è manibus Regis evaſit, vix in perduellium urbem ſe contulit, cum factioſorum qui ad hanc aram confugerant, accenſus flabello ad vindictam nimium præceps extrema omnia, & fluctum

ctum decumanum parat, quatenus & tota navis, & qui clavum tenebat aut allidatur, aut absorbeatur: maximè verò ab insularibus Oceani, & Cis-Rhenanis populis oblatæ auxiliares copiæ consilia jactandæ iterum belli aleæ communierunt.

CAP. II.

Dum iter ad urbem Arelatam regni caput Rex parat, fugam & rebellionem advertit Autolyci: dilataque vindicta sub ignota veste urbem petit. Andropistus vero præmissus incipit primum demerere plebem, deinde amorem Poliarchi eis imprimere. At illi gnari Poliarch. adesse, adeunt hunc, sustollunt humeris & Regem salutant

Reducta luce, Poliarchus & Andropistus stratis desiliunt, sumptoque Gallorum more brevi jentaculo (panis erat intinctus mero) dum Andropistus in urbem, qua compendium est, satellitio assumpto contendit, Poliarchus rogato Archombroto, Argenide, cæterisque, ut intra biduum itineri se accingerent, assumptoque ad comitatum Gelanoro, mutatis vestibus plebejâ, omissaque regii fastigii mole, iter ad urbem ingreditur. Attamen nondum ex arce pedem extulerant cum Autolyci Poliarcho in mentem venit: creditque hunc officio demeriturum, si ante susceptum iter in thalamum ejus tenderet, multamque salutem ei impertiret. Verum spe sua, & opinione quantum dejectus est, ubi nullum non modo repertum est Autolyci vestigium; verum etiam postquam nec illius miles sub pellibus apparuit. Ad hoc murmur principes excitati violatam hominis perjuri fidem execrantur. Mox quæsitum est, num satius videretur instare perfidis? verum antequam eos assequeretur exercitus regius, debilitatum ac pene confectum iri Poliarchus asserebat; expectandum potius fugæ eventum, militemque regium sub signis, dilatâ missione relinquendum. In id consilii pedibus itum est. Poliarchus vero metu insidia-

diarum nonnullos præmiſit, qui technas hoſtiles explorarent, dum pedibus non equis à tergo ſequeretur.

Jamdudum Andropiſtum urbs tenebat, cum Poliarchus ad mœnia cum Gelanoro proceſſit. Ad alterum tertiumve ſtadium his quos præmiſerat ſpeculatoribus obvius factus ad arcem revertendi imperium fecit, quatenus principes de Rege ſolliciti omnia in tuto poſita eſſe, & ſecurum ab inſidiis Poliarchum intelligerent. Deinde Rex portæ urbis ſe obtulit, ubi Andropiſtus milites duos Poliarcho notiſſimos à ſuo in urbem ingreſſu collocaverat, qui venientem ſub ignota veſte Regem in regiam adducerent.

Res ex ſententia cecidit; Andropiſtus immutatum Poliarchum in regiam accipit, donec poſtera luce Regem Civitati, Civitatem Regi, adeoque regni habenas hactenus ſibi creditas reponeret. Reliquum diem ſermo de Autolyci perjurio, doliſque abſumpſit. Adhuc tamen incertam mentem de Autolyci conſiliis circumferebant, cum ecce unus qui à Tyranno deficiens ad Poliarchum transfugerat in exercitu non temnendus, quippe cujus ſub auſpiciis dimicabat una Legio. Is à Poliarcho cum omnibus benevolentiæ argumentis acceptus, & in conclave cum Andropiſto & Gelanoro admiſſus, Autolyci conſilia, opponendaque aconitis antidota ſic aperuit.

In rebus aſperis, ac tenui ſpe fortiſſima quæque conſilia tutiſſima ſunt: pacem autem regno ſola vi armorum, juſtiſſimaque in perduelles animadverſione poſſe conciliari dudum uſus comprobavit; ubi factione Coryphæorum impulſu clandeſtini motibus miſcet imperium, qui niſi maturis ſedentur pœnis, acceleratâque vindictâ, in civilia bella ſolent erumpere, quæ ſolo Marte deinde, vel cum ſummo plebis incommodo poterunt propulſari. Etenim iſte dum regnandi famem publico prætexit commodo; militem

in dies ſcribit, in ſacramentum adigit, cogit commeatus, ſubſidia confœderatorum comparat, ſaginatque ærario publico; adeo nihil eſt quod præpotentem coërcere tyrannidem, aut intemperantem ejus libidinem explere poſſit.

Andropiſtus dicentem excipit: ſolute viventes fiunt plerumque deſpicabiles, & occaſiones multas inſidiantibus præbent. Quare verbo dicam quod hic faciendum reor: quandoquidem nihil eſt quod intemperanti iſtius libidini ponat terminos, neque tuis, liberaliſſime Rex, beneficiis intra juſtæ moderationis carceres reſtringi poteſt, Typhæum hunc ab axe ſuo deturbandum, te vero ſereniſſime Regum, in ſolium abſque mora tollendum, ac plebi exhibendum cenſeo. Stabit à partibus tuis multitudo tot exercita odiis, Autolyci clientelæ angore marcebunt, & naufragium bonorum ſuorum veriti, ad te, Rex, omnium portum celeri remigio confugient.

In Andropiſti ſententiam ſuffragia omnium coierunt, vindictæ cupidine procerum animos ad ultionem excitante. Itaque optimates primum, deinde & plebem Andropiſtus demerere feſtinat, coactamque in publicas ædes in hunc modum alloquitur: Gratias quas poſſumus Diis immortalibus habeamus (optimi cives) qui nos velut exanimatos tot civilibus bellis è mortis vicinia tandem hodie revocant. Quam fidem omnem ſuperat cœleſte beneficium! Litaſtis lachrymis, & diu litaſtis fatali crini imperii, illius inquam principis periculis, à quo vos, veſtræque fortunæ, atque adeo tota ſors regni pendebant. Hactenus ſub duriſſima tyrannide gemuiſtis atrocis belluæ abruptis quaſi vinculis ſævientis. Quot procerum cædes? quot civium optimorum, quos Regi, optimiſque partibus ſtudere indignabatur, direptiones, & odia impune graſſantia? Demum rebus jam quaſi planè deſperatis,

hac

hac luce, quæ ideo lapillo meliore notanda eſt, ſumma ſpes vobis, proceribus, civibus optimis affulget: nec procul abeſt votorum ſumma. Jam enim regni columen Aſtioriſtes veſter tot fatis pertubatus clavum tenet, quod Autolyci manibus vix unquam eripere potuimus. Adeſt nobis jam reſtituta Hectoris magni clara ſoboles, quam vobis jampridem ſubductam meliora nunc fata reponunt. Recenſitiſque Poliarchi erroribus, laboribus, periculis, naufragiis, eum demum incolumem vivere, ac reducem civium ſuorum incredibili amore flagrare; & hunc tributis, quorum mole hactenus laboraverant, finem jam facturum aſſeverat.

Ad hæc multitudo conſpirantibus votis, & confuſis vocibus Andropiſtum obſidere, & exquirere ubinam gentium Aſtioriſtes ſuus diverſetur: neque prius ſe cibum ſumpturos quam eum humeris ſuis in ſolium paternum ſuſtuliſſent. Ille ubi regia recludi hunc theſaurum ſignificavit, ſtatim omnes ſodalibus Autolyci marcentibus, compendio viarum in palatium diſcurrentes eductum inde Principem clypeiſque de more ſuperimpoſitum per urbem certatim humeris ſuis circumferunt plauſibus intonante plebe. Theander qui convaleſcere cœperat, ex lectulo in regiæ limen ſe contulit, quo & ipſe Regi, ac multitudini lætitiæ ſuæ ſenſus hoc carmine exprimeret.

Tempus adeſt, mœſtos, Galli, deponite queſtus,
Velleribuſque novis, & feſtis frondibus aras
Cingite, Rex venit ecce ſub quo aurea ſurgent
Tempora, & afflictis Saturnia Regna redibunt.
Victor ades, tecumque redux pax candida noſtros
Ecce focos, & tecta ſubit, virtuſque quieſque.
Parcite mortales lachrymis, detergite fletus,
Optatum redit ecce jubar, frontiſque verendæ
Fulget apex, oculique micant, aſſuetaque bellis

Brachia defeßis ſpondent pia gaudia Gallis,
Non audet fœdare diem caligine cæca
Nox inviſa diu: dudum quaſivimus omni
Æthere diſtantis fulgentia lumina Solis.
Fœlices Galli queis jam meliora retexit
Fata colus, retulitque ſuum poſt prælia Regem.
Scilicet exoritur ſydus, quo clarius ullum
Non fuit, & mœſtæ noctis caligine pulſa
Pulchrior exurgit Titan, cui plurimus hæret
Ore Deus, rutilos qui præfert frontis honores.
Fortunata nimis, luceſque habitura ſerenas
Gallia, plaude manu, tantoque hæc dicito Regi.
Mœſta ſcena ferox aleæ, bellique theatrum
Sæpe inſtaurati captivo in pulvere triſtes
Relliquias verſo; nec primo fulmine belli
Quaſſa premor, cælo dum triſtia jurgia fervent:
Nec potui verſas ſupremi Numinis iras
Flectere, nec potui denſis obſiſtere turmis.
Ah quoties mœſtam haud uno certamine ſtragem,
Sparſaque per campos, per mœnia funera vidi!
Qui populi toties me non doluere ruentem
Dum pluſquam Herculeis ſæpe obruor undique telis.
Hactenus at fatis ſatis eſt pugnaſſe malignis:
Nec queror exitium, ſiquidem fœlicior exto
Magnanimi Regis ſceptro ſubjecta potenti.
Plauſibus ergo viæ reſonent, dum lilia plena
Fundo manu, Regemque meum ſecura ſaluto.
O quantus, quam gratus ades, quam foris in armis!
Rhenus, & Eridanus, Rhodanus, rapiduſque Garumna,
Et crebrò ſtupefacta tuis Europa trophæis
Poſt domitas aquilas, pardos, portenta, leones,
Æternas lauros, nomenque perenne parabunt.
Ingredere, ô Rex alme, ſuos tua Gallia pandit,
Namque tibi ſecura ſinus, ſceptrumque reponit.

Verſatilis fortunæ motus ſic ludunt mortales, nunc eve-

evehentes ad ſydera, nunc ad Cocyti profunda mergentes.

CAP. III.

Poſtea Andropiſtus politicis conſiliis Regis animum imbuit, maxime vero ſublevandam tributis plebem docet, omnibus denique modis conciliandam in ipſis regnandi primordiis plebem, ut novi Regis inſolito jugo facilius aſſueſcat.

Poſtquam in aulam appetente jam nocte Poliarchus ſe recepit, cœpit Andropiſtus regiis negotiis aſſuetus optimis conſiliis animum Regis ſic imbuere. Quicunque in alios principatum tenent, hos cumprimis decet communi legi dicere ſacramentum: cumque univerſali ac ſempiterna lege receptum ſit inferiores parere præſtantioribus; ſi quid legis injungere inferioribus placuerit, eam prius in te experiare neceſſe eſt; etenim non tantum flectere humanos ſenſus edicta Regum valent, quam illorum vita & mores: & quidem tu ſi primus juſſis tuis obtemperaris, tunc obſervantiorem habebis populum. Regnantis digna vox eſt, legibus alligatum ſe principem profiteri: ſic enim optimi Regum animos popularium ſuis nutibus dulciſſima libertate ſubegere: id autem firmiſſimum imperium eſt, quo obedientes gaudent, & tota vis imperiorum in obtemperantium conſenſu ſita eſt. Hoc primum.

Deinde quatenus populus novo Regi aſſueſcat, illiuſque jugum ultro patiatur, hunc oneribus tributiſque ſublevandum putem, nam ſub tali Rege regnorum mitiſſimam ſortem eſſe nemo non autumat. Quam longe ergo ab iſtorum opinione debes diſſentire, qui imprudentiſſimè jactitant in alto poſitum non alta ſapere magnæ molis eſſe: impune quælibet agere id Regem decere: jus regnandi cauſa eſſe violandum, in aliis colendam pietatem: & quod contemptor ani-

mus & ſuperbia tumens commune ſit nobilitatis malum, rem eſſe difficilem in magna licentia moderari ſibi. Attamen tunc omnia jure obtinebis cum tui, tuorumque affectuum Rex eſſe potueris:

Demum ſubjecit; opera danda eſt ne ulla belli renovandi materia in poſterum relinquatur. Cumque rebellionum caput fuerit diſcors tumultus ſenatum inter, & præfectos plus æquo in æs, & cutem ſævientes, hos tu, Rex, ut commotæ plebi nonnihil des, provincia ſummove: præſtat enim tuta conditione pacem accipere, quam æquis viribus cum plebe certare. Et quod ad factioſos, cum illis remiſſiùs agendum eſt tibi; ſcias enim ad greges ſervandos non lupos mitti, ſed paſtores; & priſcos Reges plus profuiſſe clementia quam arte bellica.

Ergo Poliarchus his præfectura amotis, gratioſos ſuffecit, plebem vectigalibus ſublevavit, attritas inedia urbes commeatibus refecit, portoria minuit, amniſtiam promulgavit: congiarium plebi, donativum militiæ per ærarios diſtribuit.

Ad hanc Regis clementiam vix quiſquam in urbe, & in regno fuit, qui à nefariis conſiliis diſcedens ad meliorem mentem non ſe reciperet: quæ cauſa Autolyco fuit ut ab exteris auxiliares turmas poſtularet. Fuere autem qui hoc de pace carmen in vulgus ſpargerent.

Dicite io juvenes, & io bis dicite cani,
Pax optata redit, plaudite, virgo redit.
Civilis non ſæva furunt incendia belli,
Captivus ſacra languet in arce furor,
I citus infernas, Mars ferree, Ditis ad umbras,
Hinc Bellona tuos propipe ſæva gradus.
Symbola pacifica per templa ligantur olivæ
Fulmineaſque manus fauſta Minerva fugat.
Nunc Aſtræa redit niveis circumdata vittis.

En

En redit Aonii turba novena chori:
Inſequitur Phœbus, Phœbum Cyllenius ales:
Plutus adeſt oculis captus, & alma Ceres.
Diraque pauperies tantorum cauſa malorum,
Et maleſuada fames, atraque cura fugit.
Stilicet in falces gladios decet ire recurvas,
Atque aciem in flavas vertere frugis opes.
Ergo pro galeâ, roſeis redimite coronis
Tempora, pro raucis tangite plectra tubis.

Itaque Poliarchus ſanctiſſimis legibus imperium ſuum communivit, gnarus id eſſe momentum legum, ut ſine legibus non domus, non civitas, non gens, non ipſa natura ſtare queat.

CAP. IV.

Deſicientem Autolycum Poliarchus tentat dimiſſa repetundarum parte ad ſe revocare, ſed fruſtra; nam iſte factione ſua ferox Regem è contra omni convitio inſectatur; & non contentus jactatis in vulgus libellis ejus nomini detraxiſſe, mimo etiam in publicum dato ore & impudentiam ſuam prodit, Cothurni argumentum à Theand. producitur.

UT nulla ſcintilla belli domeſtici ſuppoſita cineri doloſo ſupereſſet, Poliarchus Autolyci conſcientiam tentare; ac dimiſſa repetundarum parte ſollicitare ad pacem, ſibi in animum induxit, ſciens meliorem, tutioremque eſſe certam pacem, quam ſperatam victoriam; hanc eſſe in manu Regis, illam eſſe donum Deorum. Adde quod à ſubditis longe fœliciùs obeditur, cum vis abeſt, & injuria. Idcirco Gelanorum cum Theandro, quorum alter in civilibus atque politicis, alter in bellicis conſiliis erat melior, in Allobrogum Coloniam miſit, ut magiſtratus urbis hujus primariæ cum ſuæ factionis duce Autolyco conditionibus pacis ſubſcriberent. Verum iſte bilem in Poliarchum evomens, & torvis vultibus in Gelanorum, ac Theandrum intuens, Dii, inquit, illum eradicent hominem

minem qui me regno detruſit, ſimul quam hi geſtabant olivam pede proculcans addidit: nullam ſibi cum adulterino Principe, ac ſuppoſititio Timandræ filio pacem fore: patris ſui Commindorigis ſanguinem effuſum vindictam ſitire. Contra Theander gnarus quantum ſit momentum pacis, quæ quibuſlibet bellis etiam cum ſpe victoriæ potior eſt, eloquentiæ ſuæ mellea ſuavitate ferreum hominem, & in Martem obſtinatum emollire aggreſſus eſt: verum ad ferream indolem Autolyci, ejus eloquentiæ acies hebeſcebat. Immo tyrannus ad omne flagitium impiger libellis occultis cœpit ſævitiæ Regis Poliarchi adrepere, quatenus Gallicam gentem extolleret, & à debitis obſequiis penitus averteret. Ad horum libellorum aſpectus velut ad monſtrum Meduſæum Gelanorus ac Theander obriguerunt. Regnandi libido inextinguibilis in quæ convicia non rapitur. Non contentus Autolycus Aſtioriſtis famæ infamibus codicillis detrahere, hiſtrionibus à ſe conductis Regem, & quotquot infeſtos ſibi conjiciebat, pro recepto more ex theatro carpere, & pluſquam Theonino dente mordere inſtituit, ne ipſi quidem parcens Galliæ, quam argumento infamavit, quod inde rediens cum Gelanoro Theander Regi ſic expoſuit.

Ut audivi magnificum civitati cothurnum dari, cui præfixus erat titulus *Oppugnata Proſperitas*, ut mimicorum ſpectaculorum ſum ſtudioſus, conſentiente Gelanoro ego mentito habitu, & quaſi unus è plebe ſtatim ingreſſum elaboravi, & quanta pertinacia turba vilis urgebat, tanto impetu lacertos rotabam quaſi proletariorum aliquis ſpectaturus è cavea. Senſim multitudinis capax locus coëunti frequentiæ defecerat, vixque ſufficiebat Orcheſtra magnatibus: nullus enim mimus magis ſtudia civitatis erexerat: nec plures hactenus è vulgo illuſtris ſcena propter poëtæ famam evocaverat.

Ergo

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 1. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Kirf über Merzig, Saarlouis, Saarbrücken nach der Grenze des Kreises Ottweiler bei Neunkirchen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 2. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Wiltingen über Saarburg, Trier, Wittlich, Daun, Mayen, Andernach nach der Grenze des Kreises Neuwied bei Weißenthurm.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 3. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Prüm, Schleiden, Düren, Jülich, Erkelenz nach der Grenze des Kreises Gladbach bei Rheydt.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 4. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 5. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 6. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 7. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 8. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 9. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 10. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 11. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 12. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 13. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 14. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 15. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 16. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 17. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 18. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 19. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 20. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 21. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 22. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 23. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 24. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 25. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 26. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 27. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 28. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 29. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 30. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 31. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 32. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 33. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 34. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 35. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 36. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 37. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 38. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 39. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 40. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 41. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 42. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 43. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 44. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 45. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 46. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 47. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 48. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 49. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 50. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 51. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 52. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 53. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 54. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 55. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 56. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 57. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 58. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 59. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 60. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 61. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 62. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 63. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 64. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 65. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 66. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 67. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 68. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 69. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 70. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 71. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 72. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 73. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 74. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 75. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

Bezirksstraße 1. Ordnung Nr. 76. Von der Grenze des Kreises Saarburg bei Trier über Bernkastel, Wittlich, Gerolstein, Münstereifel, Euskirchen, Bonn, Siegburg, Mülheim nach der Grenze des Kreises Solingen bei Opladen.

seriem publicanorum deferri curent. Denique dum Reges vicini mutuis bellis ardent, nulla quies aut pax secura esse potest in populis maximè turbulentis: sed auxiliares turmæ offerendæ alterutri parti adversæ, ne ingenia ad turbas propensa tempore abutantur ad facinus & rebellent, dum enim Cambrinorum princeps alta pace populos suos regere conabatur, sedebatque velut arbiter litigantium invicem Regum, ille fato cervicibus suis impendenti minime exivit, Damocle Siculo securior: sed è solio in carcerem, è carcere in theatrum lictoris gladio periturus detractus est, stupente quidem orbe toto, sed nemine opem offerente, nedum insolitam necem ulciscente. Hi truncato Rege suo, conjugeque illius cum liberis ad fœderatos transeunte, toti jam fuere in constituenda nova Republica: alii acquiescunt, coguntur alii, attoniti spectant principes, expectant exitum innumeri, metuunt dum sperant alii, minantur victores, etiam dum fœdera offerant. Præluditur comitiis regni pro magistratibus eligendis; sed turbarum auctor Andromus quâ vi, quâ dolo solium invadit, terroremque nominis sui per regna confinia circumfert, omnium nationum fabula, omnium principum terriculum: religionis propugnator erat illius, cui populus magis favebat. Conjurationes non paucas elusit; & suspectos vel securi subjecit, vel tenebris æternis mancipavit, vel certe in barbaras oras bonis omnibus exutos relegavit: cæteros qui familiam ejus illustrare ac fulcire possent, affinitate sibi conjungens: sed quam plurimos defectionis specie de medio sustulit: scilicet omnia regnandi causa licent.

Adhæc Theander ne iste vulpino more Solium occupavit; lupina ferocitate sibi servavit; canino demum quasi fato occumbens deserere coactus est: vivens tamen ac moriens honores Solis Dynastis debitos est assecutus, etsi precario, ac dolo malo imperasset. Speravit

rabat vero, at nequicquam liberos ſuos eadem authoritate, ac paribus dolis regnaturos, quod ipſe regios titulos, cæteraque inſignia ſupremæ poteſtatis, quaſi ad memoriam poteſtatis nunquam perituram in familia ſua reliquiſſet. At ſpe inani mentem paſcebat.

Et Gelanorus: ſoli pepercerat regio nomini, quo libertatis cives admoneret, quam dum videtur protegere, hanc ſibi ſubdolè mancipat cautus homo, ancipiti gladio ſemper uſus, omnibus bifrons, ac bilinguis, tot formas induens quot Proteus, vel Achelous. Modo hunc vidiſſes fucatam pietatem præ ſe ferentem; modo judicum novorum collegium judicandis ſuſpectis viris conſtituentem, peſſimi ominis tyrannum incomptis crinibus, craſſo naſo, patulo & ſimo, genis abbreviatis, & ſordido pilo deformatis; impexa barba: denique nihil erat in eo quod majeſtatem quam ambiebat, gravitatem quam mentiebatur, pietatem quam fingebat, ullo modo redoleret. Sed nunquid audiſti de illius Egeria, nominatiſſima illa Sibylla, quæ tot miracula de Andromo iſto præcinebat ſimilis vaticinanti?

Cui Theander: Ecquis non audiſſet? nullus eſt in Europa tota qui non abundè, & toto ore fuerit cachinnatus. Hac ille fraude incautam, & nimium credulam plebem ſperabat deceptam iri: ſed cum ſoli ſimplices hoc dolo caperentur, alio calliditatis genere errorem ſuum deterſit; dum Sybillam ſuam in carcerem compegit. Hac enim arte multo plures adducti ſunt ut crederent, non conſiliis tyranni, ſed divino quodam œſtro fuiſſe impulſam.

Complexus hos ſermones Poliarchus, ô callidum hominem ait: ſed callidiorem ſi vitam cum imperio ſibi, ſuiſque prolongaſſet! at irritæ ſunt artes Æſculapii, ubi Parcæ ſunt inexorabiles. O fors fortuna ut nunquam es perpetuo bona, ſed inconſtans, mobilis, ac

varia. Nam etiamsi secundo flatu hæc diu aspiraverit votis tyranni, adversa tamen eadem liberis ejus fuit, & ad legitimas partes ultrò se convertit. Subdidit Gelanorus; reverita scilicet arma tua, tuamque virtutem, ô Rex, extorrem principem in paternum Solium restituit. Sic ludit conatus & consilia mortalium, fortuna, vel ipsa magis Deorum prudens cura circa res humanas: quippe Jupppiter cum rebus initium, & naturæ leges daret, cum seriem rerum, causasque, & eventus inter se converteret, non ignoravit, & quid essent mortales peccaturi, & quid iidem sua in Deos pietate merituri. Mortalium igitur pietate, religione, æquitate mitescunt decreta, quorum eventum jam olim sapientissimum numen prænoverat.

ARCHOM-

ARCHOMBROTI ET CYRTHÆÆ SIVE SECUNDÆ PARTIS ARGENIDIS

LIBER QUINTUS.

CAPUT I.

ARGUMENTUM.

Poliarchus victor cum omnibus communis latitiæ argumentis excipitur, obviam præeunte Archombroto. Argenis vero omnia quæ gesta erant in puerperio suo simul felicem horoscopum fœtus, & præsagum insomnium suum exponit.

AD urbis mœnia Poliarchus jam progressus erat levi succinctus equitatu, cum Archombrotus audito hoc nuncio obvius processit stipatus purpuratorum grege, & confluente turbâ civium novas palmas gratantium Regi, plausibusque victorem excipientium. Erecti passim arcus triumphales, in quibus variis symbolis luserant Apellis manus, & ingenia poëtarum; denique in communis argumentum lætitiæ omissum est nihil.

Argenis ubi Poliarchum suum reducem atque palmarem conspicata est, quanto lætitiæ sensu non percellitur, qui gaudiorum montes ejus mentem non obruunt. Cum ex ægritudine partus saucia adhuc jaceret, nihil tamen moræ fuit in illa, quin fœtum suum castissimi thalami pignus ante oculos charissimi conjugis sisteret; & dum Rex curando corpori vacabat, omnia in puerperio observata nutricem narrare jubet: uti ex alvo materna exceptus infans humi pro

more positus est, extructis Pilumno atque Picumno lectisterniis: deinde ut ablutus calida, atque perunctus, cunis innoxiis obligatus; denique uti die lustrico, qui nonus fuerat, Theopompi præsagum nomen, quod Poliarchus mandaverat, ei rite impositum est. Oblati sunt etiam ab Argenide aliqui poëtarum versus à puerperio editi, quos Poliarchus cum haberet gratissimos, eos statim ita legit.

Divinam sobolem sacræ sororis
Nunc nunc Ambrosio sinu fovete,
Undis Castaliis labrum rigate,
Gratos spargite Gratiæ liquores,
Et vestris caput impedite sertis:
Nam vos cernitis, ut puer serenis
Spectans luminibus suos tuetur;
Annis ingenium probatque majus
Fausto sydere natus, & parentum
Dulcis cura simul, simul voluptas:
Et cui lanificæ neant sorores
Annos quos superet, benigna fila.

Nimirum arcanus ocellorum vigor nescio quid divinum, atque præsagiens in puero portendebat: sed neque leviori stupore & gaudio ad tot indicia futuræ virtutis Poliarchus rapiebatur: quamobrem Argenis præsagum insomnium, quod sibi pene parturienti contigerat, gestienti Regi & in vota effuso in hunc modum narravit.

Dum ego desiderio tui jamdudum absentis quasi tabescebam, inquit, & fœtui meo ob superstites reliquias factionis satis superque timebam, Ego inquam curarum mole oppressa, & nocte jam ad lucem declinante (quo tempore puriores defæcatioresque somni sunt) in leniissimum somnum lapsa, Apollinem videre videbar, suo numine terras implentem, atque monentem hunc à fatis fore illibatum, quem Cupidinis telis impe-

imperium par Herculi virtus immortalitate donaret. Simul his coacto Deorum cœtu Juppiter accensum in Trojanorum reliquias Junonis conjugis iram lenire videbatur. Illa æstu posito partum meum Herculis Gallici, nepotem medio faventium superum choro sistebat, inter quos Samothem mirabar nive capitis emicantem. Pan orbis præses par in rura jus ei decedens, ad Solium evocabat. Juno munificentiæ suæ plenius velificata lilium à se productum, & sui tesseram fœderis Iridi suæ porrexit Gallo nascenti deferenda. Hæc talaria induens encausto multiplici nubes arcuabat, Dædalioque remigio allapsa lilium uberis Junonis germen principis sellæ præfixit; tum in arcum sinuata, cœlesti hoc annullo, quem circum densam nubem appinxit, partum meum subharravit.

Et jam Gallicus Heros docto Minervæ fictus pollice, & ad sceptri majestatem eruditus caput crista inumbrare mihi videbatur, & suo gallicinio Leones territare: pectus indurabat ægis, in qua cudenda Mulciber Junonis matris imperio, solitas Cyclopum artes prævorterat: dextram armabat gæsa à Pyracmone sudata, certoque vulnere feriens: lævam clypeus muniebat, cujus hydræ, ac ceraſtæ multiplices Gorgonis ora flagellantes in saxum hostes indurabant. Tum admotus est à Mercurio Pegasus omni alâ pernicior, cujus ferox incessus meum turbavit insomnium.

Hæc narranti aderat Ægyptius in Matheſi peritissimus, is è cœlo observasse docebat in ipso momento puerperii planetarum occurrentium situs, flexus, & influxus; & Martem quidem à Venere aversum, & conversum ad Jovem, ac utrumque spectantem Solis sphæram, omnium virtutum regiarum, una confluentium in hac regia sobole portendisse, talesque ac tantas dotes influxisse in eam, ut ad illarum splendorem majorum atque posterorum virtus hebesceret. Subdidit-

que rerum futurarum, ac remotiſſimarum præſcius; regius iſte puer adhuc in cunis ceu Hercules aliquis Cis-Rhenanos populos perdomabit, & Aquileiorum Eburonumque potentiſſimas urbes expugnabit. Adultus vero, mutataque in trabeam prætexta puerili arcibus, præſidiiſque rebelles ſpoliabit, vicinas provincias ſuæ faciet ditionis dulciſſimo jugo ſenſim aſſuefactas. Per Oceani littora armorum ſuorum terrorem circumferet, & Iſter victoriis illius luſtrabitur. In Oenotriam pedem extendet; & imperium uſque ad antiquos limites proferet: dabit hoſtibus conditiones pacis, & flagrantes civilibus motibus provincias & urbes ſolo conſpectu componet.

Denique Theopompus veſter adoleſcente virtute cum annis ſcelus imperii profligabit, & ſanctè gubernati regni gloriâ florem ſuam commendabit. Belli valvas obſerabit, & æquitas, virtus, religio illius protectæ clypeo glorioſe triumphabunt. His addebat ad aſpectum facis libratæ in aëre, quæ ſulphuratæ bolidi vix eſſet diſſimilis, repente ſe cohorruiſſe, quæ non feſtino volatu regiæ faſtigium ad templi altitudinem trajiciens circa collem qui ſurgit ad Auſtrum, diffuſis undequaque cornibus omnes Orbis partes ſignavit. His auditis Theander ſeceſſum petiit, atque ad liberalem hanc poëſim animum applicuit.

Nunc armis ô magne puer, nunc enſe decoro
Cinge latus, fer & adverſos jam pectus in hoſtes:
Nam te bella vocant, palmæ, victoria, laurus,
Inde coronabit tantos pax alma triumphos.
Dotibus eximiis mentem excole, teque labore
Bellonæ aſſiduo vincas: da fræna caballo,
Flectendis ſis doctus equis ſolerſque domandis,
Dum ferus igneſcit ſonipes, dum libat arenam
Ungula, diſcuſſæque jubæ torquentur in altum;
Turpentur phaleræ, ſpumoſis morſibus aurum

Albicet; & ſpiret patulis è naribus ignis.
Ut nauta æquoreas moderatur vela per undas,
Haud ſecus indomito ſolers nunc frena remitte
Quadrupedi, nunc calce cita, vel in aëra torque.
Arma puer ſume arma manu, generoſa futuræ
Cum Mavors anſam dederit, præludia pugnæ.
Sed te cana fides decoret, rectumque, piumque,
Nam poteris Rex eſſe orbis, Rex eſſe tuorum
Cum fueris Rex ipſe tui: nec ſera vetuſtas
Finiet imperium Cæloque, Soloque perenne.

Reliquum dici procerum gratulationes, populi plauſus, & lætitia communis abſumpſit, quam auxit legatorum ex urbibus, & externis provinciis advenientium ſtrepitus, qui quoniam nox appetebat, & cùm ipſi, tùm Rex quietis indigebat, uſque ad ſequentem lucem dimiſſi ſunt, & regio luxu in magnificis ædibus ab aliquot purpuratis deſtinatis à liberaliſſimo Rege omnes excepti.

CAP. II.

Legatis ex omnibus locis pacis petendæ cauſſa adventantibus priuſquam Rex reſpondeat, proceres ſuos cogit. Coacto concilio diſputatur utrum pax bello, an bellum pace potius ſit, & regno utilius. Hiſque peroratis conditiones pacis offeruntur Legatis.

Legati poſtera die introducti ad Regem, oleam geſtantes peroraverunt, & Oriſtorigis nomine bellorum felices exitus gratulati, deprecati ſunt pacem. His Oratores aliis ſucceſſere Hædui, Nervii, Belgæ, Motini, & quotquot Rhenum accolunt, qui & ipſi conditiones pacis recipere non recuſarunt, regiaque munera obtulere. Rex Poliarchus in eo negotio ſuorum conſiliis egere ſe exiſtimans, ne ſe deinde imprudentis facti peniteret, dum ipſo imperante Teleſinus in conclavia, thalamos, porticus, & ſubjectos hortos ſpecie remittendi eorum animos, & regios luxus exhibendi, poſt

accepta

accepta à Rege bona verba, Oratores circumducebat, aulæ ſuæ præcipuos ad conſilium ſedere voluit: & ipſo rogante ecquid magis Galliæ regno expediret, Bellum, an vero Pax, quatuor è conſeſſu ſuam ſuper ea re dixere ex templo ſententiam: & Gobrias quidem ad dicendum promptior, excuſata ſua temeritate, ita cœpit bello ſuffragari.

Quantis præconiis bellicoſi viri à poſteritate nunquam intermoritura celebrati ſunt, propter ſua in bello heroica facinora, tantis de cauſis bellum iniquæ paci cenſeo præferendum. Nam quæ fama ſine his exercitationibus bellicis, & glorioſo illo pulvere celebratos ab antiquis Heroas per omnium mortalium ora meritis laudibus efferendos traduxiſſet, niſi illi Martium hunc pulverem aſſiduis concertationibus deguſtaſſent? nulla hercle ſine hoc cruento Bellonæ ludo, nulla Gallici nominis celebraretur laus, nulla tot virorum virtus eluceret. Trahimur omnes ſtudio laudis, & optimus quiſque maximè cupit celebrari. Sed quâ melius arte quam bellicâ comparatur laus, cum illa juventutis veternum excutiat, ad magna natos animes excolat, & ipſos illos, qui ſua ſorte ignobiles ſunt, & ut ajunt, terræ filii, in ſolium nonnunquam evehat; adeo legitima laus illa eſt quam exercitatio bellica, & ingenuus pulvis fortiſſimis viris parit. Tolle bella, tollis materiem laudis: pone bella, reddis orbi ſuum decus. Quot enim duces ſola contenti gloria quam Bellona comparat, partâs ab hoſte manubias, ſubactaſque provincias reſtituere? potius igitur eſt bellum pace; eſto, ſint qui pacem bello potiorem duxerint, ego vero non dubitabo principatum bello dare, maximè ſi ſit juſta cauſa belli, honeſtatem enim habent conjunctam bella, habent & utilitatem.

Et quod ad primum, quoties Deos induxere pugnantes, aut bellum accendentes poëtæ? etenim præter

Mar-

Martem, Bellonam, & Palladem, cæteris etiam Diis ſua fuere certamina. Unum Saturnum ſi exceperis, quo regnante Aſtræa orbem totum ſatis longâ pace compoſuit. Quid ſi referam inſtitutum hunc morem apud confines populos, ut nunquam vel ad diem feſtum, vel ad conſilium niſi armati conveniant, ubi aſſenſum ſuum ſtrepitu armorum declarant, queis nunquam niſi armatis liceret deprecari Deos: adeo nihil melius bellicis artibus poteſt excogitari, nihil honeſtius exerceri, maxime ſi juſta fuerit cauſa pugnantis, tunc enim exitus infauſtus eſſe non poteſt. Atqui fortitudo quæ per bella tuetur patriam, vel defendit infirmiores populos: vel à prædonibus ſocios protegit, plena juſtitiæ eſt: Nocendi cupiditas, ulciſcendi crudelitas, impacatus, atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, hæc ſunt quæ in bellis jure culpantur. Honeſta igitur belli cauſa honeſtæ pugnæ poteſtatem facit, & honeſto exitu bellum coronat.

Quod ſi bellum honeſtum eſt, quidni utile: quemadmodum enim negotia ſuſcipimus ut ſimus in otio, ita bellum gerimus ut pace fruamur: ergo qui pacem deſiderat, bellum præparet. Divitiarum non eſt ſecura poſſeſſio, niſi armorum tutela ſervetur. Stimuli ſunt juventutis bella, quæ ſi defuerint, nonne aut populus mutuis ardebit civilium bellorum incendiis, propriumque lambet ſanguinem impietas; aut in turpem ignaviam juventus deflectet. Ergo utile bellum vel cum nulla ſervandæ patriæ obverſatur occaſio. Pace emolliuntur & enervantur animi, virtuſque prius in acie exercita otio languet, ac penitus deficit. Non ſecius quam ferrum quod non tractatur rubiginem contrahit, aut aqua torpens tætram Mephitim exhalat, ita juventus bellicis non inſudans laboribus torpore otioque diſſolvitur ac frangitur. Excute ergo, excute, for-

fortiſſime Rex, fatale iſtud exitium imperiorum novercamque juventutis. Sunt nobis validæ cohortes, ſunt auxiliares turmæ, ſunt vires, vigetque virtus in animis omnium qui ſe Gallos, hoc eſt terrorem orbis jactitant. Neque nos hoſtium fulgens armatura deterreat; ſpolia hæc opima ſunt fortitudini noſtræ debita. Obturandæ ſunt aures conditionibus pacis quas hoſtes obtulerint. Æſtimant ſcilicet noſtram virtutem diutinæ pacis otio & quiete defecturam. Dejecti & molles animi pacem ambiunt, arma detrectant. Nos vero, quos fortes natura creavit, ad egregia inſitæ fortitudinis edenda ſpecimina ab ipſa natura impellimur, ne ſimus aliquando ab avita virtute degeneres. Num videtis pubem noſtram ſpirare Martis glorioſum pulverem, armorumque ingenti ardore fervere? num animadvertitis Imperatores ac Duces victorias jam ſpe & cogitatione devorare. Ergo ſequendus eſt primus belli impetus, revocanda eſt virtus avorum, qui armorum ſuorum terrorem per Europam, per Aſiam circumtulere. Excitate avitæ magnitudinis igniculos, & nomen veſtrum ad memoriam poſterorum ſempiternam transmittendum putatote.

Gobriam perorantem ſic Theander excepit: utinam & nos juſtæ quam ſequeris gloriæ, aliquid poſſemus afferre. Sed quid opus eſt triſti tuorum fato copias tot præliorum ſerie longa defeſſas rurſum ab bella concitare, & vel invitas adigere? quid ignobilem victoriam forſan tuorum tuique ſanguinis impendio aucupas? num hoſtiles exercitus vires novas reſument, auxiliaribus Germanorum turmis excitati? vel ex periculo aut neceſſitate quæ ignaviam acuit, ſument audaciam, & deliberatâ morte ferociores in unius ſpem dexteræ, virtutiſque nova virtute accingentur? exhauſtum eſt ærarium: In eo tamen nervi belli poſiti ſunt, quod ſine coactione ingentis pecuniæ non poteſt conſiſtere.

Ad

Ad ſummam egeſtatem redacti ſunt populi, qui ſi tributis non exonerentur, patrias ſedes abſque dilatione deſerent. Ergo ſi me audis, Rex invictiſſime, aut ad conditiones pacis animus appellendus eſt, aut aliquot ſaltem annorum induciis reſarciendæ videntur ruinæ reipublicæ. Interim exhauſtum reparabitur ærarium, miles novas vires colliget, arces imperii tam diutinis bellis dirutæ reficientur, extruentur aliæ; denique annona quoque parabitur, cujus tanta caritas eſt, ut vel pacem, vel inducias procurare oporteat. Itaque ſic ſentio faciundum, ne recedamus inglorii (quamquam ingens gloria non poteſt in nos ex tot bellicis facinoribus non inundare) expectandum eſt donec hoſtes fracti nos quaſi victores ad conditiones pacis adhortentur: etenim nomen pacis dulce eſt & res ipſa ſalutaris.

Gelanorus poſtea in eam ſententiam loquutus eſt: nomen pacis dulce eſt, & ipſa res ſalutaris, neque ibo inficias. Sed tamen ſi pacem firmam & ſtabilem optatis, bello ſtrenuo via ad illam ſternenda eſt. Bonum eſt ingens pax, ſi ſincerum eſſet atque perpetuum: at ſub umbra pacis bellum latet, neque pacem diuturnam ſinit mortalium inſtabilitas. Gallorum (quæ gens eſt ad bella nata) is eſt genius, ut ſecum non minus quam cum hoſte dimicent. Pacis tempore vel induciarum diſciplina militaris, fida urbium tutela deperditur: acquiritur autem lenta ſegnities, & periculoſa ſecuritas. Quolibet bello funeſtior pax aliquando fuit. Sæpe armati inter gladios tuti, mox togati in gladios inciderunt, & ſeris votis optavere bellum. Tambrinorum princeps feliciore exitu ſuam clauſiſſet ætatem, ſi pacem è regno ſuo exulare permiſiſſet, cum externis manum frequentius conferens; adeo in pace ne ipſis quidem Regibus nihil tutum. Hic ſi ferrum frequentius attriſſet, potuiſſet hercle leviori negotio ferrum cervi-

cibus

cibus ſuis imminens declinare, neque ex luctuoſiſſimo theatro cæteris principibus ſtupentibus, atque torpentibus funeſtiſſimæ, turpiſſimæque mortis ſpectaculum exhibuiſſet. Externa bella civilibus anſam, & alimenta tollunt. Populus longa pace in ſuperbiam, & inſolentiam labitur. Quid ruinam morum, atque ipſius humanitatis interitum loquar? Quot viri bello optimi, pace peſſimi evaſere, quaſi cum armis omnem penitus exuentes virtutem, mox cum toga vitia omnia induiſſent. Pace voluptates imperant, regnant vitia, libido dominatur, virtus opprimitur. Dumque principes ſuarum cupiditatum æſtus abripit, & invictos in bello deliciis pacis conſumit, ignobiles plurimi aut diſcincti nepotes latrociniis vias infeſtant, & bellum inteſtinum, ac internecinum longe ſævius quam externum movent. Pacis Comites licentia ac libido, & diſcrimina non pauciora domi quam militiæ; in foro quam in caſtris: & lorica multis quam toga fœlicior fuit; campuſque ſecurior quam thalamus; tuba quam tibiæ; Sol quam umbra. Pacem ſi ſine vitiorum contagio eſſe poſſet, & cœleſte munus, & ſecundum nulli bonum fore non inficior: ſed cum tam turpi ſatellitio ſtipata ſit, an eam bello potiorem debeam æſtimare, aut concludere pacem eſſe cum hoſtibus ineundam; quæ nedum expetenda eſt noſtro, regnique totius dedecore, & incommodo. Omnis in ferro eſt ſalus. Atenim quæris tantum inducias, ſpatium ſcilicet hoſti concedis ad vires colligendas, reparandas belli ruinas, contrahenda auxilia. Ne vivam, ignavum hoc tempus eſt non pace lætum, non præliis exercitum; ſed dubiis inter utrumque fluctibus agitatum, ubi & tumor paci obſtat, & bello timor.

His in hunc modum pronuntiatis Adraſtus aſſurgens ſic eſt exorſus: tametſi veſtra omnium eloquenna ipsâ ſit Suadæ medullâ, omnique nectare & ambroſiâ

ſuavior, omni concentu lyrico Orphei, vel Amphionis jucundior: mihi tamen commoda pacis, & belli incommoda alta mente recoquenti non ſolum bellum pernicies & peſtis orbis viſum eſt: verum etiam quæcunque pax omni bello mihi ſemper fuit prævertenda. Et vero quis tantum cæcutierit, quis à rectæ rationis calle ſic aberraverit, qui ſi bona pacis, & belli damna acie mentis perſpicaci penetraverit, pacem & jucundam & neceſſariam eſſe non fateatur. Temere in acie verſari, & manu cum hoſte confligere nonne immane quiddam & belluarum ſimile eſt? quid porro inhumanius quam urbes diruere, & humano cruore arma, manus, agros, vias tingere? tunc ut dicerere liceat, homo homini lupus, adeo ferinum in morem ſævitur. Et erunt qui applaudant, qui vehant laudibus, qui rem pluſquam tartaream, ſanctam appellent, ac principes ultro furentes ad bellum impellant. Et ô cæcitatem mentis! hæc nemo miratur, aut deteſtatur. Jocus & ludus ſunt in militâ domos diripere, fana ſpoliare, virgines rapere, urbibus faces ſubjicere, ita ut putes eos hominem exuiſſe. Et erit qui audeat bello ſuffragari pace poſtpoſitâ? intuere Galliæ noſtræ ſtatum miſerabilem, calamitoſam conditionem, indigniſſimam ſortem: Galliæ inquam noſtræ olim refertæ populis, nunc iiſdem exhauſtæ, aliis fame ac deſperatione, aliis ferro, vel incendio enecatis. Converte oculos in copias inedia & bellicis laboribus attritas. Sed eſto, pares ſint vires ad ſpem victoriæ, pares animi, par numerus: ideone certa eſt nobis fiducia victoriæ? Maximam partem bellorum quaſi ſuo jure fortuna ſibi vindicat, & quidquid proſperè geſtum eſt, id pene ducit ſuum: multum enim cùm in omnibus rebus, tùm in re militari poteſt fortuna. Hinc fortaſſe Mavortem appellamus quod omnia ad nutum vortat. Enimvero initia belli penes principes ſunt, exitus vero penes for-

tunam: itaque non ſecus ac pecunia noſtro arbitrio aleæ expoſita in incerto poſita eſt, ita princeps, totumque imperium in ſortem jacitur jacta belli alea. Nulla reſpublica inſtabilior eſt, quam quæ ſæpe movet arma. Atenim armis etiam regna amplificantur, ſed & armis ſæpiſſime pereunt. Minus forſan eſt in pace ſplendoris, & gloriæ; falſæ illius quidem: ſed plus quietis, minus controverſiæ, minus periculi. Omnia prius experiri verbis quam armis ſapientem decet.

His diſertum in modum declamatis nemo ex corona fuit, qui in poſtremam hanc ſententiam pedibus non iret. Ergo Rex accitis Legatis has leges pacis obtulit, quas illi ſine mora recepere. Regia præſidia in munitiſſimis arcibus toleranto: copias, quoties bella ingruent, ad obſequium Regis expeditas habento, & ſumptibus publicis ſuſtentanto: nulla cum hoſtibus Gallorum fœdera iniuntor: armis communibus hoſtes regni oppugnantor.

Hoc exemplo ſcriptas leges pacis tùm Legatis tradidit; tùm ad Andropiſtum & Ceraunum Cis-Rhenani belli duces miſit; quatenus illas curarent ad unguem obſervari, & ipſi conſtitutis præſidiis, quoties vellent, ad regiam ſe reciperent.

CAP. III.

Archombrotus mora impatiens de fœdere conjugali Cyrtheam in prædio ad ripam Rhodani poſito ſollicitat: non recuſat illa ſi Poliarchus annuerit. Dum cuncta parantur, Meleander occurrit. Qui plauſus!

Rebus ita compoſitis, nihil ultra præter Archombroti nuptias agitabatur, aliud nihil ipſe in mente volvebat: veruntamen Timonidis ex Sicilia reditus in dies expectabatur. Et quanquam Cyrthæa conjugio clam aſſenſum lubens dediſſet, tamen Archombrotus mittendum ad illam de more priſco Oratorem cen-

censuit, qui luce palam fidem datam acciperet. Missus est ad id negotii Theander utrique fidus in ultimis, qui cum decente comitatu ad prædium, ubi Cyrthæa gaudebat plerumque diversari cum Nymphis, se conferens, coram nobilissima corona sic eam affatus est.

Is est oris tui decor, & lepor ingenii, sereniſſima Princeps, ut Siciliæ, Mauritaniæ, Sardiniæ Rex invictissimus Archombrotus Hyempsal à nutibus tuis cum regno omninò pendere velit, & præter fœdera nuptiasque tecum ineundas, nihil agitet, aut loquatur, firmabit hoc fœdus æternam pacem inter regna mutuis bellis sæpe flagrantia. Neque polluetur sanctitas famæ tuæ, si cum illo contraxeris: non enim is est quem abhorreas, cum in eo profusas opes juxta tecum natura, & fortuna explicuerint. Eadem quæ te forma, idem luminum vigor, & par serenitas frontem obsident. Et cum tanta specie monstrum est fortitudinem convenisse: quare vindicem tuum in tanto fœdere potes sperare. Nemo erit Gallorum qui se fortunatum non prædicet, quod tuis spiret auspiciis.

Simul his geminam Legatus obtulit æterni sigillum amoris; quam illa tesseram digito inferens hæc strictim retulit. Utinám Regis Hyempsalis amori, votisque liceat respondere, Mecastor à tanto Principe ad fœdera provocari summo honori ducerem. Sed est frater Astioristes, Rex fortissimus Galliæ nostræ, è cujus nutu tota pendeo: hunc si placet adire, & alloqui, & ipse fœderibus si annuerit, non recuso jugum invicti principis subire, & ad arbitrium illius mentem meam convertere. Retulerunt Legati Regem Galliæ his fœderibus subscribere, modo ipsa non renueret. Sicque illa Oratores dimisit, asserens se sequente luce adfuturam in regia.

Reversis in aulam Legatis non parcebatur sumptibus, conchiliata peripetasmata quibus innexa & intex-

ta erant Hyempſalis & Cyrthææ nomina ; auro & gemmis contextæ veſtes, exotica purpura ex longinquis oris advehuntur; exhauriebatur unionibus Indicum mare, Ganges lapillis, Erythræum mare corallis : & alia congerebantur quibus hominum libido pretium facit, ad proximi Hymenæi pompam. Mitto Chyronomos, & adductas ex utroque orbe manubias. Unus deſiderabatur Meleandri Timonidiſve conſpectus, cum Archombrotus ad Rhodani ripam egreſſus, ut ſolitariæ mentis anguſtias paſceret, & apud Nymphas rapidiſſimi hujus amnis, ubi Arar in Rhodanum confluit, de mora ſuis votis objecta quereretur, ad aliquot navigiorum proſpectum concutitur, omen captans in vexillo coccino: Mox adhærentem ſibi Rufum præmittit in ſcaphâ, qui Vectorum patriam exploret, dum equi ad occurſum Meleandri, ſi fors eum obtuliſſet, expedirentur. Rufus revertens proſpera omnia, Meleandri atque Timonidis adventum nuntiavit.

Itaque Poliarchus & Archombrotus certiores facti, conſcenſis equis ad littus præcurrunt, dum anchora jactabatur. Emicabant è curru Argenis & Cyrthæa, quæ ad acceſſus Regis Meleandri deſiliunt; neque ſegniores in hoc officio fuere ambo principes. Rex ubi excendit navi, & ſecuris oſculis arenam adoravit, irrupit in collum modo Regis Aſtioriſtis, modo Principis Hyemſalis; tum Argenidis & Cyrthææ, quam ad parem cum Poliarcho vigorem luminum, & ad eandem frontis majeſtatem agnovit. Repetitis certatur amplexibus, donec converſus ad Poliarchum Meleander in hunc modum ei gratulatur. Tandem aliquando, ô Alcide fortior Heros, metæ laborum columnæ tibi figendæ ſunt, & fruendum ſpoliis: jacet, æternumque jacebit Eriſteus tot bellorum ac laborum caput. Hydra rebellionis mactata eſt, quæ quo magis

magis reſecabatur, eo convaleſcebat magis, ac repullulabat, concluſitque:

Jam ſecura potes requieſcere, Gallia, namque
Noxius è ſacro corpore ſanguis abeſt.

Interim è portu recedebant ad urbis mœnia, unde turmatim effuſa plebs plauſu unanimi Regem Siciliæ excipiebat. Tunc compita pæane perſonare, quaſi omnium vota ad ſanctum Hymenæum conſpirarent. In regiam ſuccedítur quam ad nuptiarum pompam decorabant teſtudines ſcrupuloſa diſtinctione elaboratæ; & periſtromata opere Tyrio ad artis miraculum, & antiquitatis ſeriem acu depicta. Hinc emicabat Io à Jove adamata; & Inachus fletibus ſuis quodammodo aquas augebat, dum Mercurius inſinuato ſopore, jugulabat Argum. Inde Corvus libero volatu per aërem pene ſeſe librabat, candidis primum plumis; deinde revelato Coronidis adulterio nigris indutus. Prodibat ex alvo combuſtæ matris Æſculapius, diſciplina Chyronis imbuendus. Nictimene effrænato Veneris æſtu thalamum patris repetebat, ſuumque velo noctis tegebat inceſtum, in noctuam tranſmutanda. Mineides neglectis Orgiis, quod eſſent penſo ſuo plus æquo addictæ, veſpertilionum pennis quaſi ſtridebant, vireſcentibus in hederam telis. Demum Cadmus cum ſua Hermione ſinuabat ſe in anguem. Sed omnium oculi ad effigiem Solis, penicillo Apellis, aut Zeuxidos adumbrati, & è camini tegumento vibrantis connivebant. Hujus radiis aula tota illuſtrari videbatur. Mox idem Pater lucis orbe luſtrato in liquida Thetydos Palatia præcipitari. Stabat vultu cultuque eleganti Dea Pelei conjux ad limen, & ſolem hoſpitem ſub veſperam expectabat cærulea palla inſignis. Hanc innumeri Tritones ad obſequium expediti vallabant, atque hic erat pro Rege Meleandro receſſus aulæ ſplendidior.

CAP. IV.

In aulam & convivium Rex Meleander excipitur, in quo nihil ad magnificentiam desideratum. Adfuere etiam poëtæ qui Epithalamium canerent, cujus argumentum erat Minerva accensa de litterarum neglectu, & hanc illatam sibi injuriam bellis vindicans: eadem mox à Jove placata, & pacem afferens.

Mensis magnifico ritu extructis accumbitur; capacibus in gemmis propinatur, Mauris Massicum & Chium ministrantibus; præterque Nectar, & Ambrosiam nihil desideratum. Vates etiam aderant non ingrati carminis lepore pascentes convivarum ingenia; probatumque est imprimis hoc Epithalamium, in quo Minerva ramum oleæ præferens divisos antea principes cùm externos, tùm domesticos, pacis & connubii legibus firmissimis religabat.

Non semper rabidis fervent turbata procellis
Æquora, nec semper riget albis bruma pruinis;
Sat Marti, ferroque datum: regna aurea mundo
Jam redeunt, nostras repetit concordia terras;
Jamque redit prisci renovatrix gloria Secli,
Candida pax rediit, lato pax aurea vultu.
Quî longo potuit bona pax succedere bello
Expediam, dum summa legam fastigia facti.
Enatam prægnante Jovis cervice Minervam
Dulcibus exciperent olim cum Numina mensis
Applausit natura Jovi, cœlum omne refulsit:
Huic patris & nostro datur omnis in orbe potestas.
Diva Panomphæi decus, ingeniumque parentis
Mente ferox, & docta simul cupit arma vel artes.
Quas ubi Cecropiâ florescere vidit in arce,
Isthic pacifera signum plantavit olivæ:
Clara sed illius mox facta est æmula Roma,
Roma caput mundi, magnorum terra virorum,
Palladii custos, cultæ domus ampla Minervæ:

Alia-

Attamen ô fatum! longo poſt tempore ſacræ
Incipiunt ſenſim langueſcere Palladis artes.
Peſſum cuncta ruunt, artes quoque proterit ætas;
Quas ubi torpentes noſtris deſpexit in oris
Dum Veneris, vel opum cura torquetur inani
Gens humana, ruitque ſcelus veſana per omne,
Siccine, ait, noſtrum calcatur Numen, & artes
Languebunt noſtræ, dum regnat in orbe libido,
Dum puer Idalius cunctas dat jura per urbes
Igniſer, & Juvenum pellex effræna voluptas?
Noſtra quid amiſſos fruſtra lachrymatur honores
Porticus, atque jacent jamdudum in ſordibus artes?
Sic torpere gravi patiar mea Regna veterno,
Nec patris rapidum jaculabor ab æthere fulmen?
Deſidiæ ſed finis erit, dum bella ciebo.
Palladis hæc ſedet accenſæ ſententia menti,
Bellonamque ciet Martis Dea ſæva ſororem,
Diſcordemque Deam, quas ſævis queſtibus implet:
O fidæ comites, indiviſæque ſorores
Ecce, manu veſtra, veſtris en artibus iſtud
Tempus eget, noſtrum quando vileſcit in orbe
Numen, & inſanis mortales ignibus ardent
Turpi deſidia molles, parcique laborum
At non in Venerem ſegnes, arteſque nefandæ.
Dixit & aſſenſum ſubito Dea præbet Enyo,
Et quæ cœlicolas agitat diſcordia Divos.
Nec mora tres Divæ rutila labuntur ab arce,
Atque per Europam furioſi ſemina belli
Injiciunt, diris & miſcent litibus urbes.
Ipſa ſed ardenti diſcordia fœta veneno
His pejus meditata nefas, de ſedibus Orci
Evocat ultrices ſupera ad convexa ſorores.
Nata Jovis Pallas, bello metuenda virago
Vibrat ſæva manu ferrum, patris Ægida geſtans,
Ægida Gorgoneo quam texerat Innuba monſtro,

Sanguinolenta rotans per æpertum lumina mundum,
Cujus ad obtutus ſparguntur ſemina belli.
Sanguinis humani ſitiens bacchatur Enyo,
Mugit & intentat mortes & ſemina flammæ
Faucibus eructans acies in prælia cogit.
Ilicet Europæ populos diſcordia præceps
Dividit, & ſtimulis utrimque atrocibus armat.
Bella furunt, certamen atrox cum ſanguine ſurgit,
Ære renidenti dum tellus horret & armis,
Deficiunt populi, & graſſantibus undique bellis
In triſtes abeunt gemitus, paciſque ſequeſtram
Cum Jove, Diiſque vocant dejecta mente Minervam;
Illa ſed offenſas occludit vocibus aures,
Et bello fervente patris ſe tollit ad aulam.
Ergo ne ferali præda eſt Europa Megæra?
Ergo ne ſemper erunt fœdati ſanguine campi,
Cunctaque ſpumanti ſtagnantia flumina tabo?
O cœlum, ô noſtris, nam juſtè iraſcere culpis,
Ulterius ne tende odiis, votiſque vocari
Diſce Deus, feßis fer opem, Rex maxime, Regnis.
Horum vota pater non æquæ Palladis audit
Et gnatam ſic alloquitur: mea ſola voluptas
Nata potens bello, quæ tela Typhoëa temnis,
Ecquis erit finis, duro quæ meta furori?
Hactenus humanum ſitiit Bellona cruorem
Diſſimilis non ipſa lupæ, quæ torva tenellas
Raptat oves, totos & ſtragibus inficit agros:
Si læſere tuum mortalia pectora Numen,
Pectora nunc hominum ſtudia in contraria vertent.
Mitior eſſe ergo mortalibus incipe feßis.
Si quod enim ſcelus eſt pœna vel clade luendum,
Ecce luunt: ſatis iſta tuo eſt vindicta dolori.
Calcatum quereris numen, baccharis & ardes
Aſſiduis bellis: belliſne furentibus artes.
In populis florere tuas potuiſſe putaſti?

Pace

Pace vigent artes; pacem ergo fœdere firmes
Æternam; sic dulcis eris quoque Pronuba Pacis.
Diva perorantem vix audiit innuba Patrem.
Cum tantum est affata Jovem: Rex maxime Regum
Qui mihi das gnatæ mensis accumbere Divum,
Cur ego sancta sequi tua nunc mandata recusem?
Justa quidem fuit hæc, fateor, mihi causa furoris:
At si prisca reos mortales cura remordet,
Tantaque contritas juvat indulgentia mentes,
Tunc veteres inimicitias posuisse licebit,
Et feret ira modum, fiet pater alme, quod optas;
Ipsa ego fœderibus pacem firmabo perennem,
Fœderibus quibus accedam quoque Pronuba Pacis.
Ex illo Martis soror, & Discordia terras
Deseruere, vices rerum mutante Minerva.
Ergo redit virgo formaque, oleaque decora
Et sacra progenies Superum delabitur arce
Pro galeis oleam, laurum pro cuspide gestans.
Sitque licet duri studiis asperrima Martis,
Divisas tamen hæc mentes, & corda evincit,
Et quamvis fuerit tædas exosa jugales,
Ipsa tamen stabili firmabit fœdere pacem.
Post bellum pax ergo mali bona filia belli
En redit, & nostris jam se pax inserit arvis:
Succedunt galeis flores, insignia pacis
Palladis aspiciet mundus juvenescere frondes:
Namque iras ponunt venti, mare sternitur, aura
Lenior in florem marcentes excitat herbas.
Mundo parta quies, patrios en miles ad agros
Jam remeat, terramque colit securus arator;
Tandem Palladias licet exercere per artes
Defessos bellis animos, desuetaque paci
Pectora: non jam muta chelys, non tristis Apollo est,
Non ultra Aonius genialis consitor uva
Musarumque comes Bromius sua dona negabit.

Jupiter arma manu, ſua Delius abjicit arma,
Atque olea frondente comas cinxere fluentes.
Ergo ſerte gradum Driades, vos numina ruris
Quotquot aquas colitis, quotquot juga cogite cœtum:
Sed tu pulcher Hymen, feſtos hic edito plauſus,
Et feſtas accende faces, ſponſiſque futuris
Sis bonus, his geminas Tritonia necte coronas:
Et tu Phœbe, fave, Cytharamque reſume ſonantem.
Carminis & tecum artifices adducito Muſas,
Lux etenim, lux alma venit, lux illa pudicis
Exoptata diu ſponſis fauſtiſſima lucet.
Gaudia caſtra tenent, ſubeunt convivia bello:
Stant aquilæ, mitiſque leo eſt, leneſque dracones.
Arma jacent caſtris, epulatur miles ad omnes
Excubias, ſpirat mediis Semeleius armis.
Tympana rauca tacent, Mavortia ſigna teruntur;
Mitibus hoſtiles vegetant quoque frondibus haſtæ,
Et lauro meliore comas redimita ſororum
Turba ruit, mutæque diu formidine Muſæ
Cum placidis aderunt ſummoto Marte choreis
Fœdera dum ſancit Pallas Dea pronuba Regum.
Ergo cupidinei cœtus ne parcite telis.
Jamque maritales fax pronuba ſurgat in ignes.
Sparge ſolo plebs læta roſas, & lilia plena
Funde manu, præcinge comas hac fronde Minervæ
Fœdera dum ſancit, dum fit Dea pronuba Regum.
O quem te memorem Rex inclite, quamve Dearum
Eſſe feram te, virgo, Helenam qua Sydere vincis?
Hiccine Caſtor erit? Numquis de ſtirpe Deorum?
Flammea ledæos imitantur lumina fratres,
Sunt & Syderei vultus, frons candida, corpus
Eximium, toto majeſtas ſplendet in ore.
Atque puella nitet, noctis ſed Sydera vincit:
Rarum veſtis opus: niveo quam pollice finxit
Docta Charis, tenuique auri ſubtegmine texit:

Lumi-

Lumina quid referam præclaræ inſignia frontis
Invidiam motura Diis; non gratior ore
Hac fuit, & non virgo micat plus frontis honore.
Labra rubore roſas vincunt; ſed & alba liguſtra
Vincit ebur colli: gemmis & membra coruſcant:
Aurea deciduam connectit fibula pallam,
Aurea dependent lucente monilia collo.
Qualis cum Paphiis mater Cytherea refulgens.
Cultibus, eſt placitura viro, ſubridet eunti
Lætus Hymen, ſperatque Deos cœlum omne recentes:
Talis erat virgo, tali ſeſe ore ferebat.
Ille decor primo juvenem rapit impete Regem
Dum geminum princeps percurrit lumine Sydus,
Pandoramque putat, docto quam pollice Pallas
Effinxit, doniſque chorus cœleſtis adauxit:
Ambo pares annis, genere & virtutibus ambo;
Quid mirum thalamo ſi conjunguntur eodem?
Fœlicem ſponſum qui ſponſa dignior iſta es;
Fœlicem ſponſam quæ ſponſo dignior iſto es;
Jungite io ſponſi manſura in fœdera dextras.
Fœdera dum ſancit, dum fit quoque pronuba Pallas.
O decus Europæ princeps jam mitte querelas,
Deſine virgo moras nunc incuſare: manebit
Ille tibi ſponſus, rutilans quem Cynthia cœlo
Invideat tibi, qui Titanem lumine vincit.
Fœlices ambo veſtram concordia mundi
Spem fovet & noſtram: & ſi mens non læva mihi ſit,
Nulla dies unquam veſtrum disjunget amorem.

CAP.

CAP. V.

Enarratis omnium casibus obstupescit Meleander ad tot inauditas fortunæ vices, & multa respondere vaticinio Aneroëstæ. Poliarchus vero mentionem injicit fœderum nuptialium, & dum scisciatur cuinam regnorum administrationem Rex Meleander reliquerit, Andropistus & Ceraunus in regiam prodeunt: quibus postquam satis applausit Poliarch. de causis bellorum civilium differit.

Soluto convivio remotisque mensis variæ omnium sortes, casus, discrimina, & ludibria fortunæ, in medium proferuntur, frementе ac frendente Meleandro, postea in gemitus abeunte, mox fortunam adorante in Argenidis, Cyrthææ atque Philopatræ fatis, & Heroum invicta virtute in feris elidendis, in tyrannis refrænandis, & factionis insolescentis decumano fluctu compescendo; ut Aneroëstæ vaticinio cuncta respondent: uti triumphantem de Brutiis, Lucanis, Epyrique littore Archombrotum fœlix pater nuper aspexerat, ut jam nurum è Gallia Cyrthæam accipiat. Et Poliarchus ex ejusdem Aneroëstæ vaticinio imperii fines protulerit, quem Rhenus & Oceanus victorem jam adorabat: quorum facinorum memoriam historiæ genio per varias gentes dispersam nulla vis aut ætas extinguet.

Tunc Poliarchus quid superest, inquit, nisi ut festo hymenæo communem lætitiam augeamus, votisque vocemus Deos nuptiarum præsides, jungamusque Hyempsali sororem meam Cyrthæam; quorum pignora in avi Meleandri adolescant amplexibus, longam principum seriem datura Siciliæ?

Maxima noctis parte in his consiliis & gratulationibus consumpta, postera die Poliarchus ad Meleandrum se conferens quæsiit, cuinam Siciliæ atque Lucaniæ vicariam administrationem reliquisset. Et Meleander Arsidæ Siciliam: Lucanos atque Bruttios Eurimedi; Epyrotas Cleo-

Cleobulo quasi præfecturas credidisse. Quæ res cum Poliarch. non ingrata videretur, admoniti sunt Reges Andropistum cum Cerauno in Regiam adveniſſe; quibus cum satis applausisset Poliarchus, coactis in consilium proceribus sic exorsus est.

Civilibus procellis hactenus Gallia fluctuavit, & tot concussa motibus proxima erat naufragio, cum resumente me clavum tranquillitati reddita est. Quippe subducto in portum navigio, optati suavitate otii gentem hanc tot intestinis motibus quassatam mihi propitiavi, cum mactatis regni tyrannis Commindorige atque Autolyco, me legitimum principem paternum ad Solium plebs ipsa me restituit; quamquam non nisi ruptis repagulis aditum mihi aperire potuerim. Etenim provectum erat sponte malum inteempestivis pharmacis: quoniam ut irrepsit, non statim extinctum est, sed Æthnæi torrentis more latè inundavit: sæviebat in suos & proprium sanguinem lambebat impietas: attamen ad subitos meos aspectus quasi ad Medusam indomita factio obriguit. Neque adeo dissimile Galliæ nostræ fatum fuit sorti Siciliæ: non enim minus quam in conciliandis Siculorum animis est laboratum.

CAP. VI.

Adornantur nuptiæ regiæ, quarum solemniorem pompam faciunt aliquot Purpuratorum inita fœdera conjugalia: quanquam Regi Poliarcho obnitatur Theander, utpote qui sit voto damnatus, Hinc sermo de matrimonii commodis à Poliarch instituitur: sed hujus eloquentiæ acies à Theandro retunditur. Gobrias & Andropistus dolent quod orbitas sua ab hac communi lætitia videatur utrunque deterrere.

Compositis regni negotiis ad Hymenæos vel religionem animum quisque applicuit: viderat Gelanorus nuper apud Insulares, ex quibus victor Poliarchus excesserat, Cerauni filiam, in qua ornanda omnem industriam suam natura explicuerat: neque virtus

virtus à dotibus corporis abhorrebat. Itaque Gelanorus impotens amoris Poliarcho consilia sua aperuit, qui exultans gaudio Pro-Regem insularium eum facere instruit, quo lubentiùs Ceraunus huic fœderi subscriberet. Atque in Cerauno nihil moræ fuit. Ergo rex purpuratos destinat qui ex his insulis Cerauni filiam natu majorem Arelatam in urbem adducant. Verum Gelanorus hoc officio volens eam demerere, copiam eundi à Rege petiit & impetravit.

Rex Poliarchus ad alia pariter fœdera mentem appulit, quatenus una & eadem pompa multos conjungeret, fieretque inde solemnior: nam inter conditiones pacis cum Hæduis ineundæ hæredem regni filiam Andropisto conjunxit. Erat quoque Ægyptio filia nobilitate gentis ac mentis illustris, præter oris illicia, atque frontem summa omnia præsagientem: hanc Theandro, charo in paucis sanctissimo fœdere nubere voluit, atque in dotem eum præficere Cis-Rhenanæ provinciæ, cujus princeps extremum diem nunc primum clauserat: aut si mallet, in partem administrandi regni, filiique Theopompi hæredis imperii post relicta crepundia gubernandi curam accersere. Sed ille quamquam Philopatram minime respueret, voto tamen se damnatum asseverabat vivendi inter Druidarum cœtus; subjiciens eadem lege obstrictam esse Palladi Philopatram; quæ advocata de nuncupato voto non ivit inficias; moxque inter Vestales quæ Lemani littus incolebant, facultatem abscedendi postulavit, quatenus eo voto se quamprimum exoneraret, quod ipsa nuncuparat, dum se iniqua sors captivam fecerat. Attamen Rex pia utriusque consilia usque ad pompæ nuptialis complementum distulit, docens in re tanti momenti tempore ac mora opus esse; securiora esse ea consilia quæ maturo judicio ponderantur temporis interjecti; inconsultos impetus superis displi-

diſplicere : ſuperſedendum voto, donec abunde conſultum ſit.

Rex autem intelligens quam multi aulæ deliciis aſſueti Regiæ ſolitudinem, cœlibatum matrimonio anteferrent, veritusque ne hoc exemplo pellecti plurimi ex purpuratis Regiam Regemque deſererent, non mediocria adjumenta recenſuit, quæ ex conjugali ſocietate manant: quantum eſſet præſidium in periculis, ſolatium in ærumnis habere ſociam quæ virum perinde ac ſe foveat; addens geniali thori mutua pignora, claramque ſobolem ad regni adminiſtrationem, nominiſque propagationem ſempiternam; quibus argumentis inducti ſapientiſſimi hominum & conjugia ſanciverant, & cœlibatum antiquarant, cui ſua quoque pœna olim indicta ſit: nam & ludis publicis cœlibes arcebantur, & ſæviente hyeme cogebantur forum circuire nudi, econtra ſæpenumero lege conſultum eſt ut juventus primo ætatis flore muneribus publicis ad nuptias cogerentur: qui vero ad annum quintum ſupra triceſimum cœlibatum traduxiſſent, nullis digni honoribus; ſed omnium poſtremi habe-

rentur.

Perorantem Poliarchum Theander excepit, etſi te omnis Sphinge ſagaciorem probaverim, inclite Rex, ego vero non ſim Oedipus; tui tamen argumenti aciem, ſi veniam feceris, non ægrè retundam. Enimvero quiſquis cœlibatus quietem æqua animi lance perpenderit, eum inquieto conjugio facile antevertet; quod quemlibet ſui juris jugo alieno mancipat, ſub imperio uxorio ſervilem in modum excruciat, ingentem plerumque ciet domi tempeſtatem, cum è diverſo cœlibatus tranquillo hærentem in portu navim procellis nullis quatiat, declinataque hac Charybde, perturbationis omnis atque jurgii expertem faciat; non curarum, aut zelotypiæ ſtimulis lancinet: ita ut poſſim

aſſe-

Digitized by Google

asserere nullam sapienti horam ad uxorium commercium, locum nullum reperiri. Mitto delatos pudicitiæ honores, Vestalibus concesso superiore loco à summis magistratibus, sileo exhibitam illis in forensibus causis reverentiam, in absolvendis reis authoritatem.

Vos quoque adesse sacris soliti discedite aris
Queis tulit hesterna gaudia nocte Venus.

Extremas has voces Aneroëstus, Timonides, Ægyptius excipiunt, & merito plausu insequuntur obnitentibus Poliarcho, Archombroto, atque Gelanoro. Optasset pariter Gobrias in fœderum partem venire; sed filium mors præcox abripuerat, filia vero jam tum à puero ex patris oculis evanuerat. Raptum utriusque prolis Gobrias permoleſto animo tulerat, neque poterat absque dolore præteriti temporis memoriam repetere. Andropistus quoque diutinam filii sui absentiam qui iter ad Iberos obtenderat, ferendo non erat. Etenim quam grato fœdere tantum par ambo duces conjunxissent.

CAP. VII.

Omnibus ad pompam nuptialem paratis, subitus casus nuptias tantillum differt. Syria quædam Ariola succurrit, & futurum se prescire dum asseverat, accenduntur omnes, & ipse Rex Poliarchus. Quibus postquam illa satis illusit, miro eventu filia Gobriæ, Camillus quoque, & ipse Ariolus, filius Andropisti declarantur. Quæ res & nuptialem pompam & auspicia geminat.

Omnibus ad pompam instructis, jamque pæne obstrepentibus atriis, cœtus principum iter ad delubra parabat, ut ante aras Junonis dextras jungerent, cum subitum fatum festivos ritus aliquantulum distulit, obtulitque imprudenti Andropisto filium, & filiam Gobriæ. Is ad consessum Syriam Ariolam vix puberem introduxit, quæ suas cuique sortes aperiret. Hæc miris primum artibus lenociniisque sui curiosos demul-

demulsit, lepidoque joco post abrasum subdole marsupium Poliarchi principis, apprehensa manu sic nummum quoque emunxit:

O princeps atavis edite Regibus
Ingens imperii Gloria Gallici,
Fortunata nimis gens tua, quandiu
Tu vives columen, lumen & Alpium:
Sed majora tibi fata recenseo
Si nummum cytius porrigis aureum.

Dictum factum, Rex duplicari mercedem jubet, & suspensis omnibus ad futuri expectationem vaticinii, oppido quàm intentis, lepido neque commentitio carmine Syriam audire voluit fata sua prosequentem, prius tamen periculum ejus scientiæ in Verna fieri postulavit. Ergo Rufo cuidam manum porrigenti sic illa.

Nusquam Marte cades, si laqueo peris:
Te si flamma premit, non periment aquæ;
Produceſque dies, fataque tandiu
Donec larga tibi Parca dies dabit,
Fatalesque comes Atropos urgeat.
Annos excipiet mors eadem tuos,
Quæ cadit populos. Irrevocabile
Verbum mente tene. Sic sapies diu
Vel quantum mea mens sapit.

Sic ludente puellâ Gobriam præsaga mens agebat futuri: dumque oris veneres stupet in Syria, pares cum filia cujus jacturam multos ante annos passus erat, subitus rumor pervadit aulam cæsi ab Ægyptio civis, ulceratque Syriam, nec secius quam puella cæteri quatiuntur: foris exaudiuntur vinculà, minæ: domi voces sensum doloris exprimentes. Jam pœna ultima decernebatur in reum, cum virgo hunc deposcit sibi jungi lege patria. Prodit reus laboratque dignos questus in eum expedire quem ceciderat & meritum quidem. Sed hæc frustra, donec vetula inter Ario-

larum turbam ſolertiſſima pyxidem profert, promitque crepundia: quæ ubi Gobrias avidis luſtravit oculis, quæ, infit, monſtra; cui anus, habes Popæam tuam Gobria; hanc ego vix infantem limini tuo ſubtraxi, iiſque imbui artibus quæ noſtro in cœtu vigent. Hic vero quem ingenita nobilitas impatientem fecit accepti à cive convitii, ipſe eſt Andropiſti Camillus; qui incenſus flamma oculorum iſtius virginis, vitæ noſtræ rationi, gentile decus poſtpoſuit, civemque confodit ſibi perperam objurgantem. Vidiſſes utrumque immotum parentem pari ſtupore confundi, donec certiores in amplexus & oſcula ſe proripiunt, obtorpente imprimis ad vilem antiqui familiaris ſortem Poliarcho.

Geminantur auſpicia & ſub eodem ritu Archombrotus cum Andromacha, Andropiſtus cum Valentia, Gelanorus cum Caledonia, Camillus cum Popæa plaudentibus aſtris feſtum Hymenæum celebraturi in æde Junonis adultæ, nunciata ſecunda hora cum nuptiali pompa Dianæ templum ſubeunt: luſtratiſque ab ſacerdote abſtemio ſponſis conſenſus utrimque petuntur, cæduntur victimæ, proſecta fauſtiſſima excipiuntur. Sed ad ædes Veneris pro more eundi, ibique ſolemnes ritus nuptiarum terminandi conſilium ad biduum uſque prolatum eſt.

CAP VIII.

Reverſa in regiam pompa tripadium inſtruitur. Zaga ab Æthiopia populis in Regem repetitur. Quod Æneoëſto anſam loquendi, & ſtatum Monarchicum Ariſtocratico, vel Democratico præferendi obtulit. Qui ſermo omnium plauſu excipitur.

In Regiam interim pompa revertit, in qua conclavia belluatis peripetaſmatis, lectus genialis conchyliis veſtiebatur. Nitebant abaci geminatis potoriis. E laquearibus polylychni penſiles emicabant intextis

ſpon-

ſponſorum nominibus concinnati: menſis poſtea accumbitur; quæ ex orbis utriuſque manubiis inſtruuntur. Flexo ad veſperam die choreja inſtruitur, cujus in exordium paniſci incondita artuum geſticulatione ſe efferunt ad crembali diſcrepantes ſonos: deinde Archombrotus Phrygii paſtoris perſonam agens, jactato ad modulum corpore, malum bracteis veſtitum numeroſis geſtibus in altum vibrabat, tum Juno in murice gemmis incruſtato, collecta in nodum faſcia, proprio quaſi niſu librabatur in aëre. Erumpebat Minerva Ægide terribilis, Oleaſtro cincta galeam, in numerum haſtam quatiens. Cœſtus, & interpolatum nive genarum minium Venerem cum illecebra ſubſultantem arguebat. Juno honeſtis nutibus paſtorem demetebatur, propoſita in præmium decoris arbitro Aſia ſua. Pallas bombo Martio ad ſaltationis agilis vigorem elicita, minas oculorum in aſcititias blanditias præſcripto fidium commutabat; dum Cypris geminis lenociniis in proſcenium emicabat: uno comite armigero ſuo Cupidine, qui habili motu aureis ſagittulis amoris vulnera infligebat, paſtoremque promiſſo perſtringebat fulgure. Archombrotus in Paridis habitu ſcenam agili pedum plauſu excurrens, venuſtis nutibus aureum malum Cyrthææ porrigebat: tum tres Deæ juxta dolorem quaſi immutatæ ſcena excedere, quæ illico ſtrepere Tritonum Nereidumque ad tenorem gratantium tripudio. Hi principem Cyrthæam formæ præmio gaudentem, ad Regiam, cadentibus ad modulos nutibus, ſuſtulere: quorum quiſque ſecutus, gratulabundus ad quietem deinde ſeceſſit.

Inter hæc argumenta lætitiæ quibus Regia perſonabat Legati ab Æthiopia Arelatam venere, ubi, facta prius ſibi loquendi poteſtate, Zagam electum a proceribus imperii, & renuntiatum Regem, utpote legitimum hæredem, attulerunt. Hoc unum ſupereſſe videba-

debatur ad communis lætitiæ complementum. Annuit Zaga ſuorum votis, & omnibus ſalutatis, ſed ipſis maxime Regibus, apud quos in eodem regio cultu tot menſibus fuerat, aulam non tamen ſine aliquo doloris ſenſu tandem reliquit. Aneroëſtus poſtquam Æthiopiæ principi ſatis eſt gratulatus, capta anſa ſic coram principibus affatus eſt.

Tanta Superum vindicta eſſe ſolet in populares, ut ejecto Rege legitimo nunquam quieti aut ſecuri eſſe poſſint donec avito ſolio reponatur. Nam utroque regimine principis & optimatum, aut popularium æqua lance ponderato, illud ſemper optimum atque tutiſſimum; hoc turbulentum & factionibus ſeditioſorum laceratum non immeritò viſum eſt. Nam quis ſanus magis liberam eſſe plebem cenſeat ſub magiſtratu, cum plures dominentur hic, qui venale ſuffragium habeant maximè ſi in parvo ære ſunt? quot factionum caput eſt ambitus? Invidia & æmulatio quam ſæpe ignavis faſces detulit? Unum corpus unius regendum animo: ubi enim multitudo ibi confuſio: & plures commiſſa negotia ſegnius expediunt. Hoc uno fræno communia populis vitia coërcentur. Si in priſca, & hodierna imperia oculos converto, antiquiſſimum, & ſanctiſſimum illud regimen videbitur, quod ab uno principe pendebit. Imperium naturale ab uno eſſe conſtat; natura autem prudentiſſima artifex: & quæcunque noſtro in orbe ſuſpiciuntur, ſingularia ſunt, & ab uno opifice, ſupremoque Rege gubernata. Sol unus mundi oculus diei præeſt: gemini ſi appareant, metuendum. Habent cervi, & grues quem ſequuntur: uni Regi apes ſubjacent, quo incolumi cæteris bene eſt. Hæc facunda perorandi forma principibus minimè diſplicuit: quod vel plauſu, vel oris blandiciis, vel oculorum nutibus quiſque aſtantium demonſtravit.

CAP.

CAP. IX.

Deducto cum omni significatione benevolentiæ usque ad portum Zagæ Æthiope, Rex Poliarch. intelligens obstinatum esse impiis deserendæ aulæ consiliis animum Theandri, assensurum tamen se negavit, nisi quatenus filii sui Theopompi regimen acciperet: institutoque de illius institutione sermone disputatur inter utrumque, an & quibus disciplinis debeat talis princeps informari.

Æthiopiæ Rege cum honore, & aulicorum comitatu usque ad Phocensium coloniam conducto, reversisque purpuratis cœpit Theander Poliarchum iterum sollicitare, sibi ut per hunc liceret absque mora, ad Druidarum demigrare consortium. Rex obstinatum in consiliis & votis Theandri animum videns, non alia lege assensum dedit, nisi quatenus filii regimen sub disciplina sua erudiendi susciperet. Esto, mi Theander, inquit, Theopompo meo vigil Argus, & strenuus Chyron, imbue regiis artibus Principem, dum illi ætas liberam ad solium viam sternet.

Quæsiit Theander quibus disciplinis erudiri filium vellet. Cui Rex: ubi princeps ingenitæ imperitiæ relictus est, vix ullum est pejus in Republica malum. Nam inde plerumque nascitur inertissima dissoluti animi mollities, ignavusque tumor, fastidioso nutu cuncta despiciens: vesanæ autem cæcitas mentis à rebus gerendis persæpe deterret: desidiæ suspicione labimur in contemptum hostium: elati supercilii fastus in odium clientes subornat. Uno penicilli ductu Therſitis deformitatem expressit solers ille Iliados artifex, dum infami odio in Achillem & Ulyssem, icones prudentiæ atque fortitudinis illum concitat. Jactabat quidam Macedo ab eodem poëta traductum se in Agamemnonem prudentissimi Regis, ducisque manu strenuissimi partes in obsidione Ilii enixè obeuntem: etenim quid de ista indole expectari fas est, quæ cum ad imperan-

dum nata sit, sibi ipsa imperare, aut leges imponere nescit? Imperiorum cunæ Dynastarum solertia excitantur, enecantur degenerum principum deside insciatia, nec alio quam quo extruuntur ingenio adolescunt. Hercle quantum mea mens per omnium ætatum series memoriam potest deducere, vix alia nascentium & expirantium regnorum initia reperio. Omnium primum sub auspiciis Nini excitatum est, & muliebri otio molliſſimorum Regum extinctum. Stoliditate Astiagis Cyrus abusus est ad amplificandos Medorum excidio Persidis limites, & ad ineundum palmarum cursum, quem prolixa nepotum series postmodum prosecuta est. Hæsit tamen ad metas indefessa virtute sapientissimi Ducis, qui modico succinctus milite ad Gangis usque littora palmas messuit, suisque lustravit armis nationes illas quæ primos surgentis Solis radios excipiunt. Denique si ad prisca sæcula mentem extenderis, illustrissima facinora communiora fuisse solertioribus ingeniis, & per omnem eruditionem lævigatis. Quam sæpe convitiis militum exceptus est Bardus Imperator: nam qui poterit fortissimus miles ad aureæ pecudis, & animati simulachri reverentiam adigi: citius Ædepol Æsopicæ Ranæ tignum in Regem adorarent. Quot principes nostra ætas vidit ad alterius nutum imperare coactos, quod nullo litterarum præsidio niterentur? Quis Imperator scitè exercitum reget, qui in milite colligendo, explicando, in hiberna promovendo imperitus fuerit? quam frequentibus patebit insidiis, cladibus, ludibriis, nisi perite educat aciem, castra metetur, vallum jaciat, ad certum scopum destinata tormenta libret, pugnam lacessat, canat receptui. Quid dicam in administrando regno peritiam, solertiam in imperiorum situ, viribusque discernendis, quæ omnia lectione magis quam experientia perdiscuntur, sæpe pravâ magis quam bona con-

consilia prosperè eveniunt, quia pleraſque res fortuna ex libidine ſua agitat. Denique quem cives ſeipſis prudentiorem ducent circa ſuam ipſorum utilitatem, huic perlibenter obedient. Itaque malim Theopompum meum ſapientia cæteris, quam copiis anteire.

Prudentiſſimum Regem Theander ſic excepit. Prudentia (nec inficias eo) fax eſt nobis prælucens inter civilis hujus vitæ Sirtes: ſolertiſſimo tamen genio opus eſt, ne ea abutamur ad effrænem morum licentiam. Rarum eſt eruditum principem virtuti Muſas ſociare, maximè cum eminens poteſtas, peccandi libido, aulicorum lenocinia, opum ſplendor, & ingens fiducia ſui quæ impune erumpit in vitium, cupiditatibus frænum ſolvunt, quaſi omnia voluptati ejus ſervire debeant; adde & inſanam diſciplinarum jactantiam: quæ cum in principe ſui amante coierint, in omnem morum petulantiam illico illum effundunt. Quid quod nonnunquam procacem linguam armabit in ſuperos, quaſi ſua ſorte aut inferiores, aut nullos? Neſcis ſuum eſſe cuique innatum pondus in malum, atque haud raro nos ignoratione vitii culpæ expertes efficit. Si quis eſſe poteſt iſtis in luxu modus, ſi qua inter incentiva libidinum integritas, ſi liberalis animus inter illos qui rapto aſſuefiunt, ſi morum candor inter verborum inanem fucum, dicam compendio, ſi virtuti nomen dari poteſt, ubi vitium latè regnat; cedo manus, & illis quibus eruditionem extuliſti laudibus aſſentior. Quæ natio ſcientiæ laudem cæteris præripuit? Ægyptiane an Græca? ſed ubi gentium perfidia, inhumanitas, totaque vitiorum caterva ſeſe altius extulerunt? quem alium titulum laudis Ægyptus ſibi vindicat, niſi in illudendo ſolertiam? quem alium Alexandrini libidinum omnium cœno infames? quæ gens ob commercium litterarum, fabularum inventionem, eloquentiæ cultum, partum philoſophiæ de litteratis optimè meruit?

meruit? numquid eadem Græcia? in qua tandem fidei minus, plus crudelitatis inventum? nam quoties in mutuas cædes fratres convertit? quoties parentes armavit in filios, filios in parentes? nonne matres odio pluſquam novercali eripuere liberis vitam, quam ultro iiſdem indulſerant? quoties humana carne feraleſ menſas oneratas vidit? nonne Solem ferunt tot ſcelerum turba ſuffuſum, in ortum ſuum inchoatos curſus reflexiſſe? & ubinam gentium in Deos plus ſcelere ſævitum eſt? nonne tutius illi fuiſſet ſcientiarum commercio caruiſſe, quam earundem face terere vitiorum iter? ergo ad arbitrium celebrentur Græci: ego vero ingenuam Scytharum indolem pluris faciam, quam Græcorum callidam ſapientiam: pluris iſtorum inopiam quam opes partas. Atrociſſima quæque ſcelera paſſim in ampliſſimis graſſantur urbibus: at juſtitia, pietas, & cana fides receſſum amant.

Quam multi principes precaria authoritate ſua abuſi ſunt ad facinus, ancipitem hunc gladium in ſe ſuoſque convertentes. Ex adverſo quotus quiſque eſt, quem etiam ſi Muſæ non amaverint; amorem tamen ſuorum regiminis ſui felicitate, cultus virtutis ac religionis non conciliavit? ſunt tamen ex litteratorum numero, qui ſive diſciplinis faventes; ſive eruditionis utilitate decepti, negant aliquod ingenium in magnis eſſe numerandum, niſi quod ſit imbutum litteris. Unde fit ut publicis virtutibus claros, natoſque regendis populis, ſi ad litterarum ſubtilitatem inepti ſunt, ab humanitatis & magnitudinis claſſe excludant, peſſimo prorſus ſuffragio ac errore: quandoquidem nemo civilibus par eſſe poteſt, niſi qui in ipſis naturæ divitiis conceptus ſit. Quam multi enim in umbris ſcolarum, & in neſcio quibus argutiis inanis & ſuperflui acuminis ad laudem perveniunt, quorum ingenia in cæteris caligant. Nonne hunc verius amabit

bit ſapientia qui augurari in populis motus, & tempeſtivis remediis occupare ſciet? illi primi quos habemus eruditionis principes an ſcholarum paleſtram excurrere. Hi ad condendos civium mores in peregrinos ritus intuebantur, ut quæ placebant, hæc in ſuos inveherent: heroum geſta volvebant, ad quorum normam componebant ſuos, ſuorumque mores, regnorum finitimorum ſitus, momenta, vires attendebant: ut hac civili philoſophiâ imbuti rebus ſuis caverent, aut fines protenderent: Tametſi non inficias eam illum abſolutum genium eſſe, qui ad rempublicam regiaſque ſcientias factus ſit. Itaque Theopompum noſtrum non argutiis umbratilis ludi, non argumentis ſe ipſam torquentis philoſophiæ, non poëſeos numeris, aut linguarum varietate nimia onerabo; ſed veterum monumentis, populorum moribus & ſtatu informabo, ut ex eventibus variis ſapere diſcat. Non ægrè in ſententiam Theandri Poliarchus cæterique iverunt, optabatque Rex annos filio maturari, ut ſub ea diſciplina optimi regiminis poneret rudimentum.

CAP. X.

Injecta de fœderibus conjugalibus mentione, Calaidis dotes, genus, artes, cultum, ingenium, ratio abdicandi regni, religionis amor, cujus fucos, & genuinos colores aperit Theander, non perfunctoriè exponuntur.

Subjicit Theander non minori deſiderio ſe teneri cum Theopompus regno conjugioque maturus fuerit, parem dotibus inveniendi ſponſam, quatenus ſanctiſſimum iſtud par dignam imperio ſobolem longamque ſeriem nepotum progeneret: neque dubitabat dicere ætatem ſuam abſolutiſſimæ principis Iconem in una principe omni Pandora perfectiori edidiſſe, conjugioque tali unam Calaidem Gallici ſceptri dignam ſibi videri.

Digitized by Google

Sciſcitanti Regi Poliarcho quænam eſſet illa princeps in quam natura adeo prodiga fuit, Theander illius dotes regias Argenidis genio aliarumve heroinarum quas orbis quondam adoravit, minime inferiores, inſtitutionem, ſapientiam, artes ab ovo recenſuit. Ut ipſi etiam Dii certatim eam amaverint, quam Minerva docto pollice ſuo ad ſtuporem orbis effinxerit, nec non è ſacris quibus in patriâ litabatur, adulterinis, impiis, cœlo odioſis ad certam, & rectam, ſanctam divinamque religionem tandem revocarit.

Circa oras illas quas Aquilo rigidiſſimis flatibus efferat, hæc virgo omni Amazone clarior ævo noſtro nata eſt, niſi forte ex Amazonum genere eam dixeris; putato Charitum omnium ſedem, naturæ compendium, miraculum orbis, decus purpuræ. Parentem nacta eſt quem in mediis trophæis invida Bellona demeſſuit. Attamen Virgo fatis quaſi obluctatura quæ tantum præſidium ſibi nondum adultæ invidiſſent, Muſarum patrocinium quæſiit, & habuit Parnaſſum omni palatio gratiorem. Neque adeo hanc alumnam dedignatæ ſunt Muſæ, quin eam in decimam ſororem adoptaſſent. Non potuere populares diutius ſui Syderis abſentiam pati; ut ſi Solis procul à ſe vibrantis radios vix ſentiant, novæ ſaltem hujus facis luce foverentur.

Abducitur ergo non ſponte ex Muſarum ſinu illuſtris Calais, ex Parnaſſo remigrat in regiam, & auream coronam lauro addit. Tum geſtit ſibi quiſque à ſua principe imperari: Illa viciſſim Imperia ſua eo prudentiæ ſale condit ac temperat, ut ſapientiam parem multa retro ſæcula vix audierint. Sed quantò magis gaudii Muſarum receſſus attulerat, tantò magis tædii tumultus aulæ ingerebat. Muſas amabat, viciſſimque amabatur: vix tamen in aula locus erat eas in ſecretum admittendi. Itaque fluctuanti principi conſilium eſt,

rerum

rerum ſummam alteri credere quatenus vireta dilecti Heliconis repeteret, accitis ſecum ingeniis orbe ſuo illuſtriſſimis: quorum adminiculo latentes artium omnium ambages reſolveret, ne quid ſcitu dignum, intellectum ejus ad ſumma natum lateret, non amplius Gammaticorum laborioſos canones excutiendo, non Rhetorum floſculos legendo, aut in Dialecticorum verſando argutiis: verum arcana phyſices, civiliſque, & ultra mundanæ ſapientiæ ardua ſuperando, præter mathematicas apodixes, ſyderum motus, numerorum rationes, dimenſiones terrarum, quidquid denique vel antiquitatis vel novitatis, quidquid Latinæ & Græcanicæ litteraturæ. Parum ex ſui orbis Syderibus lucem mutuatam eſſe, niſi ab exteris etiam oris ſapientes eliciat, ſumptibus non parcens, quippe quæ ſapientiam omni auro pretioſiorem reputaret, donec in eum ſcientiarum apicem aſſiduæ curæ laboreſque indefeſſi eam provexere.

Denique ut liberior virgo princeps ſibi Muſiſque vacaret, ſibi author eſt regni habenas alteri dimittere, quem antea publicis comitiis ſceptri heredem dixerat. Ergo plebe per præconem coacta, illuſtris regiis inſignibus editum in ſcenæ morem tabulatum aſcendit; ſuſpenſiſque ingenti expectatione populis Herculeo lepore ita peroravit: diu eſt quod hanc paleſtram ambio (bene meriti cives) ut tandem hodie victrix hac eadem paleſtra abeam. Æquius enim imperium in me ipſam decernam, ſi abdicato regno mihi ſoli vacavero. Imparem ferendo oneri virginem eſſe quoties olim jactatum eſt? ego cæteris quas imperandi ambitioſa fames urit, facem præferam, ut meis inſiſtentes veſtigiis clavum tantæ molis virilibus manibus dimittant. Non adeo inopes viris eſtis, ut ad Semiramidem aut ad Tomyrim aliquam ſit vobis reccurrendum. Sunt illuſtres inter vos ut genere, ſic & virtute,

&

& ingenio viri; ſub quorum auſpiciis imperium veſtrum floreat donec orbis ſtabit. Dixit, & regiam faſciam purpuramque exuens, in expeditum equum dicto citius inſiliit, cingente virgineum latus delecto purpuratorum equitatu, aliiſque paucis quos ſacra laurus ex vulgi pulvere ſupra aulæ nitorem evexerat; ſubditis vero doloris magnitudine mutis. mox ubere fletu Reginæ ſuæ diſceſſum proſecutis: ſed virgo princeps excuſſo onere jam liberior, pernici equitatu grande iter emenſa, & clauſtra Regni prætergreſſa tandem pervenit ad familiare mihi hoſpitium, ubi regio cultu excepta eſt. Accubituræ principi vernaculi menſam oneraverant, cum jactata in medium theſi de religionibus, multis inter menſam multa ferentibus. Ego cum officii ſpecie hujus lateri adhærerem, ad dicendam meam ſententiam provocatus ſum, quam ſic auſpicabar.

Religionem alumnam imperiorum eſſe, tutelam authoritatis regiæ, hoſtem Tyrannidis, legum propugnaculum, reipublicæ firmiſſimum columen, gloriam principum, gemmamque diadematis pretioſiſſimam, altricem obſequii, denique veriſſimas rectè conſtituti regni opes, tametſi clarius ſit quam ut argumentorum luce indigeat; proferam tamen non nihil, ad inſerendam altius principum & ſubditorum animis divinam hanc optimi regiminis, regnique pacandi ſcientiam. Religionem dico non ob cœnas illas quæ optimatum & plebis cupiditatibus, & abdomini ſerviunt, non illas quæ barbaris legibus ancillantur, quæ ad eroticum Veneris, ad Lycæi dithyrambum ſervent, ſed Religionem illam quæ voluptatibus frænum ponit, appetitus petulantiam domat, legi mentis libidines, mentem vero ſuo authori ſubjicit; quæ regibus, & optimatibus obſecundat, quaſi vicariam numinis potentiam adgubernantibus. Ille eſt nexus pluſquam Homeri-

cus,

eus, & aurea catena, vinculum naturæ, & ſymbolum, quod diſcrepantes moribus nationes arcano fœdere ſociat.

Atenim ex divinæ Philoſophiæ genio conſtat, litem & amicitiam principes eſſe rerum omnium: elementorum alia ſymbola eſſe, alia diſſymbola: cœleſtes orbes verti contrario flexu primi mobilis, ex antipathia quadam produci in terræ viſceribus miracula ad orbis commodum: in confinio duorum extremorum ſitam eſſe virtutem: bellum viam eſſe ad pacem. Plane delectatus eſſe videtur ſapientiſſimus opifex in illa lite capitali rerum contra ſe invicem pugnantium; at longe ſecius egit cum rationis compote creatura, quæ harmonia ſua cæteris præit uniformi, neque diſcorde tenore; & cum ſupremi numinis imago exiſtat, ipſa ſecum pari quiete agit, quippe quam principio ſuo deceat conformari, & ſpiritibus illis cœleſtibus quos rixa nulla inter ſe committit, non invidiæ fax adurit, ſed æternæ pacis quies recreat. Non aliunde autem fluit hæc ſocialis amicitia quam ex conciliatrice animorum Religione, quæ ſacro nexu concives alligat, eos orbi toto venerabundos tremendoſque facit.

Religio quæcunque alumna eſt vitii, ambitionis fomes, impietatis parens, hæc adulterina, hæc inſana, & inſtabilis reputanda, quipppe quæ fundamento nullo freta omni aura ita circumfertur, ut ſibi ipſa non raro diſſentiat. Noſtra autem Religione quid ſanctius? Deo puris litat victimis, fratri velle malum neſcit, præruptum virtutis jugum relicto vitii lubrico intrepida aggreditur, æſtuantem libidinem temperantiæ fræno coërcet, & pravos appetitus numinis timore frangit. Veſtra ex adverſo quam diſpar eſt, nova, perverſa, vitioſa Religio, quam concepit Tartarus ſeminiri libido peperit, effrænatus in adoleſcentiâ voluptatum amor enutrivit, in provectioribus cæca libertatis ambitio

auxit

auxit & excoluit. Aliquos interim ex comitatu Calaidis advertebam intortis vultibus in me intuentes, & nescio quid apud se submurmurantes, cum humanissima princeps simplici risu me ad pergendum stimulavit. Tum ego, non inficias itis nostræ religionis Professores cœlestis patriæ certissimum iter esse ingressos: quod de vestra religione non inficior: & quamquam mutato Dei consilio secus accidisset; nempe ut sancta & integra foret vestra Religio; cum tamen nostram probatam satis habeatis, nos eam tutò posse sequi vestrum nemo negat. Vide ô sereniſſima quam illustres genere, scientia, pietate nostra sacra, ut legitima amplexati sunt, & aliam omnem religionem ut insulsam, adulteram, impiam adversati. Cum ergo hac triplici dote, id est genere, doctrina, virtute tot Heroibus non imparem te censeam, habebis gloriæ incrementum, si abdicata sacrorum detestanda novitate, veram, avitam, tot assertam miraculis, tot victoriis laureatam religionem colueris.

Hæc perorandi libertas Calaidi placuit, & meum consilium ei non fuisse vile fœlix eventus comprobavit. Hæc tui videndi desiderio summo tenetur. Erit ibi locus de fœderibus mentionem injiciendi. Placuit Regi Theandri consilium, nihilque ex illo antiquius habuit, quam ut Calaidem in sociam thalami atque regni, filio etsi nondum adulto jungeret.

CAP. XI.

Consilia aulæ deserendæ, & petendi secessus regiam implent. Prima omnium Philopatra initiatur Palladi. Demum ab Aneroëstо sermone de colendo numine non ingratus instituitur.

Nihil erat moræ in Aneroëstо atque Theandro, quin eremum aulæ præverterent. Timonides & Ægyptius traluntur in societatem consilii. Philopatra pariter non cessabat patrem urgere, quatenus ad Palladis

lidis virgines duceretur, ubi se voto exolveret. Pater filiæ tam æquæ petitioni non obtrectavit: sed eam ante aras Deæ, spectante cum aulicis Rege, ac suis lachrymis illius amori litante, pontificis in manus dedit, Palladique mox initiari passus est: tunc rogatus ab eo Arteroëstus in procerum consessu ita demum peroravit.

Salutem vestram à sublunaribus auspicabor, à quibus ad primam causam vos eveham, & caligantes inter aulæ delicias veluti manu ducam, creaturarumque reserato libro, cujus potissima littera, homo est, ad unius veri, atque optimi numinis notitiam vos extraham. Quatuor differentias in rerum natura demiramur, hominem vero quasi universi orbis complementum, qui perfectissimis naturæ beneficiis eximius, esse cum lapidibus, vegetare cum plantis, cum brutis sentire cum innatum habeat, una ratione, quam cum defæcatissimis mentibus communem habet, cætera prætervolat. Quis tot numia eo pondere mensuraque tam dispari dispensavit, nisi ille à quo est omnis ordo & motus? quis enim sui ipsius potuit esse opifex, aut quod non habet, reperdere alteri? ergo Deus est qui à nullo fuit, sed à quo fluit quidquid ortum habet: est Deus, isque pulcherrimus & optimus, à quo pulchritudo bonitasque omnis, quasi radius à Sole manat, & rebus quasi singulis sigillum imprimitur. Quam porro gentem sine hac propensione reperire est? sed ille communis omnium gentium consensus lex est & vox naturæ.

Non desunt tamen qui ventosa loquacitate inflati, solisque credentes sensibus Deum omnino tollunt, & ex cavillantur quæ sibi abstrusa sint, quasi vero æternæ lucis arcana, cogitatio humana possit assequi. Hæc factio latissimè dominatur, divitumque mensis admittitur. Aut enim, ajunt, Solis terroribus numen fingitur, aut si est aliquod, omnia dispensatrici naturæ

per-

permiſit: animus ita corporis domicilio inſinuatus eſt, ut extra illum carcerem non duret: denique Religionibus utendum ſicut veſtibus. His docti inſtitutis cupiditates ſolvunt, & more belluæ habenarum impatientis omne jus & jugum excutiunt. Quis eſt autem tam rudis, & tam feris imbrutus moribus qui oculos in cœlum tollens; tametſi neſciat quo numine regatur hoc omne quod cernitur, ex ipſo rerum motu, ordine, temperie non aliquam eſſe mentem ſuaviter cuncta diſponentem intelligat. Hoc autem tantæ pravitatis caput eſt ignoratio ſui. Sub Emblematum velo gentes numen reveritæ ſunt: nam & Jovem captum auribus modo, alias cum quatuor auribus effinxerunt, qui mortalium ætates in caprina diphtere deſcriptas continuo legeret. Huic ſanguineum fulmen tribuitur, Minervæ candidum, Summano nocturnum: neque plures Dii admittendi ſunt, quos, ut neſciretur Deus, ſe plures eſſe mentiti ſunt: eſto, Homerus bellantes inter ſe ludibundus commiſerit. Unius regi mundum arbitrio neceſſe eſt, quem alii Orpheum ob concordem orbis harmoniam, alii aquam ex qua enata cuncta cernimus, illi Chaos, indigeſtæque ac rudis materiæ confuſam congeriem; hi mentem eſſe præſidem orbis, omnia commeantem, totamque molem terræ agitantem putaverunt: non pauci multos quidem populares Deos eſſe; unum tamen naturæ artificem quem Pana, ſeu totius compendium orbis appellant: non Herculem, qui, ſi monſtra domuit, libidines frangere non potuit: imo ipſe alligatus fortiſſimo obſcœni amoris vinculo, ſecus pedes Omphales meretriciam & indignam Heroë vitam egit. Non hunc Deum credidit Philoctetes, qui & facem ejus pyræ ſubjecit, & cineres ipſius in Oeta monte ſepelivit.

Nos uni libamus Deo, cujus gratia facco degenere Purpuram, ſuperumque commercio conſortium humanum

manum commutamus. Nunc me in seceſſum procul ab aulæ tropicis recipiam, mihi meiſque ſuperſtes. Deinde ad ſe converſos illud quam ſæpe annis, opibuſque florens audivi; & nunc ætate inclinante certis experimentis didici, breve eſſe & fugax ſpatium ætatis, quod nullo pedum ſtrepitu ſomnum inter & jocos, inter blandientis aut adverſæ fortunæ ludibria nobis effluit, tacita fuga ſe ſubducens, & longiſſimum ſtadium intercipiens: cumque incautos ad vitæ metam fata rapuerint, apparet quaſi diſcuſſo ſomno hoc vitæ momentum evolaſſe. Tota ætas in contentione animi abit, & per ærumnas mille luctantem animam projicimus. Quam conſtanti nunquam ſtas fortuna gradu! Modo jura, & leges ferebam; poſtea iniquæ legis fato ſubjacui. Sed in hac tanta rerum deſperatione deſperavi nihil; ſpes aliqua hanc meam ſenectutem, & orbitatem ſuſtentavit. Veræ pietati candidis victimis libavimus: religione non irrita: cerviceſque tempeſtati ſubduximus, & collectas naufragi principis reliquias in tutam ſtationem tranſimiſimus. Nunc ô ſumme rerum, quoniam ego certamen lubricum in hac arena deſudavi, veterem gladiatorem rude dona, exauthora emeritum. Extrema hæc verba omnium lachrymis excepta ſunt tanquam in funere prolis aggementium.

CAP. XII.

Poſtera die cæteri Aulici ſtudio ſolitudinis capti poteſtatem abeundi à Rege Poliarcho demum obtinent. Eundo Aneroëſtus ſocios docet ritus & leges Druidarum. Hiſque in eremum ingreſſis quod ſupererat nuptiolis pompæ, in ædibus Veneris abſolvitur.

Poſtera luce Aneroëſtus Regem adivit rogans ſibi liceret antiquam ſolitudinem repetere; cumque Rex invitus licet annuiſſet: bene eſt, ait, ſummam votorum teneo, & noſtris cœlum dedit aſſenſum votis.

tis. O bene in hanc diem productos canos qui tam miti auſpicio juveneſcunt! ô rectè peractam vitæ fabulam quæ tam fœlici actu clauditur! ô vitæ arbiter! Te ſine annorum curſus in lubrico eſt; ibo libens quamcumque viam luce tua auſpicabere, ſordet humus, mens inhiat polum. Ergo ibat ovans ad Theandrum, Ægyptium, & Timonidem, qui à Rege facultatem etiam extorſerant. His ergo & opacum nemus & magni Jovis fanum ſic aſylum obtulit.

Seales eſt Diis & Muſis digna, bicipitique diſtincta jugo, quod ambitioſæ adumbrant ſylvæ, hic fons quaſi Caſtalius, in alveum coiens immortales Heſperidum hortos alluit; & in ſuis aquis reciprocat ſuas imagines: denique ipſa natura omnes artificum labores prævertit. Continuo Lycæum eſt propter commercium bonarum artium tota regione celebre: in quo ingenua pubes litterario pulvere amat exerceri. Iſtuc diverten-tes domus ſacer horror, & Myſtæ viſu adituque venerabiles religione, & amore receſſus implent. Horum Druidarum mores alios ſciſcitantes Aneroëſtus imbutus illis legibus, procedendo ſic edocebat. Ea eſt huic cœtui lex, nemo ut ſua lege vivat; ſed præſidi cuncti ſubjaceant. Qui cæteris ut virtute, ſic & ſcientia præluceat, ſingulorum ſerviat moribus, omnibus conſulat. Is demum egregius erit qui quaſi unus de grege fuerit; eximius qui velut unus ex imis communi legi non ſe ſubſtrahit. Primum inter eos ſtudium eſt, ut quiſque perverſos mentis tumultus temperet. Carnibus veſci nefas, ſed labor, latebræ rerumque omnium nuditas tanti eſt, opes ut nullæ ſint, nulla irritamenta vitii. Non terrenis ſtudiis, non forenſibus jurgiis implicantur; ſed ſuæ quiſque cellæ recluſus anguſtiis veræ ſapientiæ nomen dedit. Repetitis in dies & horas votis ſupremo litant authori, cui capillo depoſito mancipantur religione profuturâ. Mutuis certatur officiis:

face-

faceſſit otium virtutum noverca, aureumque diſcordiæ malum, omnibus aureo concordiæ nexu eodem ſub jugo copulatis; & quoniam Aſtræam Muſis ſociant, & Parnaſſum perinde atque Olympum incolunt, liberalis juventus ex his fontibus ſacra utriuſque ſcientiæ arcana haurit, quorum ope in lucem erumpens Barbaros ipſos more Orphei, vel Amphionis, numini nedum ſibi conciliat: ſed effrænem cohibere linguam principem virtutem ducunt, eumque proximum Deo, qui juſtis eam frænis ſeu premere didicit ſeu laxare, ſic ut ingreſſus muſſitantem audias neminem: nam cellam intranti offert ſe (qualem Serapim effingunt Niliaci) in marmore ſilentium digito monens Miſtæ effigies cum hoc ſubjecto carmine quod Aneroëſtus indigitavit.

O quicumque ſacri lege ſilentii
Linguam ritè domas, fortior es mihi
Quam ſi ter geminis fretus adoreis
Tangas Sydera vertice.
Non te dura movent jurgia, quæ ſerit
Pejor luctificis lingua ſororibus,
Dum lymphata ciet pectora turbine,
Inque iras agit impias.
Sed tuto placidus littore reſpicis
Fluctus horriſonos & rabiem freti,
Sævis lingua notis quæ violentior
Diro murmure concitat.
Hoſtiles animos fortis, & irrito
Tu faſtus hominum Marte frementium
Rides, ſeu timidas Acroceraunia
Ventorum excutiunt minas.
Non tot voluit opes fluctibus aureis
Fælix occidua flumen Iberiæ
Quot fretis placidis placido dia ſilentio
Cœlo munera depluunt.

Ergo quiſquis ades fervide ſeculi
Calcator, labium comprime, ſi cupis
Inter Semideos ſugere Cœlites
Sacri pocula Nectaris.

His deliniti lenociniis proceres ſolitudinis majori deſiderio accendebantur. Neque mora compellato præſide, quod tantum ardebant, aſſecuti, in cellulas ſubeunt, quæ tamen non conceſſæ ſunt, niſi enixè poſtulantibus. Sicut nube ingruente ſub tectum confugimus, ſic poſt calamitates ad ſapientiæ aram quam fortuna nullis evertit machinis recurrimus. Pelaſgi de pace non niſi attriti cogitant; nos vix unquam de Diis niſi afflicti, & variis fatorum jaculis ulcerati.

Contulit ingenium patientia longa malorum: ſic tandem oppugnata Argenis triumphat de hoſtibus; de perduellibus Poliarchus; Aneroëſtus cum ſociis de aula, cum ab avitis ſceptris deflectens, & in receſſum procul ab aulæ tropicis decedens, Reges purpuræ, Regibus purpuratos, ſe ſibi divellit, multiplici clarus victoria: deluſoque fortunæ ludo, gratum celeuſma canens placidum ad portum enatat; quem ubi demum in hoc domicilio aſſecutus eſt, temperare ſibi non potuit, quin hæc recantaret:

Vivite ſylvæ, vivite fontes,
O nos divis junctos ſuperis
Aut Semideis, dum licet iſtis
Nos jam placidos vivere mandris!
Vivite fontes, vivite ſylvæ;
O dulcis amor, grata voluptas!
O delicium, jucunda quies!
Virides ſaltus, dulces tenebræ!
Nemorum ſacræ vivite ſedes.
Hic larga pluunt munera cœli,
Hic dira ſilent murmura mundi.
Hic juncta Choris mens Æthereis

Tran-

Tranquilla poli gaudia carpit.
Vivite fontes, vivite ſylvæ:
Vivite ſacræ ſedes nemorum;
Nos ſylvicolas ruris opaci
Condite tectis, ſanctæque date
Commoda ſedis.

Poſtquam compotes votorum proceres facti ſunt, & abſterſæ lachrymæ quibus cæteri Purpurati illos proſequuntur, qui declinabant aulæ illecebræ, ſecunda nuntiata in templum Veneris regia pompa proceſſit. In hujus veſtibulo opperiebantur Popæ cum victimis; queis libatis à pontificibus, & mactatis à ſacrificulis inſpecta ſunt exta ab aruſpicibus; eaque integra, atque illibata cum reperta eſſent, omnia fauſta, beata, pacifica, & ſecura Antiſtes ominatus eſt, feſtivæque pompæ lætitiam ſpe amplioris Deorum beneficii cumulavit, atque hoc Erotico terminavit diem.

O Regina Cypri formoſi Mater amoris
Deſere, Diva, Paphon, Idaliaſque domos.
Huc propera redimita roſis, huc te invocat Heros;
Votis, ac precibus annue, blanda Venus.
Te nova Nupta vocat, cui nec dos ulla deeſſe
poſſit; at ingenio, corpore, ſtirpe nitet.
Ambos jungat Hymen, ambos concordia nectat;
Et Charis, & firma pax comitata fide.

CAPUT ULTIMUM

Ad terminandam communem lætitiam poſtridie ſaltatur Pyrrhica quinque diſtincta ſcenis, quas Theander ante egreſſum de regia diſtinxerat.

Ad complementum communis lætitiæ poſtera luce Pyrrhica Dramatica à ſelectis purpuratis exhibita eſt. Hujus author Theander à Rege rogatus ante receſſum ex aula fuerat: porro hanc ita diſtinxit.

SCENA I.

Minerva cum Neptuno de Urbe totius Europæ præcipuâ nominanda dum contendit, congregato ad numerum Barbitorum Cœli concilio Juppiter litem dirimit, dum jus Urbis denominandæ ei concedit, qui protulerit quidpiam humanæ reipubl. utilitati commodius, atque ſalubrius. Percuſſa terrâ tridente Neptuni, ſtatim Equus phaleratus ac bellator, omen belli emergit: iterum eâ pulſatâ Minervæ haſtili, Olea ſymbolum pacis prodit. Cumque pax bello ſit potior, jus urbis ſuo nomine appellandæ pacificæ Minervæ conceſſum eſt, & ab illa dictæ ſunt Athenæ. Sed prior Neptunus cauſam ſuam acturus in hunc modum loquutus eſt.

NEPTUNUS

Terrarum, Germane, parens, Deus Ætheris alti,
Splendida qui juſtâ ſydera ſorte regis;
Ut rutili ceſſit tibi tota potentia cœli
Sic maris imperium ſcis mihi ſorte datum.
Flumina, torrentes, rivos, amneſque, lacuſque,
Et pigra terribili ſtagna trideme rego.
Sunt mihi muſcoſi per florea gramina fontes,
Quos viridis molli margine cingit humus.
Sunt nitidæ nobis gemmæ, niveique lapilli
Quos legit Eois diſcolor Indus aquis.
Prodit & irriguis Adamas, vel Iaſpis ab undis
Quas ſibi mercator quærit avarus opes.
Nec tibi jam refero rubicunda Corallia, conchas,
Quidquid & immenſi continet unda maris,
Hæc minima eſſe reor: gentes alo piſcibus omnes,
Æquore tam varios ſuppeditante cibos.
Hac puriter rapidis hominem tranſverto carinis,
Quò ſæpe ignoti detegat orbis opes.

Digitized by Google

Annon Cecropias muris ſuccinximus arces?
Annon noſtra manus mœnia cinxit aquis?
Ex noſtro eſt generoſus Equus; quem terra tridente
Jam percuſſa meo, juſſaque fudit Equum.
Hoc mercator opes longinquis advehet oris,
Hic homini feſſo dulce levamen erit.
Ergo vide ut fratri proſis, neu debita frater
Tot meritis renuas præmia juſta meis.

MINERVA.

Ergone, ſumme parens, natam cervice Minervam
Deſpicis, & noſtri non tibi cura ſedet?
Et tua progenies nunc indonata recedet,
Cui conceſſa olim fulmen, & Ægis erat.
Num ferus Enceladon te deturbaſſet Olympo,
Hæc tibi ni promptam dextra tuliſſet opem?
Si pelagi rector muris vallavit Athenas,
Has ego munivi legibus ecce meis.
Quin opus eſt & Oliva meum: quæ ſymbola pacis
Bellorum ſuperant hactenus omen, Equum:
Nam Bellatorem triſido concuſſa tridente
Fudit Equum tellus omina dira ſinu.
Pax opus eſt ſincera meum, circumfero pacis
Omina, quæ bellis ſunt potiora malis.
Arbiter ergo ſedens litis, pater optime Divum
Nomine fac urbem dicat Ἀθλώα ſuo.

JUPPITER.

Gnata places, per me non indonata recedes,
Tu nomen Pandioniis imponito muris.
Quiſque tuas arces ſine nomine dicat Ἀθλώας.
Scilicet humanæ confert Pax commoda genti
Pluraque de rigido manant incommoda bello.

Discedens ad plausum Cytharārum Jovem cum cœtu cœlesti NEPTUNUS ita prosequitur.

Dire Tyranne poli, nam te punire rebelles,
Virtuti Heroæ nusquam te pandere dextram
Constans rumor adest, & fama celerrima vulgat:
Ergo putas solitis redolebunt ignibus aræ?
Virtutis posthàc rutilæ quis signa sequetur,
Quando nullæ datur merces condigna labori?
Et te justitiæ semper nudante sinistram
Dextra latens pallâ divina ad munera languet.
Orbe hæc in nostro non æqua mente feremus.
Me pelagi nisi monstra juvent, Acheronta movebo,
Atque meis addam monstris sæva agmina Ditis,
Quæ cum tartareâ nox intempestiva Megærâ
Uno eodemque tulit partu. Quin plura ciebo,
Pallida Tysiphone Stygiis revocanda tenebris,
Atraque Gorgoneis Alecto infecta venenis
Invidiæ qualis stimulis incanduit olim.
Te novus Enceladon Stygiis excitus ab antris
Dejiciet solio, nec te modo sæva juvabunt
Fulmina, dejectos iterum flecteris in artus:
Pro radiis mœstæ sinuabis cornua fronti,
Rursus mentitis Aries balatibus ibis.

SCENA II.

Pyrrhicæ Dramaticæ.

Victrix Minerva cum victore Cupidine, & simili triumphanti Martem frendentem & Bellonam captivos ducit. Juſſæque Parcæ ſuos colos ad pedes Minervæ projiciunt una cum forcipe: quos Cupido & Minerva fractos, & proculcatos procul à ſe abigunt.

MINERVA.

Comprime singultus, lachrymarum comprime rivos
Gallia, festivo testeris gaudia plausu:

Scili-

Digitized by Google

Scilicet expectata diu lux aurea fulsit,
Et sævis finem imposuit Deus aliger armis.
Vicit amor, pacemque dabit: nam bella cruore
Cognato temerata premit: populosque furentes
Junget Acidaliis mansura in fœdera vinclis,
Pax orbe intonuit, lateque erexit hiantes
Tot populos: Gallos jam pacis amabile numen
Visitat, ac plausu Rhodanusque, Padusque resultant.
Victa cadat Bellona soror: fraterque cruentus
Mars pater armorum bellis & sanguine gaudens,
Ingentesque iras acuens jam cedat amori.
Hos junctis tergo manibus traho Diva per urbes.
Captivos viridi frontem circundata lauro,
Paciferamque manu circumfero Pallas olivam.
Ergo Galligena, lætos attollere plausus.
Nunc decet, æternosque Dei cantare triumphos:
Nempe orbe exoritur Sydus, quo clarius ullum
Non fuit: & mœsta noctis caligine pulsa
Pulchior exurgit Titan, cui plurimus hæret
Ore Deus, rutilos qui præfert frontis honores:
Et comes ecce meis sese pax inserit agris:
Pinguior ad nostras quidni mactabitur aras
Victima, mortalisque meum jam Numem adoret?
Num mea Panchæi thuris delubra vapore
Fumabunt? Quis non meritos adolebit odores!
Ipsa ego Gallorum generose gentis iniquas
Commiserata vices summis delabor ab astris:
Invado immani confertos milite campos
Arma manu, parmamque ferens: diruque furebat
Mavors bella ciens, soror & feralis Enyo.
Talia flammato mecum tunc pectore verso.
Ergone noster erit, Mavors, tibi præda superbo
Orbis, & horrisonum quatiet Bellona flagellum?
Siccine speratis nostris illudere regnis?
Virtutis vos tanta tenet fiducia vestræ.

Tot clades, tantaſque neces patiemur inultæ
Hæc dum accenſa loquor mecum, per cornua, & alas
Advolo, Bellonamque trucem, Martemque ferocem
More triumphantis certante Cupidine mecum
Captivos abduco, minas, cadeſque vomentes.
Sic pater armorum victus, ſic triſtis Enyo.
At vos ô ſævæ nimium, duræque ſorores
Atropos & Cloto, Lacheſiſque immitia fata,
Ponite crudeles animos, atque arma biſulca:
Rarius humanæ jam ſtamina rumpite vitæ.
Vince colos Poliarche, colos Archombrote vince.
Non veſtrum adverſi caſus, non ſera vetuſtas
Finiet imperium, rutili quos victor Olympi
Diligit, & palmis, oleiſque exornat avitis.

MARS.

Ergo vicit amor, victrixque Minerva triumphat,
Fœderibuſque novis numina noſtra fugat?
Proh dolor! & quo ceßit honos, & noſtra poteſtas?
An, qui terror eram, victus & exul ero?
An ideo noſtris ſuperatus viribus orbis,
Et fixi extremis ſtemmata veſtra plagis?
Quod placido victor regnat Poliarchus in orbe
Munus, & hoc noſtri pignus amoris erat.
Quod victor regnat Siculis Archombrotus oris
Hæc quoque munifici præmia Martis erant.
Nam quibus auſpiciis vincunt, quo numine freti?
Et tamen heu! vulgi fabula, ludus ero?
Inſultetque Minerva mihi, victorque Cupido?
Siccine de forti Marte triumphat Amor?

BELLONA.

Cor facibus ſuccendo meis ſoror æmula Martis:
Et nunc pro tanto munere victa trahor.

MINERVA.

Pone minas Mavors, pone ô Bellona querelas:
Omnia vincit amor; cur non cedetis amori?
Sancto junget amor pacatum fœdere mundum.
Cede colum Cloto, Lacheſis filium, Atropos harpen.
Ipſa colum rumpo, ſervo fatalia fila.
Jungite concordes æterna in fœdera dextras
Germani, Galli, Siculique; & parcite ferro.

SCENA III.

Tota Deorum turba quotquot Hymenæo præſunt, accurrentes Aſtræam oleâ coronant, & in ſolium antiquum reſtituunt, ex hominum cœtu nullo unquam ſcelere amovendam.

JUPPITER.

Tempus adeſt, mæſtos Galli deponite queſtus,
Marteque captivo præcingite fronde Minervæ
Tempora: dejectos homines Aſtræa reviſit.
Ergo paciferis, Galli ſtipate quadrigis
Pacificum Heroem celebri ad capitolia pompa.

APOLLO.

Ecce redit Virgo, redeunt Saturnia regna,
Et Dea Pacis amans ſuperis delabitur aſtris
Mortale inviſura genus; liteſque, neceſque
Ejectura procul, ſolio ſtatuenda relicto.
Monſtra procul, procul arma, neces, gladiique, minæque,
Sint procul hinc inimicitiæ: Pax candida regnat.

ASTRÆA.

Diſcedat ſuſpecta fides, nec obambulet orbem
Crimen, & ejecto fugiat Diſcordia ferro:
Paciferi rediere Dii, Cæloque relicto
Virtutum chorus omnis adeſt. Juvat ergo morari
Defeſſos homines inter vetereſque ruinas
Nunc ſarcire placet, detritaque corda levare.

VE-

VENUS.

Ipſamet Ætheria cingam connubia pompa:
Pacatuſque novo ſe lumine purpurat aër:
Rupibus horror abit, paſſimque cacumina veſtit
Veris honos; micuere jugis florentibus ultro
Lilia, purpureaque roſæ, violæque recentes,
Et circum caſiæ, & ſuave rubens hyacinthus.

NEPTUNUS.

Ecce minas poſuit pelagus timidæque procellæ
Adventum teſtata Deæ, jam nullus ab atris
Auditur fremitus ventis, non unda remugit:
Et mare ſtravit aquas; cœlum ſine nube refulſit:
Latius aſtra micant: toto Sol arſit ab auro,
Tadaſque inſpexit vultu meliore jugales.

APOLLO.

O quæ ſola potes tranquillâ pace juvare
Mortales, placidâ feſſos in pace guberna.
Deſerto ſedeas ſolio, mentes rege, pacem
Confirma, quam nulla dies, aut jurgia rumpant.

SCENA. IV.

Saturnus Aſtræa comitante bellorum reliquiis terras purgat; & quæcunque orbem invaſerant, furias propellit, aureum ſeculum revocaturus.

SATURNES.

Bene eſt, cruenti Martis inviſus furor
Tandem quievit Orbe: jam toto ſatis
Pax alta regnat: nulla Galligenas quatit
Formido populos: nullus & totis fremens
Inſultat arvis miles, aut meſſes rapit
Vixdum inchoatas. Quicquid infeſtum, aut minax
Mundo imminebat, ceſſit, ac domitum jacet.
Tua iſta laus eſt optimi proles Jovis
Aſtræa, totum pace qua mundum regis,

Tuum-

Tuumque munus; ſequere conatus pios,
Et monſtra tandem Tænari amanda procul,
Procul faceſſant bella, bellandi & furor,
Abeſte longè ſcelerum ultrices Deæ
Diræ ſorores, manibus amplexæ facem,
Comam & ſolutis horridæ ſerpentibus,
Purgate mundum, reliquias belli procul
Auferte, terris rideat cœlum meis,
Novæ regna ſurgant, aureum ſeclum micet
Ætate noſtra, quale per Latium fuit.
O tu Deabus gratior formâ ſoror
Aſtræa, noſtri ſedulæ imperii comes,
Monſtris, nefandis, horridis, ſævis, meas
Terras repurga. Jus, pium regnent magis.

ASTRÆA.

Cœtus Deorum generis humani ſacro
Amore victa deſero, pacem ferens,
Paciſque ſigna, nuptias, ludos, jocos,
Caſtos amores, rurſus & terras peto
Hominumque turmas; jura, legeſque urbibus
Datura rurſus, rurſus & ſolio ſedens
Sceptrum reſumo. Monſtra diſcedant procul,
Procul hinc Megæra, bella quæ accendit face:
Tuque ô Erynnis dira bellorum parens
Longe faceſſas, repete tartareos lacus;
Nec tu flagellum ſæva Tyſiphone quate,

SATURNUS.

Bene eſt, abunde eſt: exulant terris minæ,
Clades, neceſque, jurgium, bellum, furor,
Quidquid timendum. Quando jam nullum eſt ſuper
Semen furorum; dum latent Stygio lacu
Sæva ſorores, interim regna ſoror,
Orbemque totum pace diuturna rege.

SCE-

SCENA V.

Muſæ antea propter bella deſolatæ, & ex Parnaſſo extorres, nuntiato Aſtrææ reditu priſtinas ſedes repetunt, disjectaſque & ſquallentes cytharas reſumunt. Sed Apollo imprimis lyram; novem ſorores invitans ad Regis & Reginæ Hymenæum carmine lyrico celebrandum.

APOLLO.

Pandite nunc Helicona Deæ, cytharaſque movete,
Carmina jam noſtra jungite veſtra lyræ.
Sat lachrymis fuit uſque datum, mœſtoque dolori;
Quid juvat abſciſsis exululare comis?
Venit Hymen, properate gradus, occurrite ſponſis;
Jam licet Aoniis exiluiſſe jugis.
Dicite Hymen, Hymenæe Hymen, ô Hymen Hymenæe,
Et reſonet blandis laurea ſylva ſonis.
Plaudite Pierides, veſter præludet Apollo;
Sume tibi reſonam Calliopea chelym.
Sume tubam Clio: pulſato Polymnia ſiſtrum:
Uranie plectrum; Melpomenea fides:
Terpſicore lituos: Euterpe cymbala, cannam
Erato, dulciloquum prome Thalia melos.

CALLIOPE.

Huc ô relictis currite planctibus
Feſto ſorores Pieria gradu;
Lauroque donata virenti
Ferte melos meliore plectro

CLIO.

Tellus micantes obvia gemmeo
Florum maniplos gramine collige,
Et ſacra Dyndimi fluenta
Dulciloquis reſonent ſuſurris.

Po-

POLYMNIA.

An quo coruſcis ignivomum jubar
Utrumque luſtrat luminibus polum
Luſtris Heroas ævis digniores
Præteritis micuiſſe vidit?

URANIE

Noſtro feretur Gallicus Hercules
Regnaſſe ſeclo. Sic Helicon tuos
Attollet æternum triumphos
Unanimi ſuper aſtra plauſu.

MELPOMENE.

Europa qua ſe porrigit, & procul
Mundi repertæ finibus inſulæ
Noſceris, evulgante fama
Innumeris tua geſta linguis.

TERPSICORE.

Diceris alti tu comes Herculis
O magne Theſeu tu decus imperî
Diceris evulgante fama
Per varias tua facta gentes.

EUTERPE.

Voſque ô puellas inter amabiles,
Cyrthæa fœlix, & ſoror Argenis,
Lætæ ſororum vos choreæ
Carminibus ſuper aſtra tollent.

ERATO.

Nunc ergo feſtis plaudite tympanis,
Feſto ſorores ludite carmine
Mecum Dyoneo ſub antro:
Atque leves agitate ſaltus.

THALIA.

Hinc uſque Pindi culmina, proſpero
Curſu pererro, rurſus & arida

(Dum

(Dum luſtro Parnaſi receſſu)
Fatidicis labra tingo lymphis.

APOLLO.

Authore luſtro te juga Cynthii
Et ſacra doctis antra ſororibus,
Rex magne : divini recludo
Pegaſeos Heliconis amnes.
Non ſemper imber depluit æthere ,
Non ſemper iras fluctibus horridis
Exercet , at nos bruma ſemper
Frigoribus lacerat malignis.
Aſtræa tandem bella ferocia
Reſcindit ; & nunc alta quies redit :
Regeſque confirmant perennem
Fœderibus , thalamiſque pacem.
Ergo querelis pone modum tuis ,
Aſt ede plauſus , Gallia , debitos,
Non jam cruenti per frementem
Martis opus reſonabit orbem.

Poſt nuptiarum ſolemnem pompam , pacatis jam rebus , cum Heroës in eremum Theandri viſendi , aliorumque qui aulam receſſu commutarant , ingenti deſiderio , ſe contuliſſent ; revocatis in medium priſtinis motibus , variiſque fortunæ ludibriis , Theander ex inconſtantia fatorum in piis conſiliis magis obſtinatus , Poliarcho & Archombroto rogantibus promiſit ſe , quamprimum ſibi vacaret , tantam negotiorum , motuum , diſcriminum ſeriem ſtilo ſuo exaraturum. Quo tandem voto poſt aliquot menſium intervallum ſe exoneravit ; & rem totam à factioſis fucatam ipſe teſtis oculatus publicæ luci dedit.

FINIS II. PARTIS ARGENIDIS.

tized by Google

ARCHOMBROTUS ET THEOPOMPUS

SIVE

TERTIA PARS

ARGENIDIS,

UBI DE

INSTITUTIONE PRINCIPIS.

Digitized by Google

ARCHOMBROTI ET THEOPOMPI
SIVE
TERTIÆ PARTIS
ARGENIDIS
DE
EDUCATIONE PRINCIPIS.
LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

ARGUMENTUM.

Theopompo jam ſeptemi præceptor quæritur, quod munus detrectante Aneroëſto, Theander è Druidarum familia proxima non ignobilis ad conſilium vocatus, cum de neceſſitate educationis, deque præceptorum delectu in eo conſeſſu egiſſet, conſentientibus omnium votis huic muneri deputatur vel invitus.

Vix annus ſeptimus Theopompi vertebatur, cum hic avellitur è nutricum matriſque ſinu ad regias diſciplinas promovendus: enimvero relictis nucibus ac fabulis, incipiebat regius puer ad ſummma aſſurgere fœliciori quidem augurio, & mores parentum nobiliori genio, ac generoſa æmulatione in ſe effingere. Theander è Druidarum grege ad Regis Aſtioriſtis conſilium plerumque vocabatur; non enim procul à Rhodano Druidarum familia ingens, & religioſa cùm ſacris, tùm humanioribus diſciplinis vacabat; & ſeu in litibus dirimendis, ſeu informandâ pueritiâ, ſeu cultu ſuperum procurando tota ſic erat, ut reliquum vulgus unus belli labor abſumeret. Talibus myſtis præerat Aneroëſtus qui alias purpuram, & trabeam ſacco, & nunc primum

Digitized by Google

Pontificias infulas humilitati eremi poſtponere non dubitaverat: neque inde divelli potuerat utpote ſenio gravis & aulæ defeſſus tumultu, ut regem conſiliis, Theopompum præceptis regiis informaret. Cocirca Theander Regi gratioſus in paucis, & ipſe de regno jam dudum optimè meritus exoratus eſt, ut in ſemet transferret hanc curam, quatenus ſub eâ diſciplina illis erudiretur artibus Thep. quibus, ad ſummum faſtigium provecti pueri ad imperia nati & regia indole imbuuntur, & ſanctioribus optimæ vitæ inſtitutis informantur. Ille primum quidem tergiverſari, & excuſationes prætexere, donec jubentibus Aſtioriſte, & Argenide manus daret. Nam cum aliquando de junioris principis educatione ex qua pendet reipublicæ ſalus, in procerum cœtu ageretur, & alius quidem teneræ ætati indulgendum aliquid putaret, & aliquam moram objiciendam iterum ſeriis, ne ingenii nondum adulti acies hebeſceret, & in obtuſos animi ſenſus degeneraret; alius aſſereret exerendas vires puerilis ingenii ne nimio veterno langueſcerent, Theander in effingendis adoleſcentiorum moribus jam olim verſutus, in eo cœtu variis diſtracto ſententiis ita demum peroravit.

Quamvis illi mirum quantum naturæ debeant qui præclaram indolem cum anima bona ſortiti ſunt, tamen pro comperto velim id eſſe apud vos, Auguſtiſſimi Principes, niſi naturæ bonis, & ingenitis illis ſeminibus virtutum educatio liberalis acceſſerit; plerumque fieri, ut vel æruginem contrahentes in ſocordiam, & pravitatem degenerent, vel inſtar plantæ ſucco neceſſario deſtitutæ penitus elangueſcant. Quare non temerè arbori, cujus pedes radices, capilli frondes ſunt, putant hominem conferendum, quæ ſi gnaviter exculta, curataque fuerit, dum adhuc tenera eſt, & flexibilis; ſi ſtolones, & inutiles rami in prima origine cir-

circunciſi ; ſi contorta in juſtam rectitudinem redigatur, tunc in rectam altitudinem haud dubium quin aſſurgat. jamque grandior optimos, & ſapidos fructus aliquando proferat: ſi ſecus; num in tortuoſam naturam, & infructuoſum, ſolique igni utilem trúncum deflectet? Ita prorſus in cereis ac flexibilibus puerorum animis ſolet evenire, qui niſi à cunis ipſis maximâ curâ inſtituantur & excolantur, niſi pravi mores enaſcentes reſecentur, & caſtigentur, in tortuoſam vitioſamque naturam, atque adeo in turpiſſimum monſtrum declinent: ſin æquis legibus indoles prima coërceatur, corrigaturque, & ad virtutis rectiſſimam normam effingatur, mirabiles orbi fructus collaturi ſint: *adeo in teneris conſueſcere multum eſt*; & educatio ad naturam propius accedit. Ex quo fit ut ſi naturæ momentum, & propenſio ſit optimæ frugis ſemen, etiam conſuetudo, quoniam habetur pro * natura, jucundè afficiat operantem. Eſt enim id munus conſuetudinis & moris ſuorum ut repetitione actuum perinde quaſi quodam bipalio inſitas à natura ſpinas averruncet, explanet ſalebras, & quidquid tortuoſum, & vitioſum eſt mira ſuavitate contemperet. Hinc Diis, parentibus, & magiſtris quis par beneficium poſſit rependere? ab illis enim naturam quam ſortiti ſumus, ab his mores quibus imbuti ſumus, aliquando hauſimus. Sed parentes qui liberos ſuos liberali educatione informant, longe majori commendatione dignos puto illis parentibus qui tantumnodo vitam, & genus imo & opes impertiverint, quod ab his contigerit quidem vivere, ab illis vero bene vivere. Argumentum quod in pueris elucet ſpes, eſt plurimorum, quæ cum emoritur ætate, manifeſtum eſt non naturam defeciſſe, ſed curam, quam ab ipſis cunis in parentibus, ac nutricibus vellem eſſe ſummam. Sed morum haud dubie prior

* Τὸ ἦθος εἶον φύσις γίνεται.

eſt ratio; naturâ enim ſumus eorum tenaciſſimi, quæ rudibus annis percipimus. Sic durat ille ſapor & odor, quo teſtam novam imbuis; neque lanarum colores quibus ſimplex ille candor mutatus eſt, elui poſſunt: non pannus quovis fuco medicatus amiſſos refert colores. Ita ægrè eraditur quod rudes anni perbiberunt: verum hæc longè pertinacius hærebunt animo quæ deteriora ſunt; & bona haud raro mutantur in malum, quando vero in bonum vitia verteris? quàm ſæpe domeſticam parentum, ac mollem diſciplinam uſus arguit. Adoleſcentum mores nimia licentia perdimus, infantiamque ſtatim deliciis ſolvimus. Mollis enim illa educatio, quam indulgentiam vocant, ita nervos mentis & corporis frangit, ut in degenerem naturam torpentes otio, deliciis delibutos animos peſſimo prorſus augurio diſſolvere ſoleat. Si quid licentiùs dixerint, tùm verba illa ne Alexandrinis quidem permittenda deliciis riſu & oſculo excipiuntur, quia nempe pudenda dictu ab his audiuntur & ſpectantur. Fit ex iis conſuetudo, deinde natura: & ea diſcunt miſeri antequam ſciant eſſe vitia. Denique quanti momenti ſit educatio, inde liceat colligere. Cum aliquando duos canes ejuſdem uteri gemellum fœtum apprehendiſſet egregius ille Spartanorum Nomothetes eoſque tam diſſimili modo educaſſet ut alter ad gulam, alter ad venationem editus videretur, coactis ad conſilium Spartiatis ita loquutus eſt, nihil ad virtutem humanis pectoribus inſerendam præ educatione & diſciplina ingenuis conducere experti ſciatis: & dicto citius utrumque canem coram frequentia jubet adduci; appoſitoque hinc vivo lepore, inde offâ, alter olla omiſſa leporem repente inſectatus eſt, alter in offam relicto lepore præceps irrupit. Arcanum viri conſilium minime capientibus Spartiatis, duos, inſit, quos vidiſtis canes mater eadem perperit: diverſa tamen ratione enu-

emntriti gulosus alter, alter venaticus evasit: quare discant parentes, quam potior sit atque utilior liberis paterna hæreditate ingenua educatio; quam juvet imprimis probata, exploratáque præceptorum virtus & eruditio, qui tanquam pali ab hortulanis affixi recentiores plantas suffulciunt. Extitere ex parentibus iisdem, sed diversissimis studiis, & diversissima educatione duo fratres, & ipsi Reges pares potestate. Alter quàm Diis & religioni, tàm genio & abdomini addictus alter. Ita facilè, ut fit ex ingenii atque indolis dissimilitudine dissidia & offensiones natæ. Incendebat alterum filii quam simillima parens ut fratri compararet insidias, vitamque illi cum sceptro eripiens, solus vastissimo regno leges daret. Addebatque, suis quod studerent partibus regni proceres, planum & expeditum iter esse ad principatum; neque defuturos egregii facinoris administros; ageret tantum, fortiter faceret, imparemque imperio ac regio splendori fratrem de medio tolleret. Vix illa stimulos admoverat, cum iste totus est in cæde, regnum jam spe, jam cogitatione devorans. Instabat impii fratris Hymenæus, opportunum negotium meditato facinori. Pius frater ad nuptiarum solemne sollicitatur per legatos: qui ad dictum diem minimè defuit. Hic omnibus fictitiis amoris signis, ingentique pompa à fratre excipitur. Sed mox in medio procerum choro, inter nuptiarum tripudia frater fratris ad nutum ferrum recipit, celebritatem diei, aulæque ac mensæ apparatum, regio atque insonte cruore suo pura hostia lustrans. Quam diversa indoles in germanis ejusdem thalami pignoribus! scilicet alterum nefaria mater, alterum religiosa nutrix educarat. Sicut in sentes ager, qui est natura fœcundus, exuberat; sic animus incultus, vitiis sua sponte invalescentibus, veluti spinis obducitur: sed cum verus cultor accesserit, statim cedentibus vitiis fruges virtutis oriuntur.

tur. Nullus equus recte ſeſſori paret, niſi arte domitus, & nullum ingenium non ferox niſi præceptis, & bona educatione cicuratur. Habet neſcio quid latentis energiæ viva vox, & in aures diſcipuli de doctoris ore transfuſa fortiùs ſonat. Sed ille aliud nihil audiat niſi quod Deorum obſervantiæ, & morum optimorum culturæ conſentaneum fuerit, turpia non intelligat; procul omnis laſcivientis adolenſcentiæ petulantia: creſcat cum ætate continentiæ ſtudium, & amor virtutis. Quamobrem in præceptore cumprimis inſpici mores decet, quatenus teneriores animos ab injuria ſanctitas docentis cuſtodiat, & ferociores à licentia gravitas deterreat: unde & in locum parentis ſuccedere ſe exiſtimans dignus hoc munere habeatur, parens enim non corporum ſed mentium eſt; neque habeat vitia, neque ferat: non auſteritas ejus triſtis, non diſſoluta comitas ſit, ne inde odium, hinc contemptus oriatur. Plurimus de honeſto ac bono fiat ſermo, nec opus eſt verberibus ubi aſſiduus exactor adfuerit: cavendum autem non ſolum à crimine turpitudinis, verum etiam à ſuſpicione. Ne ſit ira impotens, neque tamen emendanda diſſimulet, ſimplex in docendo, patiens laboris, comis interroganti, verecundum ultro percunctans: in laudando nec malignus, nec effuſus, quia alterum tædia, alterum ſecuritatem parit. Attamen æmulatio excitanda, nam etſi ambitio ſit vitium, plerumque tamen ſemen eſt virtutis. Non objurget quaſi oderit: nonnulla ingerat quæ audita ſtudioſus adoleſcens ſecum referat: nam illa vox præceptoris quem ut patrem amabit, & verebitur, plenius alit. Denique omnia ad momentum prudentiæ, & regiæ cujuſdam magnificentiæ ponderet. Modus ſit remiſſionibus, ne aut odium litterarum negatæ faciant, aut otii conſuetudinem nimiæ; frangas autem quæ in malum induruerunt potius, quam corrigas.

Pla-

Placuit coronæ protractus ille de disciplina pueritiæ sermo, & Astioristes, Argenis, Gobrias, sed ipse cumprimis Aneroëstus in eandem ivere sententiam; & junioris principis educatio conspirantibus omnium votis commissa Theandro vel satis reluctanti, quod imparem se tanto muneri reputaret. Attamen ut erat propenso in Regem animo, glorioſum onus excutere non ausus, illud demum dulcissima libertate amplexus est.

CAP. II.

Summa cura Theopompum Theander cœpit erudire juxta Druidarum disciplinam. Hic mores, leges, principatus Galliarum & Astioristus imperii fines describuntur. Describitur & legatio cujus princeps Ilmonides pompam genethliacam exponit, gratulaturque Regi, & regio dono auctus excedit.

Oneri jam non ingrato succedens Theander cremum cum regia domo, sylvam cum urbe commutabat; ita ut nihil haberet sanctius quam ut principem docto Minervæ effictum pollice, & avitis virtutibus effingeret, & ad sceptri majestatem erudiret. Et quoniam in ea ætate tenacior est memoria & capax rerum, eam virtutem altiùs in ejus animis per longas avorum series excurrens infigebat. Druidarum autem vetustissima disciplina fuit ejusmodi, ut recondita versibus, quos discipulorum memoriæ committerent, illustrium pace, ac bello virorum facta complecterentur, quatenus ad paris virtutis exempla ab ipso quasi vitæ exordio juventus Gallica nobiliori æmulatione accenderetur, & accensa avitum decus adæquare, vel augere non dubitaret.

Porro Galliarum, ut & cæterarum passim gentium imperium olim penes Reges fuit, quos ad tanti honoris gradum tùm jus hæreditarium, tùm digna imperio virtus promovebat, ut ipso majestatis nomine, augu-

ſtoque principatu populus intra juſtos legum cancellos poſſet contineri. Quanquam non unius Regis ad arbitrium regerentur ea ætate tam diverſi loco, ſitu, religione, moribus populi: verum ſuus cuique plagæ præficiebatur Dynaſtes, tametſi multorum ſemina bellorum inde ſuborirentur; & quidem intra eos fines qui amne Rhodano, Lemano lacu, Alpium jugis uſque ad Ligures, & interno mari circumſcribuntur, Rex Aſtioriſtes & Argenis nova jam prole aucti, domitis hoſtibus altiſſima in pace regnabant, & ſui nominis terrorem atque amorem circumferebant undiquaque.

In Segalaunis autem apud Cavarum regiam ſuam conſtituerant, dignam planè ea fama ſedem. Regio hæc opulentiſſima, & præpinguibus glebis fœlix, vitibuſque nec non oleis conſita, & omni frugum genere dives, ut ſoli genio, ſic & aëris clementia cæteris plagis antevertitur, maximè qua Rhodani & maris aquis alluitur; quin & ipſa portubus inclyta in omnes orbis terrarum partes vela dimittit.

Theopompus illic una cum utroque parente habitans ſub Theandri diſciplina publicæ lucis rudimenta ponebat, cùm in excolendâ memoriâ, tum in tentanda palæſtra dies totos conſumens.

Interea legatus ab Hyempſale Rege & Cyrthæa Timonides venit: hæc quippe chariſſimo conjugi prolem virilem nunc primum pepererat, non ſine ingenti totius Siciliæ, Africæque ſuæ plauſu, qui non niſi poſt triduum potuit terminari. Ab igneis miſſilibus & medicatis nitro & ſulphure flammis, quæ etiam ſub aquis vivebant, triumphalis hæc pompa initium habuit. Sequentis vero lucis ſcenam egit equeſtris procurſio, quæ ex quatuor conflata catervis quatuor orbis partes adſcititio habitu referebat. Ceream facem geſtabat unuſquiſque equitum quatuor ſtipatus ſatellitibus ejuſmodi faces jactantibus. Ludus Trojæ

ſequu-

ſequutus eſt : verum poſt aliquot ambitus repente unus prodiit, à quo quæſitum ubi tandem gentium eſſent principes illi adhuc in prima ætate poſiti, quorum tamen famâ ingenti totus jam orbis perſonabat. Adhuc in ore erat dictio cum viſi triumphales currus regium par puerorum regiâ pompâ deferentes, ad quorum conſpectum totus aër novis rurſus ignibus una cum aquis pelagi cœpit ardere, lituis, tubis, ac tympanis pompam augentibus.

Timonides ea omnia ad unguem referebat, cum in conſpectum & colloquium Regis Aſtioriſtis, & Reginæ Argenidis admiſſus eſt à feciali ornato, verbena caput, & lituo manum. Hic commendatitias Meleandri litteras obtulit, moxque nomine Regis Hyempſalis & Cyrthææ peroravit, Regibus applaudens quòd Superos experti eſſent ſecundos, poſt tot inconſtantis fortunæ auſus; quodque non tantum vota fœlix Hymen compleſſet ea demum ad exitum optatum traducens, verum etiam utrumque Aſtior. & Hyempſ. feciſſet pulchræ prolis parentem. Fœlices deinde populos fore aſſerebat, qui ſub pueris tam fauſtis avibus editis, æmuliſque paternarum virtutum, quorum denique manu totus hic regeretur orbis, diutiſſime eſſent victuri. Addebat nullos in poſterum fore hoſtes, nullos tyrannos, nulla monſtra quæ ſub gemino Hercule graſſari audeant; tanquam Caſtorem & Pollucem reddituros tranquillitatem poſt tot furentes bellorum procellas; & dummodo diuturnum ævum illis Parca non invideat, pacem mundo fore perennem, & perenne virtutis imperium.

Excepit liberali vultu perorantem Rex Aſtioriſtes, dicens multum ſe quoque debere Superis, qui poſt tot laborum ſeriem beatos ſe utrimque vellent. Simul indixit auſpicia geminari, communemque vario plauſu, tripudiis, ignibus augeri lætitiam, & Galliæ, Siciliæ-

que

que ſcutum gentilitium poſthac nuſquam dividi, æternæ concordiæ certiſſimum ſymbolum. Nullam res moram paſſa eſt: Vix major hactenus plauſus auditus, vix ignes unquam viſi majori arte volantes: putabam Dracones tranantes aërem, ſtellas cœlo ruentes, ſoles oriri geminos, pueros cum ſuis ſtemmatis per inane ferri & tœdera ferire. Poſtquam ad multos dies communis plauſus excrevit, Timonides in patriam reditum cogitans regiam rurſum adiit, & Aſtioriſtem Regem cum Argenide extremùm ſalutans, aurea & gemmis diſtincta pyxide quæ utriuſque exprimebat effigies, ab illo donatus eſt, gaudenſque ad ſuos receſſit.

CAP. III.

Icon vultus, & morum Theopompi exprimitur: ſimul quibus documentis Theander hunc ad dignum regno genium incitabat.

Creſcebat interim Theopompus ingentem de ſe expectationem omnibus concitans, & ſub Theandri auſpiciis rudimenta veræ lucis ponebat puer, in quo effingendo totus Deorum cœtus inſudaverat. Juſta, & conveniens ætati teneræ ſtatura erat, imo ſupra juſtam aliquantulum aſſurgens; reſpondebat complexus, decora facies rutilabat: cæſius erat oculus, idemque vegetus, blandus, & ſuavis, orbis autem mediocris minimè ſub frontem recedens: os gratioſum; porrecta frons, & ſerena, cui majeſtas regia inſidebat: purpureæ, nobileſque genæ, nive gratiſſima interſtinctæ, naſo æqualiter à fronte in labellum purpureum deſcendente: ſupercilium eleganter arcuatum; vultus teres & in ſphæram rite coiens: capillus denique flavus & criſpatus ad humeros defluebat. Quod ad dentes, eboris candorem pene ſuperabant, ad ipſius invidiam cervicis niveæ. Is demum erat quem Charites Adonidem putaſſent, ſi robur innatum, cujus index

eſt

eſt oculus, non advertiſſent: monſtrum enim erat cum tanta forma fortitudinem coiviſſe. Hinc laboris ultra fidem patiens erat, patiens olei, impatiens otii, cavens ne quid nimis ludo & fabulis daret, vili contentus cibo, ad omnem palæſtram ſemper paratus. Hanc ſcilicet indolem ſeu fruticem adhuc debilem excolendo Theander nullam non navabat operam. Imprimis vero Deorum immortalium cultum, & amorem adhuc flexibili, ac cereæ menti altiùs imprimere, & ſemina virtutum inſerere laborabat: & quidem volatilium elementum eſſe aërem hunc quem ſpiramus, aquatilium eſſe aquas; ſed fortium animarum, niſi ab innata nobilitate deſciverint, eſſe pietatem & cultum Superum. Meminerit ſe ideo ratione, quam ducem ſequi nunquam non debeat, eſſe ornatum, eſſe omnium rerum creatarum abſolutiſſimum compendium, & microcoſmum: omnia naturæ in ſemet prodigæ dona ſive interna, ſive externa, cœlitus donata: neque ad infamem corporis ſervitutem natum eſſe; amaram quippe & legitimo ſucco deſtitutam voluptatem, caducas opes, vanos honorum titulos; neque ullam eſſe legitimam gloriam, niſi quæ cum virtute conjuncta ſit: quanto ſuperior eſt cæteris, eo magis omni continentiæ, frugalitatis, fortitudinis, juſtitiæ laude, & obſervantia numinum debere excellere: ſeipſum enim ad cultum virtutis, & maximè Deorum orbi datum eſſe, ſe ideo vivere, ac luce frui, ideo tot liberalioris in ſe naturæ dotibus adornari: Animæ vero cum ſit origo cœleſtis, ne rerum terrenarum viſco agglutinetur, aut impediatur, quominus ad ſuum recurrat principium, ſeveris cavebat legibus; ne quemadmodum volucres illæ apodes, quæ ſi relicto cœlo terræ inhæſerint aliquo vernantis vultus colore deceptæ; emoriuntur, ipſa quoque anima lætioris fortunæ faſcinante aſpectu pellecta, hiſque laqueis irretita, & deſes miſerandum

in

in modum diſpereat. Quod ſi tibi, Theopompe, nihil eſt commune cum terris, inquit, qui non jam ignoras tibi de Superis genus eſſe, nonne cœleſtis agenda tibi vita eſt in hoc terreſtri domicilio? quia ſi quid tibi terrena inhæſerint, ne tu cœlo maculam, cœleſti generi nedum regiæ ſtirpi injuriam intuliſti. Ne inutiles illos ad virtutem arcanos igniculos, illamve à natura inſitam in mente à puero ſupremi Regis notitiam eſſe ſinas. Aculeos eſſe exiſtima, qui te ad virtutem & cultum Superum extimulent.

Ingenuis pulchrum eſt ortum eſſe parentibus; at non
Turpibus hos factis dedecorare decet.
Nobilitas nulla eſt, niſi quam parit inclyta virtus,
Nobilis eſſe cupis, non bonus eſſe, fuge.

Veræ, neque inficias ibo, veræ virtutis character illuſtris eſt nobilitas, eſt ſtimulus ad virtutem, & cultum Superum, quo qui fuerit deſtitutus, eſto, pictas oſtentet & fumoſas majorum imagines, & vultus equitum, ſimul ingentem titulorum ſylvam congerat, hunc à vera generis claritate non ſolum degenerem puto, ſed infra belluarum conditionem etiam deprimendum. Egregium quid nobilitas eſt, fateor, ſed bonum eſt non noſtrum, at majorum qui ſua virtute ſuum nomen eruerunt de plebis tabula; nam quæ ipſi non fecimus cur ea noſtra vocem? Pretioſa eſt gaza, opes deſiderabiles; verum in manibus fortunæ cum ſint poſitæ, ſæpe adimuntur ſapientibus, inſipientibus iniquo herclè ſuffragio tribuuntur. Iſthuc vergunt cogitationes, curæ, ſtudia furum, latronum, graſſatorum, impiorum: neque ſatis in tuto eſſe poſſunt; cruciantque mirum in modum poſſidentes. Gloria veneratione digna eſt; verum quàm incerta, inconſtans, & levis. Optabilis forma, ſed illa cum ætate perit, & veluti flos ephemerius cito marceſſit. Corporis valetudo & robur in pretio ſunt, ſed vel morbo, vel ſenio contabeſcunt:

beſcunt: imo quis Leonis, Tauri, Elephanti robur æquare poſſit? Quid eſt igitur in homine unde toto orbe ſuperior eſt? una ſcilicet virtute à vulgi pulvere ſecernitur, & rerum ludibrium ſecurus ipſe deſpectans ſuperis etiam adæquatur. Huic ſummum & ſupremum locum jure tribuimus. Alterum gradum ſcientia ſemper ſibi vendicavit; eſt enim radius manans ab æterno Sole, rivus à fonte æternæ ſapientiæ ſcaturiens. Atque hæc ſunt bona quæ non viciſſitudine aut vetuſtate temporum deleri, non inconſtantis fortunæ telis opprimi, non improbis temerè dividi, denique nullo caſu amitti, aut à furibus diripi poſſunt. In his ergo duobus poſita eſt vera & certa felicitas, non vero in caducis verſatilis fortunæ bonis: eoſque dicam miſeros qui arcanas illas Deum notiones & igniculos ſuffocarint.

CAP. IV.

Theomp. quærit utrum reperiantur homines ita occæcati, ut Deos neſciant? reſp. Theander ipſum numen à creaturis ipſis prædicari, à quo primordia rerum ab eo capienda; & ad illud cuncta referenda concludit.

Ille Theandri ſermo mirum quantum diſcipulo ingenioſo placuit, & præceptorem amantiſſimum perorantem ſic demum excepit: itane vero reperiantur mortales in rebus ſuis adeo cæcutientes, ut numen omnino tollant, maxime cum Sol ille mundi oculus, Syderumque motus, & viciſſitudines rerum majeſtatem aliquam ſupremam prædicent: & vero quis erit tam vecors qui cum in cœlum ſuſpexerit, Deos eſſe non ſentiat, vel quis ea quæ à tam ſublimi mente reguntur & fiunt, caſu regi vel fieri putet! Numen aliquod ex effectis ipſis ecce novimus, ecquis eſt mortalium tam hebes, qui, cum in lucem cum ea notione prodierit, non habeat ingenitam, affixam, & ex ipſo materno

Digitized by Google

terno utero impreſſam, atque inſitam hanc ſcientiam?

Imo, retulit Theander, imo fili, ipſa ſi balbutire bruta poſſint, & in linguæ noſtræ facultatem ſolvi, ſi arbores, glebæ, ſaxa ſenſu animata vitali vocis ſonos, & verborum articulos integrare, ipſa medius fidius, etſi ſenſus omnis expertia duce & magiſtra natura intelligant eſſe Deos, & aliquem rerum dominatorem exclament. Atque id pulchritudo mundi, ut ſcitè arguis, ordoque rerum cogit fateri; nam quod ſtatos cœleſtium orbium curſus, quod conſtitutis vicibus inſignes rerum mutationes intuemur, hæc non temeritati fortunæ, ſed omnia moderanti principio tribui par eſt: hinc ita innata eſt, & quaſi inſculpta mortalium animis à puero hæc Deorum notitia, ut ſi terrarum tractus vel remotiſſimos obieris, urbes quidem muris, litteris, opibus vacuas invenire poſſis; urbem Diis, templiſque inopem, ſuis ubi ſacris inſtantia ſibi mala à ſe removeat, viderit unquam nemo. Unde majoris molis eſſe puto urbem condi ſine ſolo, quam opinione de Diis ſublata coire, aut conſtare civitatem: & quamvis multi de Diis vitioſo more diſſentiant, omnes tamen in ſupremi alicujus numinis cultu conſentiunt. Quidni communi hominum vaticinio religio illa certa eſt? omni ſcilicet in re conſenſus omnium gentium lex naturæ, & vox putanda eſt. Itaque nobis cum univerſitate, ipſaque natura ſentire libeat. Quam turpiter ergo hallucinantur illi qui cuncta ſenſibus ſuis metientes idcirco Deum negant quia non apparet, neque cernitur oculis, perinde quaſi noſtram animam qua vigemus, ſentimus, ratiocinamur, providemus & ſapimus, poſſimus intueri. Et divinam illam mentem quæ molem hanc interfuſa movet, agit, alitque toto ſe corpore miſcens, negare audent. Non enim in corporibus, atque in hac imbecillitate noſtra ineſt quiddam quod vigeat & ſentiat, & non ineſt in hoc tanto naturæ, &

tam

tam præclaro motu. Is eſt autem Deus à quo fluit quidquid ortum habet. Ne igitur impii, atque ſacrilegi ultra hæc jactent, & auribus noſtris immurmurent:

Primus in orbe Deos fecit timor, ardua cælo
Fulmina cum caderent, diſcuſſaque mœnia flammis,
Atque ictus flagraret Athos, mox Phœbus ad ortus
Luſtrata dejectus humo, Lunæque ſenectus
Et reparatus honos; hinc ſigna effuſa per orbem,
Et permutatis disjunctus menſibus annus
Projecit vitium hoc: atque error juſſit inanis
Agricolas primos Cereri dare meſſis honores
Palmitibus plenis Bacchum vincire: Palemque
Paſtorum gaudere manu: natat obrutus omni
Neptunus demerſus aqua: Pallaſque cavernas
Vindicat, & voti reus, & qui vendidit orbem:
Jam ſibi quiſque Deos avido certamine finxit.

Et vero cum ſit numen aliquod, & mens immenſa, & quaque diffuſa, quæ viget, quæ regit, & moderatur, quæ curſum aſtrorum, mutationes temporum, rerum viciſſitudines, ordineſque conſervat, hominum commoda vitaſque tuetur, quæ non ſolum univerſis conſulit, verum etiam ſingulis, ſi noſti denique Deum, etſi ignores faciem, ſcias, fili, quod ab illo primordia rerum omnium ſunt tibi capienda; huic enim haud dubiè debentur officia, à quo ad agendum facultas in nos emanavit: hinc enim illa Minerva de cerebro Jovis nata, quæ naſcenti deinde orbi obſtetricata animum homini ex puriſſimis cœli ignibus inſpiravit; neque ſolum animum inſpiravit, verum etiam agendi, & ſapiendi, facultatem impreſſit.

CAP. V.

Rogatus à Theopompo Theander docet quid ſit diſcriminis inter providentiam & fatum; qua ratione conveniant; neque fatum cujuſque mortalium ex influxu Siderum poſſe pendere.

RUrſum rogabat chariſſimum præceptorem princeps ad ſumma natus; utrum eſſet ſublunarium cura penes Deos, an omnia diſpenſatrici naturæ permiſiſſent?

Cui ille humaniſſimus: non inficiabor, fili, priſcas ætates fato præpotenti adeo omnia tribuiſſe ac ſubjeciſſe, ut ne Deos quidem ipſos ab illius nutu, & imperio eximerent. Admiranda fati potentia, quod ideo potentiſſimam Parcarum, & fatum ineluctabile appellarunt. Verum nos æquiori, ac emunctiori judicio res ponderantes longe ſapientius providentiam divinam, non fatum admittimus, niſi ſi quis fatum ſupremæ illi numinum curæ ſubordinatum velit. Eſt enim providentia ſumma quædam ratio ſummi principis animo inhærens, qua cuncta ſapientiſſime, ſuaviſſime atque fortiſſime regit & attemperat; fatum vero illa ipſa eſt rerum ſecundarum in ſeſe recurrentium ſuavis diſpoſitio quæ ſuis quæque nectit ordinibus: hæc actus, fortunaſque hominum indiſſolubili cauſarum connexione conſtringit, quæ cum ab immobilis providentiæ proficiſcatur exordiis, ipſas quoque immutabiles eſſe neceſſe eſt; ſcilicet ordinatio eſt mediorum ad finem: non enim ex eo quod res ipſæ ſuum exitum ſortiuntur, ideo à ſupremo Rege determinantur; verum quod ex Dei O. M. nutu omnino pendeant, ideo reducuntur ad finem, alioqui fatum ipſum numen aliquod juri crederetur, cujus nutu & quaſi arbitrio omnia regi poſſent. Cylindrum puta, aut turbinem qui non niſi motu impreſſo verti & agitari poſſit. Cave ergo dixeris, fili, temerè hoc factum eſt; ſponte id contigit: nihil

hil enim non præfinitum. Nullum malum eventum, nec malam horam dixeris. Neque puta fruſtra nos Superum opem implorare: abſit in Deos contumelia; quippe Juppiter O. M. cum initium orbi, & naturæ leges daret, cum ſeriem rerum, cauſaſque & eventus inter ſe connecteret, non neſcivit, quid eſſes aliquando tua in eum pietate meriturus; tua enim pietate, tuiſque virtutibus miteſcunt decreta. Eam vim ergo, eam ſcientiam ſummi Jovis, quem nullus rerum eventus latere potuit, ſi fatum vocaris, haud erraveris; hic eſt enim ex quo ſuſpenſa ſunt omnia, & cauſa cauſarum. Qui vero introducunt cauſarum ſeriem ſempiternam, mentem hominis voluntate libera ſpoliatam fati neceſſitate devinciunt. Neque alios audias qui ex Aſtrorum influxu vario fata deducunt; nam ſapientis animus expers ſervitutis ipſis quoque Syderibus imperabit. Hinc quotidiana eorum præconia, qui moderari iracundiam, frænum libidinibus dare, cæteroſque animi tumultus compeſcere valent, quibus Aſtrorum influxus in animos noſtros inundant. Quod ſi quando nocentes florere, & ſecunda aura uti; pios è converſo vexari vel injuria, ingratiiſque affligi videris, ne tum quidem ſic aberres ut providentiam Numinum omnino tollas, ſed occulta potius judicia ſuſpice, pedibus ſcilicet laneis, aut plumbeis ad vindictam Deus venit: ſed eo violentius feriet, quo tardius ultor fuerit.

Gaudebat interim Theopompus hæc audita mente recondere, ſtupens ſatis ad omnia; nec uſquam quieſcebat donec rerum cauſas, & eventus intelligens veram ſapientiam proceſſu rerum ſibi compararet. Neque minori ardebat deſiderio principis erudiendi Theander, ut qui apprimè noviſſet quanti foret, momenti, ſi princeps ad imperia natus veriſſimam ſapientiam hauriret à puero, & ipſa cum ætate in dies creſceret.

CAP. VI.

Theander ad deambulationem cum Theopompo egreſſus animum illius ad æternorum amorem è caducorum contemplatione conatur abducere.

Altera die cum poſt nonam, æſtu jam defervéſcente Theopompum ad deambulationem animi cauſa remittendi Theander deduceret, hunc per viam liberaliter edocebat qua poſſet ratione è ſenſibilium aſpectu ad inviſibilium amorem rapi, & ſpretis caducis bonis accendi æternorum deſiderio, excurrebatque per quidquid ad univerſi complementum ſummus naturæ artifex hoc in orbe incluſerat, principis in mentem Druidarum more hoc carmen identidem ingerens.

Hic orbis liber eſt ubi virtus ſumma Tonantis
Emicat: hunc oculis ſubjice ſæpe tuis.
Nam pueris, quos nulla libri ſacra pagina paſcit
Calatura libri, pictaque margo placet:
Si titulus minio, ſi Cedro charta notetur,
Aurea ſit rubrâ cornua fronte gerat.
Nec vacat ignaris doctum reſerare volumen
Cunctipotentis ubi gloria certa micat.

Hic eſt liber ampliſſimus qui non ambiguis docet figuris, non abſtruſis utitur ænigmatibus; ſed apertiſſimis ad emendationem vitæ, certiſſimis ad virtutis aſſecutionem, potentiſſimis ad divini cultum numinis, ad præſentium deſpectum, & æternorum deſiderium utiliſſimis nos imbuit documentis. Speculum eſt perfectiſſimum & pluſquam Socraticum in quo divina placent, humana diſplicent; cœleſtia nitent, fordent terrena; ſtant æterna, caduca fluunt. Sive cœlorum orbes, & Syderum periodos, concordemque elementorum pugnam contempleris; ubique mira divinæ laudis anſa. Quod ſi rerum primordia, incrementa, interi-

cum

tum ſpectes; ubique ingentis ſtuporis cauſæ plurimæ. Sin eadem elementa tùm primarias orbis hujus partes, tùm ut mixtorum corporum origines intuearis; ſtupebis cuncta ad ſphæram ſuam, & centrum, extra quæ cuncta inquieta ſunt indefeſſo vergere famulatu: intelliges viſcoſa omnia, omnia lubrica eſſe, & laqueis impedita; cumque patria & centrum animæ cœlum ſit, non immorandum in via, ſed ad centrum & patriam, properandum eſſe.

His ſermonibus dum fallitur iter, ad ripam Rhodani, quo amne rapidiorem non alit Gallia, ambo deveniunt, dumque littus relaxandi cauſa animi ſæpius excurrunt, Theander his verbis principem compellabat: ſic fluit labilis ætas, & veluti fluctus fluctum excipit, ſic dies diem trudit. Horæ cedunt, dies, menſes, anni; nunquam reverſurum ævum ſuccedit ævo, abeuntque omnia unde orta ſunt.

Non ſecus ac flumen, nec enim conſiſtere flumen
Nec levis aura poteſt; ſed ut unda repellitur unda,
Urgeturque eadem veniens, urgetque priorem,
Tempora ſic fugiunt pariter parilerque ſequuntur.

Infra lunam nihil eſt non mortale, & caducum præter animas hominum, munere Deorum datas. Hanc vitam ſi cum æternitate contuleris, breviſſimam reperies: altius ſpectare ſi voles, & æternam domum contueri, non te comes aularum voluptas, non opum ſplendor, non læves honorum tituli occæcabunt; verum ſuis te illecebris una virtus ad verum decus abſtrahet. Dii boni! quid eſt in hominum vita diuturnum! nihil omnino in quo eſt aliquod extremum: ſola virtus comes eſt indiviſa, expers tamen illa ſepulchri, ac tibi ſuperſtes; vitæ meta brevis ſpem nos vetat inchoare longam. Nonne modo pueros, modo adoleſcentes à tergo inſequitur, nec opinantes cana fenectus aſſequitur. Nihil ſemper floret; volat ætas, & ſubito frangitur.

Haud ſecus in pelagus ſinuoſo vortice currunt
Ut Nereo pendant æterna tributa parenti
Flumina, perpetuo nec aquarum exuberat æſtu,
Omnia labuntur, dum lubrica diffluit ætas,
Cunctaque præcipiti tendunt in tartara lapſu.
Quidquid grande ſonat, vultu turgeſcit inani;
Dumque oculis per cuncta vagor nil objicit orbis
Undique non vanum; mendaci ſplendida fuco
Cuncta nitent paſsim; ſed inani fallimur umbra.
Vanus honos, vani tituli, vaniſsima Syren,
Ora peregrino Syren fucata colore.
Vanus flos ævi, ſi primis Atropos annis
Comparat inſidias, vaniſsima munera Pluti,
Vanæ Gangis opes, & quas Erythræa recondunt
Littora, Gorgoneo mutata Corallia tabo.
Vanus honos regni ſi perfida fata ligones
Aſsimulent ſceptris, & lilia ſentibus æquant.
Tota eſt vita labor, crux ſceptrum, laurea pondus,
Faſcinat argenti fallax nitor, & nitor auri.

Tali carmine identidem Theander tædium rerum creatarum regii diſcipuli animo ſuggerebat, & priſco Druidarum more veram ſapientiam rudem adhuc, & ceream ad virtutem & vitium mentem carmine edocebat, ne fluxis puer in purpura enutritus plus æquo inhæreret, at magis ad promerendam Deorum ſortem amore virtutis excitaretur. Noverat enim aulæ deliciis animi, & corporis non raro vires enervari, & totum hominem inter voluptates lungueſcere, aciem mentis obtundi, & in fœmineam mollitiem viros hoc veterno degenerare.

Excipiebat hanc ſapientiam vultu liberali, & avida combibebat aure Theopompus ad ſtudia virtutis præceps. & Heroum exemplar moribus ſuis ſic exprimebat, ut non ſolum ab avita gloria non recederet, verum etiam novum quendam fulgorem ſuæ genti jam tot

He-

Heroum, tot Regum claritate illuſtri ſuperaddereti utque ad vitii nomen erubeſcebat, ſic urebatur ad virtutis exempla puer fortuna ſua major.

CAP. VII.

Saviente nimbo ſuccedunt ambo in templum, ubi varia anigmata reſolvit præceptor diſcipulo, & arcana ſapientiæ præceptis imbuto ſacram ignoto Deo aram oſtendit.

Ita differentibus viſa fulgura crebrò ſibi ſuccedere quæ ſequutus eſt tam præceps nimbus, ut apricum locum ſine mora quærerent.

In gemini confinio collis haud procul à ripa Rhodani Druidarum domus in medio ſylvæ viſebatur, quo ſimul colloquendo ambo forte inconſultò pervenerant. Ibi non anxiæ arti magis quam ingenioſæ naturæ omnia debebantur: nam & arborum hinc & inde conſiti in quincuncem ordines, & alvei ludibundo lapſu circumfluentes, & utrimque porrecti colles ſitum frequentia ſuperum non indignum commendabant. Supercilium utriuſque clivi quercuum denſitas ſic operiebat, ut ad alternam ſolitudinem eos pelliceret ex Druidis, quos arctioris receſſus ardor accendebat. Porro ſacer loci horror religionis gratiſſimos ſenſus ſubjiciebat, & effoſſa ſtagna annonam his ſuppeditabant quos carnibus veſci nefas erat. Inter alias autem quercus ingens quædam erat patulis diffuſa ramis, ſed illa antiquitate celeberrima religione ſanctiſſima, ſiquidem apud illam Druidæ ſacris ſuis de more vacabant.

Neque procul ab antiqua ilice templum aſſurgebat antiqui operis, at ſuperbæ molis. Fons erat in atrio lympidiſſimis fluens aquis, quas excipiebat cavum marmor nullius pene artis, ut ablutis purior acceſſus ad ſacra eſſet. Eminebat veſtibulo Panos ingens effigies naturam univerſam in ſeſe exhibens; caprinum caput, ſi tinctas purpura genas exceperis, quæ ignis ardorem arguebant: pectus ejus cœlum putaſſes, in

quo cælata ſigna cùm errantia, tùm fixa. Cætera homo uſque ad pedes caprinos. Illi ſeptem compacta cicutis fiſtula ex collo pendebat, quaſi concentum multiplicis ſphæræ regeret: ſiquidem ſapiens quidam genius à muſica ratione tonum appellabat terræ, Lunæque intercapedinem; à Luna ad Mercurium, dimidium; tantundem ab illo ad Venerem; inde ad Solem, ſeſquiplum, à Sole ad Martem, totum; ab eo ad Jovem, ſemitonum; ad Saturnum uſque, tantundem. Ita Saturnum Dorio, Mecurium Phtongo, Jovem Phrygio, & pari cæteros planetas moveri harmonia. Quibus à Theandro enodatis, ipſe quoque extemporaneum hoc carmen quod Theopompi memoriæ magis hæreret, illico ſubdidit:

Hæc elementa tenent baſſum; cœlique tenorem;
Aligeri, contra; Numen ſuperire tenetur,
Concentum natura regit, menſuraque trina
Cum Monadem generando Monas reflectit amorem;
Nam creat, atque regit mundum Monas, & Trias una.

Tam ſublimem Orphei Philoſophiam, ſive hauſtam ex Ægyptiorum ſcholis non capiente Theopompo, Theander ita proſequitur; recurvum hoc pedum nonne notat circulum bonitatis, in ſe recurrentem, & virtutem illam qua Numen præſtantiſſimæ mentis totam hanc molem ſuſtinet, regit, fovet, agitque. Obſtupebat ac pene horrebat ad omnia Theopompus, eratque multa ſuper his rogaturus præceptorem, cum ad ſuccedendum in templum compulſus eſt. Nam interiùs fornix multiplex arcuati operis, & ingens ordo columnarum: quarum prima effigiem marmoream ſuſtinebat Sigalionis, digito ori admoto ſilentium admonentis non quinquennale, ſed perenne velut apud Serapidem. Duo latera gypſus incruſtaverat, quô commodiùs Apellis ſui penicillum paterentur, qui quacunque emblematis luſerat; quibus arcana religionum myſte-

ria

ria velabantur. Ibi enim Promethei artes, ſceluſque Lycaonis diluvii aquis dilutum: tum cunæ Jovis, & Herculis; hic adhuc infans manu ſerpentes à Junone immiſſos elidebat; ille vix haurit lucem, & ſpirat auram, cum immitis Tyranni faucibus pene hauritur, ac devoratur. Ardebat in Superos Gigantomachia, Jovemque ipſum adigebat Nili crepidine toto ſeptennio latitare, criſpata vellera induere, rictuſque arietis effingere; ac Typhœi furiis, torviſque fratribus cedere, donec ſphæras cœleſtes denuo ſupervectus aquilæ ſuæ miniſterio, & plaudentibus aſtris, fulmina jam in cœlo cuderet, quæ in furioſorum capita detorqueret. Vix Ætna cum Veſuvio, & Lipara, aut quotquot moles montium pervicacia gigantum congeſſerat, vix ardens rota Ixionis, ſaxum perenne Siſyphi, Titii vultur immortalis, vix ſitis Tantali inextinguibilis, & Belidum inexplebilis urna, aliaque diraum flagella accenſæ Nemeſi ſufficiant. Inde Narciſſum quis lugeat deperentem afflictim imaginem ſuam? hinc amori crucifixo quis cum poëtis non indoleat? mox Theander ſubjectum picturæ carmen Theopompo ita prælegit.

Eligitur mœſto Myrthus notiſſima Luco
Invidioſa Deûm pœnis. Cruciaverat illic
Spreta olim memorem Veneris Proſerpina Adonim.
Hujus in excelſo ſuſpenſum ceſpite amore
Devinctum poſt terga manus, ſubſtrictaque plantis
Vincula mœrentem nullo moderamine pœnæ
Afficiunt, reus eſt ſine crimine, judice nullo
Accuſatus amor. Perpeſſus multa Cupido
Effugit; & pulſa tandem caligine ſomni
Evolat ad Superos.

Ecquæ vero eſt, refert Theopompus, immitis illa Perſephone amori divino ſic infenſa, ut in crucem, crucem myrtheam, crucem amanti ſacram ſic attollat, aſtringat nexibus, & mœrentem nullo pœnæ mo-

deramine, ſic excruciet eum qui immeritam impenſe deperit?

Ad hæc Theander, luſit plerumque ænigmatis docta antiquitas, fili, quibus quaſi velo arcanos Deorum ſenſus obtexit, ne in imperiti vulgi notitiam hæc arcana venirent: id enim ſolet apud mortales negligi & deſpicatui haberi quod familiare, ac nimis apertum eſſe ſolet. Verum quoniam è vulgi pulvere tua ſors te multum extulit, neque decet principes veræ Philoſophiæ expertes vivere, ut qui ſuo gradu ad Deos proximè accedunt, volo te ſcire, fili, Perſephonem iſtam Deo amorum ſic infenſam ut eum ad crucem adegerit, animam eſſe ſordibus aſperſam & fuligine, quæ dum in pratis fœlicibus, & pluſquam Ennæis luxuriat, à Dite rapta vili ſervituti, infamibuſque, ſpreto cœleſti proco, Hymenæis alligatur. Porro hac arbore ad quam Deus amoris à Proſerpina aſtringitur, tanquam ſcala viam ſtravit amor ad aulam cœleſtem jam ſuam, juſta apotheoſi dignus conſecrari, neque ſtravit modo, ſed & proprio cruore notavit. Quem enim non pudeat conſperſo floribus itinere cœlo tendere, dum Deus amorum incommodo ſuo tantum bonum non tam ſibi quam nobis emercatus ſit. Sed ad ſubjectum dialogiſmum, fili, jam attende, unde tibi arcana hæc de Diis ſcientia lucidius inclareſcat:

Hæc ora, hic habitusque Dei eſt; crudelis Amori
Divino, pœna eſt cur tolerata cruce?
℟. *Me Juvat iſte labor; vobis parit otia ſudor:*
Si pateris, tecum qui patiatur habes.
Sed cur nudus ades, Divo quaſi pallia deſint
Qui cunctas domiti poßidet orbis opes?
℟. *Nudo hominum fluxis, cujus ſuccenſus amore:*
Gaudia ſperno ſoli, gaudia ſperno poli.
Cur puer es? ℟ *Pueros facio quoſcunque ſagittis*
Saucio, ſive volans ignibus uro meis.

Sed

Sed cur igneus es, verſaſque per aëra flammam,
Ipſe tamen vivis: flammane pectus alit?
Te nempe æternæ penes eſt cuſtodia flammæ,
Igneus atque Deûm pectora vincit amor.
Fortis erat Bromius Thyrſo, Mars enſe, Tridente
Neptunus, fortis fulmine dextra Jovis.
Aligerum fulmen fregi deus aliger igne:
Sic ego Sydereo fortior igne Deus.
Omnia vincit amor: quid non ſperetis amantes?
Flexa vel irati Numinis ira ſedet.

Interroganti de cæteris tabellis Theopompo pergit ita Theander. Alcidis noſtri apotheoſim quis eſt qui neſciat? Quanto mentis æſtu poſt eliſos angues, Hydrum domitum, debellatam cum Cerbero trifauce Stygem, poſt fixas columnas laborum metas, venenata veſte à Deianira ſua circumamictus in pyram rapitur, geſſit arderi cum Nemea pelle, atque hac viâ in cœleſtes orbes penetrare. Habes hic & Hyppolitum jam Virbium; habes & Glaucum exanimem, moxque parenti repoſitum. Quæ miracula futuris prælufere. Ita gaudebat natâ occaſione Theander diſcipulum ſuum à puero ad veræ ſapientiæ apicem promovere, quatenus ille magis adultus ad liberales diſciplinas progredi poſſet, & hoc ſapientiæ melioris præludio ad omnem humanitatem informari: in extrema parte templi vetuſtiſſima fuerat ara, ignoto Deo, tunc ſub ſuis ſepulta ruderibus.

CAP. VIII.

Dum templo abſceditur Theander vario religionis ſenſu diſcipuli animum imbuit, dum remuneratam pietatem, & ſacrilegos punitos declarat exemplis: ſimul ambo Deo ignoto ſupplicant.

Poſtquam Regius Puer ſuadente Theandro muneribus aram quæ Marti Druidarum Deo ſacra erat, abunde cumulavit, & aliquantulum Numini ſpecu-

lum

lum tenuit, reditum ad regiam adornabat, & Deo jam plenus geſtiebat animum ſuum novo religionis ſenſu imbui, cujus inſinuandæ teneræ indoli prudens præceptor adhuc in eo templo moras trahens, donec nimbus ille deſæviret, non leviori flamma urebatur. Eſt enim, inquit, religio legum vindex, rerum publicarum conſervatrix, regiæ authoritatis parens, ſplendidior coronæ flos, gemma diadematum, alumna virtutis, vitii noverca, recte conſtituendæ civitatis auſpex; ſine qua non lex, non civitas, non reſpublica, non regia authoritas ſtare poteſt: validiſſimum eſt regum ſatellitium, quod & noctu, & interdiu coronas protegit, ſceptra tuetur, ſolium decorat: denique religio quæ facienda ſunt, & quæ vitanda diſcernit. Neque puta, fili, laborem eſſe; imo animi incredibilis eſt voluptas; nam uti Deorum notio inſita eſt nobis à puero; mentibus quoque noſtris religionis aliquod ſemen ab ipſis Diis implantatum eſt vel à cunis, ita ut naturæ invitationi reluctentur hi, qui vel religionibus detrahunt, vel hæc egregia ſemina alere minime curant. Quot mala neglecti Dii mortalibus attulere! Hic dum Jovis fulmina æmulatur, ipſe fulmine vehementiori atteritur: iſte dum audet ſacrilegum caput ſuum Deorum ſimulachris imponere, eorundem præmaturam ſentit ultionem: alii tempeſtate obruti, & arenarum cumulus ſepulti ſcelus inſequente ira Superum. An te latet quas illi pœnas dedere qui Cereris arcana ſacra vulgarunt? Quid memorem gigantum impios auſus, quos è ſuo axe vindicta Deûm ad imum uſque barathrum deturbavit? quid Salmonis ſupplicium, quod fulmina ſimulaſſet, ut Deus in Elide crederetur? Caſta placent Superis: procul impius, procul ſacrilegus, procul impuræ manus: procul mentes pollutæ. Paucis dicam, omnia proſpera veniunt ſequentibus Deos, adverſa autem ſpernentibus.

Subji-

Digitized by

Subjicit his Theopompus: Ægyptus portentorum mater an sanæ mentis fuit, dum in hortis sibi (quod ex te audivi) numen invenit? Nam ut apis, & ibis, & crocodilus sileantur, aliaque monstra, cæpas, & allium religiose colere an aliud est quam desipere? Vocem ne non delirium solum, sed dirum etiam quod in parte quadam Africæ in sacris Minervæ, indigenæ puellæ fustibus certant invicem, cum sua etiam pernicie. Grave, & infestum numen quod magis colentium supplicio gaudeat, quam pietate, & officio. An & Scythicæ Dianæ ara mitior est quâ hospites immolari consueverunt? Dira ita me Dii ament, & cruenta religio, & quæ hospitalia jura, vinculum inter homines sanctissimum sustulit. Quo vultu sese mihi approbet illa religio quæ quoties regibus Æthiopum à Sacerdotibus denuntiatum est, Deo invisam esse suam vitam, cogit eos mortem sibi consciscere? quin inter eos nullus est inventus apud quem pluris salus, quam religio haberetur, usque ad Regem illum minus stolidum, qui ne per sacerdotes mors sibi denunciari sustineret; eos omnes prior interemit. Putas me dare debere calculum meum religioni illi quâ simulachrum Ideæ matris probrosis vocibus, & dicteriis, quoties propitium Numen volunt, sacerdotes ipsi prosequuntur: quæ ne impudentissima quidem meretrix æquis auribus audiat? Lupercorum nudo corpore divagantium, obviamque turbam cædentium loris ridiculae consuetudo, num insanientium superstitio est potius quam sapientum religio? hæc ille; quæ præceptor ore placido ita excepit.

Sint suæ gentibus religiones quarum origines non scrutabor, aberrent etiam à vero, & in insolentes ritus abeant: demum sit illis pro religione superstitio: obediunt sanè illi naturæ invitationi. Porro quotquot Reges, vel Imperatores ad stuporem orbis triumpharunt, armorum suorum terrorem quâque circumferentes,

tes, à religione ne lato quidem ungue discessere. Nam unus ex illis dimidium Thebani agri Jovi Olympio, & Apollini Pythio voluit consecratum, ut ex ejus fructibus pecuniæ, quas ex templis ad alendos exercitus abstulerat, iisdem templis possent restitui, non ignarus sacrilegium sæpe universi exercitus, & imperatoris exitio expiatum, atque eo sævius, quo tardior pœna secuta esset. Quid ille qui acie dimicaturus cum ineunte luce Herculi cœpisset operari, neque tamen litaret, viginti mactavit hostias; nec prius à cœpto destitit quam in prima post vigesimam certæ victoriæ argumenta existerent, expertus nimirum sine religione à mortalibus nihil agi fœliciter: atque hinc factum ut nihil inauspicato vel illitato inchoandum esse crediderit religiosa antiquitas. Nam quid hunc referam apud quem tanti fuit religionis authoritas, atque reverentia, ut judicatas à se causas à pontificibus, atque auguribus retractari, & aliter terminari pateretur, minime sibi vertendum dedecori existimans, in his quæ ad religionem pertinent, imperatoriam majestatem sacerdotum authoritati cedere. Quid vero hunc alium proferam, qui instaurationem templi Jovis exorsus, ante alios ipse se operi accinxit, & collo suo prima rudera sustulit, minime arbitratus diademati regio labem se inferre dum operam sacræ rei manu sua Rex ipse navasset. Ecquid mirum si imperium illorum floruit?

Quid dicam de violatoribus sacrorum? an potuit ille iram Superum declinare qui ad diripiendum & fœdandum incendio templum Jovis Ammonis quinquaginta miserat hominum millia. Num illa hominum ingens turba cum inter Oasim & Ammonios prandium sumeret, subito exorta ventorum tempestate, arenarum cumulis obruta est: ipse vero Imperator tot cuneorum, num eodem ferro quo alias Apim in Ægy-

pto

pto violarat, ſibi vitam ademit An ille irriſor Deorum iras eorum effugere, qui detracto pallio Jovi Olympio quod totum erat ex auro, injectoque ei laneo pallio dixerat æſtate gravem eſſe aureum amictum, hyeme frigidum; laneum autem ad utrumque anni tempus aptiorem. Qui Æſculapio barbam aurcam demi juſſit, quod affirmaret non convenire patrem Apollinem imberbem, ipſum vero barbatum eſſe. Qui pateras & coronas, quæ ſimulachrorum porrectis manibus ſuſtinebantur, abſque pudore ſuſtulit, eas ſe accipere ab offerentibus, non auferre jactans: & perquam ſtultum eſſe, à quibus bona precamur, ab iis porrigentibus nolle ſumere. Sed ne nimium aberrantes per externa divagemur; quam acer ſui numinis vindex Apollo fuit in Gallos majores noſtros qui cum palmares, & onerati trophæis Aſiæ, Græciæque recederent, auſi tamen in Apollinis Delphici templo prædas agere, & hoſtilem in modum debacchari, erumpente ſubito fulmine ſuperis ultoribus omnes internecione deleti ſunt. Brennus autem eorum Dux rebus ſuis deſperatis num violentas in ſe manus convertit? Lento gradu ad vindictam ſacrilegorum divina procedit ira, & tarditatem ſupplicii gravitate compenſat. Sit ergo tibi morum bonorum fundamentum, & caput religio, fili; neque inanem hanc fore puta: diſce aliorum exemplo ſapere; fœlix ſi te cautum, ſi religioſum aliena periculà fecerint: quod ſi vana eſſet religio, quod eſſet animal infelicius homine, dum aut divinæ vindictæ inanibus ſtimulis torqueretur, aut præmiorum inani ſpe luderetur? verum ut vidiſti non hæ nugæ ſunt, non fabulæ inanes, & raro antecedentem ſceleſtum etſi claudo pede pœna deſeruit. An vero irritus erit, & contemnendus hic qui nobis innatus eſt colendi numinis impetus? Reptilia multa è terræ ſinu, dum oritur Sol, ſubrepunt, & aëris caligo portenditur. Hirundi-

nibus

nibus terram ſummis alis lambentibus nimbus eruptu-rus è nube expectatur: quidni etiam hominum communi vaticinio religio vera eſt, cum omnes in ſupremi alicujus numinis cultu conſentiant. Si quis ergo reperiatur religionis penitus expers, vel monſtrum eſſe oportet, vel contagione alicujus monſtri inquinatum.

Deinde cum omnibus animantibus brutis dederit Deus aut alas ad profugium, aut pedum velocitatem ad ſalutem, aut cornua, dentes, ungues ad defenſionem ſuam; ipſum vero corpus hominis ex utero matris tanquam ergaſtulo infelici in vaſtiſſimum orbis theatrum quaſi ab infenſa parente natura protrudatur inerme, nudum, vagiens, animante quovis imbecillius, quis mortalium infirmitatis ſuæ memor ab authore ſuo vires non efflagitat, à quo poteſt neceſſariam opem ſperare. Quod nuſquam fiet religioſius quam in templis, quæ ſunt Deorum ſedes, ara miſerorum, domicilium ſanctitatis, propugnaculum ſalutis, piorum receptaculum, naufragantium portus & tutiſſima ſtatio, bonorum omnium gazophylacium.

Verum cum multi multa peccent in officiis religionis, tum vero quis ſatis queratur adoleſcentes in quibus ineſt ſcientia Dei in hac regia divinitatis, in hoc ſalutis propugnaculo, ante aras ſanctitatis cum fabulis, riſu, jocis obturbare myſteria? non auguſtiſſimi loci religione, non caſtitate ſacrorum, non facti atrocitate, ne adorandæ quidem majeſtatis numine deterreri, quo minus laſciviant oculis, & petulantiſſimis ſermonibus peſſimo quidem exemplo impium in morem ſacra diſturbent. Equidem memini me legere barbarum Regem puero honorario, quod in ſacri loci veſtibulo hiſcere auſus eſſet, è veſtigio moriendum indixiſſe, eamque pœnam vix precibus, & authoritate ſacerdotis induci potuiſſe ut remitteret. In quo ego facto & fidei

divi-

divinæ vim admirabar, & plurimorum insaniam qui hac iniquitate temporum justos modestiæ cancellos prætergressi suæ proterviæ, garrulitatis, petulantiæ exempla dant orbi, ad suam orbisque perniciem, dum oculum custodem humani generis, ultorem facinorum, vindicem in æquitatis minime reverentur. Neque omisit Spartanæ pubis pietatem omnino tantam, ut absque ullo fletu vel gemitu ante aras ad necem se flagris lacerari pateretur.

Hactenus Theander, cujus longa oratione delectatus princeps cum veterem aram in ipso templi egressu animadvertens, & circum rudera conspiciens, intellexisset ædem ignoto Deo sacram, sed injuria temporum collapsam, ibi olim exitisse: ignotum Numen poplite flexo adorans præceptorem rogavit ecquæ novitas hujus antiquæ religionis?

CAP. IX.

Rogantem Theopompum docet Theander unde antiqua illa religio erga ignotum Deum, & quacunque Samotes similis vaticinanti de novissimis Gallia Regibus prædixerat raptim commemorat. Redux Theopomp. pietatis suæ signa patri exhibet.

Tunc Theander rem ab ovo exorsus dum ambo regiam, desæviente jam nimbo, repetunt, fabulam ita contexuit. „Samote, quem & Ditem appellant, in Galliis nostris longe lateque regnante, cum in campos Elysios concussis à radice ingenti terræ motu superbis montibus, qui aquas Atlantici Oceani superstagnare non sinebant, tandem ille Hesperius Oceanus ruptis obicibus, & in amœnissimas valles inter Europam, & Africam longe lateque excurrentes inundavisset; paremque tulissent injuriam Adonidis horti ad ortum Solis magis vergentes salvis tantummodo Hesperidum viridariis, quas nunc insulas fortunatas ex illa antiqua naturæ benignitate, & aëris clementia appellamus:

jamque Galliæ noſtræ fines aquæ maris libarent, ad vota à populo proceſſum eſt: Sacerdotes quos ſuo nomine Semnoteos Samotes nuncuparat Ecatombas multas offerre, & omnibus litationibus placare Superos, quos infenſos ſibi reputabant. Tunc Somates ipſe qui numinis inſtar inter Gallos omni juſtitiæ & ſapientiæ laude anteibat, qui & imperium ſuum optimis diſciplinis, & virtutibus firmaverat, ſimilis vaticinanti ædem & aram ibi juſſit extrui, atque ignoto Deo conſecrari; huic & Flaminum collegium & ſummum Pontificem, penes quem ſumma ſacrorum eſſet, ſuperaddidit, aſſerens donec ſtaret hæc ara, tandin Gallias ab aquis illis ſuperſtagnantis pelagi, atque ab hoſte externo fore incolumes: quin potius Gallos orientem & occaſum ſubacturos aliquando, atque ſuo nomine dicturos, imo & principis orbis populi fore victores; attamen poſtquam ara ſuis ſepulta ſub ruderibus nullam ſui memoriam relinqueret, tum gentem hyperboream invaſuram hos fines, & ad ſuum jugum, vel ſuam potius ſocietatem hos omnes populos adducturam expulſis dominatoribus orbis qui paulo ante Gallias quà jure, quà injuria ſuæ dominationi ſubjeciſſent. Mutandas tunc pariter religiones Gallorum addidit, & Deum illum qui hactenus ignotus aram tamen, ædem, flamines, & ritus ſacrorum habuiſſet, jam omnes Galliarum oras notum fore: hanc religionem perennem futuram à qua Reges Gallorum ut fortes ſic & pii ne lato quidem ungue diſcederent. Horum tres fore dynaſtias & proſapias quæ Heroas innumeros orbi darent, Galliæ vero defenſores imperii atque religionis. Duæ illæ primæ inquit, vix tres ſupra triginta Reges proferent. Tertia terribiles bello, pietate inſignes Heroas ad terrorem orbis dabit; hanc vero quam incolimus oram Rhodani, & Lemani rivis definitam primogeniti obtinebunt. Ex una familia vicina qui primus ſo-

Digitized by Google

lium occupabit, quamvis illud hæreditario jure jam poſſideat, gladio tamen ſibi vindicaturus eſt, unde & Magni nomen non injuria merebitur; caſta, & juſta erit illi ſoboles quæ gemino fœtu gaudens bombycis in morem exſpirabit. Ex illius cinere ſtatim Phœnix emerget qui quantum hæc avis Arabica cæteris volatilibus ſuperior eſt, tantum anteceſſores Reges, majoreſque ſuos pietate, juſtitia, ſapientia, prudentia, majeſtate, fortitudine, temperantia, denique omni virtutis laude antecellet, adeo ut quacunque terrarum ſui nominis terrorem, & amorem & ſtuporem circumlaturus ſit, maximè ex quo ictis fœderibus cum Heſperiis populis ſanctiſſimo Hymenæo non ſolum æternæ paci ſubſcribet, teſteſque icti fœderis vocabit deos; verum etiam caſtiſſimi, & impolluti thalami ſociam ſibi copulabit ex illis Heroibus ſobolem, quæ ſua virtute & pietate & prudentia Superos cùm ſibi, tùm Galliæ toti faciet ita propitios, ut ſimilem patri prolem ſtatim huic indulgeant, æterni amoris ſtrictiſſimum vinculum. In uno hoc fœtu regio dotes omnes corporis & animi utriuſque parentis coibunt: quibus cum Calliſtophylacis eruditio acceſſerit, ſtupebit orbis in filio parentem, in patre filium. Denique totus erit tui ſimilis, mi Theopompe, ſive ſpectes animi dotes, ſive corporis.

Dum his ſermonibus fraudant iter, in regiam interim penetrant provecto jam veſpere. Puer autem regius ſalutatum patrem Aſtioriſtem ita affatus eſt. Veterem aram, & vetuſtate jam collapſam ædem vidi in ipſo egreſſu templi; velim pater, quidquid mihi ad remittendum animum ſoles per unum, aut plures annos ex tua regia paternaque munificentia indulgere, id totum in reſtituenda ædicula ſtatim impendas, inde enim meam & tuam ſortem pendere novi: hac mea, tuaque pietate Deos nobis conciliabimus, & eorum favorem ambiemus.

Placuit Regi tanta in puero religio, qui ad præcocem pietatem satis superque obstrupescens, laudavit indolem, promisitque se Diis & pietati filii facturum satis. Neque se libaturum annuos Theopompi census, sed impensis regiis reædificaturum aram. Neque mora peritos artifices accersivit, quibus id oneris imponeret. Gaudebat vero Theander non ingratam se operam navasse, dum mirabiles discipuli sui profectus advertebat, & quibus poterat argumentis implantata hæc semina irrigabat assiduis consiliis, & sedulo in mores ejus intuens non ut molestus censor, & patruus; verum ut pater amantissimus, novella hæc germina virtutis fovebat, excolebatque, adeo, ut si quos videret ramusculos inutiles, noxiosve stolones repullulantes, statim eos amica correctione resecaret. Et quia noverat primam hanc ætatem circa religionum delectum non raro exerrare & seduci, ne in eorum scholam transiret puer religionis studiosissimus, qui docent utendum religionibus tanquam vestibus, & huic favendum cui multitudo applauderet, cavebat impimis ne studio novitatis ab antiquis sacris desciscceret, sed legibus avitis pertinaciter inhærens, ab his nusquam nisi Deo supernaturali effectu novitatem approbante, vel lato ungue discederet.

CAP. X.

Expositæ Gallorum frugalitate, temperantiæ amorem conatur Theopompi animo insinuare Theander, maxime vero damnis expositis quæ ex gula & ebrietate oriri solent.

Incredibilis ea ætate apud Gallos frugalitas vigebat, & omnis luxus odium tantum, ut fictilia apud illos essent in usu; federent ad cœnam in stratis super solum pellibus luporum, aut canum, ministrarent senioribus pueri juniores, ætate tenera, inter quos mira disciplina. Nam panis & is paucus cum lacte; vel ex elixa,

aut

aut verubus, & igne assa. Onerabant mensas piscibus qui fluvios vel mare incolunt, sed his coctis, vel assis. Rarus vini usus, nisi in divitum mensis; sed illud vel ex Oenotria, vel ex Phocensium regione petitum est, siquidem nullum in Gallia nascebatur. Alius quoque potus ex frugibus, imo ex hordeo non temnendus. Fuit & hydromeli in usu apud illos. Quod ad vestitum, saga ex densa lana texta, vel braccis utebantur, iisque extentis & laxis maxime in partibus his australibus. Non tamen satis constans erat in habitu forma; sed habitus ad novitatem mollis elegantiæ correctus imaginem animorum exhibebat. Si quæ majestas in principibus fuit, hanc solummodo in prolixa, & pexa cæsarie cernere erat. At corporum formæ ingentes; optimi & elegantes vultus: ad omnem palæstram habilis industria; animus autem armorum capax: sed initio pugnæ viros fortissimos obstupescas, in fine muliebres animos. Subita his & repentina consilia; sed in capiendis consiliis mobiles erant, & novis rebus studentes, imo & religionibus. Quare Theander hanc mobilitatem ex animo principis nondum adulti conatus est amoliri, maximè vero in his quæ ad sacra pertinent: mentem vero illius ab omni luxu ita studuit avertere, ut non solum eum abstemium esse vellet, verum etiam cupediarum non appetentem, docens plures occidi gula, quam gladio, natum eum ad majora, quam ad corporis servitutem; eo vegetiorem fore animum, & ad altiora surrecturum fortius, quo minus lautis cibis corpus aleretur; naturam paucis contentam pluribus aut languescere, aut extolli; dum abdomini fervierit, infra sortem brutorum deprimi: vini autem usu sensus hebescere aciem mentis obtundi, corpus lasciviæ stimulis exagitari, & secreto igne accendi ad Venerem præcordia, maxime ubi recentior sanguis in primis annis fervere solet, & ad lasciviem omnem excitare:

quasi vero deceat * ignem igni adjicere. Hinc non pueris modo, verum etiam nutricibus usum vini à sapientibus interdictum. Quis porro morbos corporis ex illa intemperantia prodeuntes enumerando complectatur? Quis morbos animi recensendo par esse possit? sicut enim sine Cerere & Baccho friget Venus; ita uno, eodemque modo vina, Venusque nocent. Quid dicam revelata in ebrietate arcana consilia & latentes animi recessus penitus concussos? qua nuper esca Dux fortissimus missum ad se ab hoste legatum decepit: non secius mustum cum decoquitur, & fervet in dolio, foras erumpit, nonnunquam etiam cum ipsius urnæ, doliive jactura. Quisquis ergo vini usum immoderatius appetit, & virtutibus januam claudit, & vitiis aperit: hinc dictus ebrioso asinus melior: sæpe enim ejusmodi potu deceptos homines videas vel equorum more adhinnire, vel instar asellorum rudere: siquidem sua jam natura ignei, igne novo superaddito impetus subitos cohibendo impares, in bestiales mores abeunt, ad naturam ferarum accedentes. Finge animo Polyphemum Cyclopem. Intuere Centauros, & Lapithas, istos omnes vino madentes: flagrant oculi, vox mugit; aut balbutit, os anhelat, fremunt nares, color variatur, sensus excidunt, vestigia titubant. Hinc frequens vomitus semesas effundens epulas, nonnunquam cum internorum viscerum cruore: hinc & vanæ imagines, incerti visus, vultus inconstans & tæter: nutat his terra, & solum manibus apprehendunt, aut concurrentibus montibus sibi videntur includi: murmur in auribus, & tanquam fluctuantis maris fragor. Alii incondito risu solvuntur; alios panici terrores & luctus acerbi circumincessunt: vigilantes somnio præcingi se putant; dormientes lites agitant, demum tota vita his somnium est. Quid porro? ita ne placent? si placent, liceat largiter

* Οὐ χρὴ πῦρ ἐπὶ πῦρ ἐχτιθέναι. Plato.

giter compotare, ubertim exſiccare calices, opipare convivari. Sin iſthæc diſplicent, juvat ea deteſtari, ab his abhorrere, & à vino tantorum malorum incentivo penitus mentem abducere. Longior ſim ſi incommoda inde in homines redundantia commemorem: hinc enim calculi cruciatus acerbiſſimus, hinc exitialis cruditas, hinc phreneticus furor, & inſania pluſquam fanatica: hinc denique genus omne morborum cùm in corpore tùm in anima, & circa virtutes, factaque illuſtria ingratiſſimus languor. Excurrere per lites, rixas, jurgia, prælia, cædes facile poſſem, quales Phinei domus, & menſa olim vidit: ſed vela contraho. Tantum dicam, ſi gula & ebrietas fons eſt morborum, ſi inimica caſtitati, ſi luxuriæ mater, ſi noverca virtutis, & vitii fomes, ſi adoleſcentiæ corruptela: ſi utraque hæc intemperantia potus & cibi aciem mentis obtundit, ſi ingenium occæcat, ſi nebulam offundit intellectui, ſi mentis abditos receſſus aperit, ſi palatum cordis inficit, & ſaporem boni removet, ſi denique innumera vitiorum agmina ad conflictum animæ generat: ſi è converſo gulæ vitio reſciſſo omnia ſimul vitia ſubjugantur, ſi hæc conſuetudine vinci poteſt, ſi ſoli abſtemii, & temperantes digni ſunt Deorum muneribus & conſortio, vide ne te illa cupido tranſverſum agat, ne quemadmodum Elpenor ille vino largius hauſto impos animi factus eſt, & ſcalarum lapſu demum exanimatus, ita & tu Elpenori, Eurilocho, vel Hylæo & reliquæ turbæ Centaurorum compar, parem quoque exitum ſortiare. Spartiatæ nullam circa liberos ſuos diſciplinam habuere potiorem, adeo ut pinguis & obeſi ventris adoleſcentuli macerarentur inedia. Ægyptia juventus Amaſis edicto non prius cibum capiebat, quam octoginta ſupra centum ſtadia percurriſſet. Sed ut ſua quoque laus noſtræ genti Gallicæ eſſe poſſit, vide quam acerba in pueris diſciplina.

Ne ergo, fili, pergebat Theander, ne ab illa patria virtute degener esse velis, neque tortuoso tramite à recta, & strata tibi à majoribus via declinare: insiste pertinaciter illorum vestigiis, & illam Artaxerxis Memnonis vocem ducem sequere:

Condimenta fames sunt optima: nauseat ille
Cui ridet lautis mensa parata cibis.
Hinc Artaxerxes nuper, cognomine Memnon,
Cum victus propria quæreret arte fugam,
Repperit insipidum panem, ficusque nocentes
Quas induruerat Sole tepente calor;
Tum Rex tanta mihi numquam est experta voluptas,
Nec dum deliciis hîc, ait, usus eram.

CAP. XI.

Ad pristam Gallorum duritiem dum Theopompi animum Theander indurare satagit, & incredibilem patientiam Spart. puerorum proponit, capta ansa puer intentus venationi specimen dat virtutis.

Talibus disciplinis initiatum puerum Theander ad studia virtutis identidem impellebat, urgebatque volentem; & ad priscam Gallorum duritiem corpus juvenile principis è complexu voluptatum jam abductum, quatenus vegetum rerum successu redderetur, solebat effingere. Apud Gallos palæstra, venatio, jaculatio, equitatio, cursus erant in pretio; neque vilis natatio videbatur etiam ingenuis: frugalitas autem in adolescentioribus tanta, ut qui mensuram constitutam obesitate ventris excessissent, jejunii severa lege coërcerentur. Proponebat etiamnum Theander Principi nondum adulto Lacedæmoniorum adolescentum patientiam, & Persicæ pubis arctissimam disciplinam, tantam medius fidius, ut mutuis criminationibus invicem sese quisque insimularet apud censores, & morum suorum magistros; ita tamen ut calumniæ suum esset supplicium. Nusquam nisi jussis accumbendi ad mensam con-

consuetudo urgebat: toti pendebant ex præceptorum nutu, & ore, quos illi tanquam Deos reverebantur. Grandiores noctu quidem insistebant excubiis; interdiu verò ad signum magistri adeo sunt expediti, ut quoties Regem venandi cupido incessisset, pars urbi custodiendæ sufficeret, pars Regis lateri officii causa adhæreret. Pharetra, clypeo, telo duplici quatenus eminus, & cominus feriant, armabantur. Nulla autem Persas inter, & Gallos exercitatio frequentior, utpote quæ arti bellicæ affinis sit. Hinc decumbere sub dio, & trepidis vitam in rebus agere; jejunos dies ducere; vilibus, tantumque semel per diem epulis refici, ab omnibus deliciis sibi temperare; corpus æstu, frigore, fame, siti, labore indefesso indurare, vino abstinere apud illos solitum. Sunt autem sua cuique præmia laudis. Porro tanta apud illos morum, & externi habitus, gestusque compositio ut spuere, mingere, oscitare, nasum purgare, caput fricare, & id genus alia, à quibus vita communis abhorret, etsi necessaria, & à natura parente à cunis indita, tota mente devitent. Quæ omnia Theopompus ad unguem observare tanta cum æmulatione satagebat, ut ne denuo quidem isthæc inculcare oporteret, cæterisque pueris ipse exemplo præiret. Urebatur autem ad Theopompi Spartanorum Regis (qui Ephoros regiæ authoritati oppositos quanquam damno suo creaverat) regiam prudentiam, sæpe illi propositam, quem æmulari, & factis ut nomine referre nitebatur.

Quadam autem die cum Rex Astioristes ad venationem se suos expeditos vellet, ipse Regius puer novitatis studio ad inexpertam exercitationem se comparavit, ac primum quidem potestatem hanc sibi fieri à patre & à præceptore, enixè postulavit. Neuter tam forti consilio obicem, vel moram objecit, sed effusissimè justæ petitioni annuit, modo vernæ à latere illius nun-

quam discederent. Itaque Regem sequebatur suo stipatus satellitio Theopompus, aberat autem Theander, quem sacra dignitas, & religio non sinebat his vacare prophanis exercitationibus, nonnunquam enim amore secessus, & relictæ eremi studio liberum à tumultu aulæ animum ad pristinæ vitæ dulcissimam tranquillitatem revocare, sublimique volatu superis ipsis jungere gestiebat.

Saltus erat in regiæ conspectu ingens littoris spatium complectens, & ipse dictus sylva Druidarum, propterea quod sedem suam ibi jam olim constituerant ob quercuum antiquissimarum, sub quibus, & quarum visco solebant Diis inferis plerumque operari, uberem frequentiam, grande enim piaculum credebatur, & plusquam Erisichtonii fame eluendum, si quis ex illarum ramis vel tantillum delibasset: erantque in ingens spatium effusi arborum rami, & quò antiquior quercus erat, eò sanctior, & Diis acceptior credebatur. In eo saltu feræ variæ speciei & variæ senectutis principum industriam persæpe fatigabant propter fruticum, dumorumque caliginem, qui velut ad insidias surrexerant. Hàc itaque cursus fuit. Jam enim Rex, jam aulici in equis venaticis expediti discurrere, jam litui cantus canum animos revocare.

In medio turbæ regiæ adolescentulus Theopompus equo niveo vehebatur, cui nigrum caput, candidumque fronti impressum sydus: pectus & crura sphæris carneis venuste turgescunt: costæ in latitudinem porrectæ; alvus quadam brevitate constrictus; cervinum caput ob gracilitatem atque levitatem. Demum totus erat aspectu jucundus, incedens molliter, & insanis cursitationibus sessorem suum minimè fatigans, quiescitur enim in illo magis quam laboratur, & grata moderatione compositus, noverat agilitate continua perdurare. Hinc à pluribus jam annis equus iste ex astur-

cone natus, & in regiis ſtabulis enutritus Theopompo qui in eo inſidendo mirum quantum delectabatur, fuerat deſtinatus. Emicabat in equo regius puer chlamyde ex phœnico murice bis tincta decorè ſuccinctus humeros, quæ purpura majorem venuſtatem à Sole trahebat. Inſidenſque in equo puer hunc ſtupente corona, & applaudente præ gaudio patre, in omnem partem ſcite verſabat, mox effuſis habenis eundem ad curſum admittens.

Gravem ea res Aſtioriſti & Argenidi parentibus metum incuſſit, qui filii periculum ſubvererentur. Theopompus vero cum fortiter feciſſet, jamque re bene geſta à meta regrederetur, profuſis procerum acclamationibus acceptus eſt. Parens vero filium exoſculatus, vix ſui compos ex gaudio, longe amplius, inquit, fili, providendum eſt tibi imperium, tantum ſiquidem animum noſtra Gallia non poteſt capere.

Invectus in ſaltum Theopompus ſtupet uti venator, in ſcrobes, foveaſque feras pellicit, aut canum ſagacium odoratu per eadem veſtigia inſequitur: modo videt Cervum in caſſes, & plagas vaſto currendi impetu incidentem, ac iiſdem irretitum. Miratur ſpumantem ac fumantem aprum, quem venabulo unus ex aulicis ſolertiſſime excepit. An, ait, majori olim ardore atque peritia Calidonis aprum Atalanta trajecit? Tum puer regius pari accenſus æmulatione geſtiebat quidem ferire: & ſuum animum ſuamque induſtriam oſtentare: verum æſtus ille ab aulicis, & vernaculis officii & cuſtodiæ cauſa ejus lateri adhærentibus ſubito reprimebatur: maxime vero cum advertiſſet ferocem aprum ad ſe furiali atrocitate properantem, paſſimque frutices dentibus anterioribus evellentem radicitus; neque ficum, neque malum, neque oleas integras relinquentem. Videbat hunc ipſum & ſetis horrentem, & igneis rubentem oculis, ſtragem denique, cædemque minitantem.

Ita-

Itaque Theopompus impatiens telum intra ejus coſtas tam ſcitè contorſit, ut jam aper ſolum manderet, repetitoque eadem manu telo agitatus in gyros, ſparsâ circumquaque ſpumâ ad pedes victoris occumberet. Ingens ſubito plauſus excitatus, ad quem tumultum retrocedens Rex, ac reſpiciens (timuit enim filii diſcrimen aliquod) obſtupuit ad tam ſubitam ferocis belluæ ſtragem filii ſui ad pedes jacentem. Utque agnovit authorem facinoris eſſe Theopomp ſimul ad periculum quod incurrerat unica ſua proles cohorruit, ſimul ingenti gaudio perfuſus laudavit quidem filii induſtriam; at temeritatem pueri arguit, objurgans imprimis purpuratos, atque ſatellites ad cuſtodiam illius deputatos quod tantam in filio ſuo unico audaciam non temperaſſent. Sed illi in celeres motus principis Theopompi errorem hunc ſuum refundere. Rex tamen ſatis laudata filii induſtria, præmium quoque laudibus addidit quingentos aureos crumena aurea incluſos, quos ore gratiſſimo Theopomp. recipiens in cuſtodes ſuos ſtatim diviſit, nullo ſibi aſſervato. Deinde prædam ſuam ad Argenidem matrem mitti voluit. Rex autem ad Cervum admirandæ molis, quem regia turba totis habenis inſequebatur, advolans urgebat pariter fugientem.

Duos præruptos, minaceſque montes Rhodanus interlabitur, & ſolitudinem eadem ſylva conſitam, ideoque gratiſſimam, & commodiſſimam efficit: unde & incorruptus ibi aëris tractus, frequenteſque ac ludibundi micantium aquarum lapſus, aliæque deſerti illius locî illecebræ, ad vitam ſolitariam nonnullos Myſtas, quos Saronitas vocant, pelliciebat; quos & ſeculi tædium, & cœli ſtudium avocabat à ſeculari tumultu, & ad commercium cœleſte accendebat, dum aquas illas parî cum annis ſui lapſu videbant decurrentes.

Diſcurrentium undique copia ferarum majus venationis

tionis ſtudium in Theopompo impreſſerat : quare ulterius iter proſequendi hunc ardor inceſſit. Primum aut alterum omnes emenſi lapidem, hinc ſummos montium vertices lætiſſimis ſylvis, & ad æſtatis voluptatem, hyemiſque ſubſidium percommodis; inde aperta ambulantibus ſpatia proſpiciunt, præcipuè quâ flumen exceptum convallibus montium calorem tepore leniſſimo ſic temperat, ut loci voluptas ipſis Theſſaliæ agris amœnioris mirum in modum Theopompum pelliceret.

CAP. XII.

Dum Rex Cervum inſequitur, Theopompus captus amœnitate loci, & fontium ſitim reſtincturus equo deſiliebat cum ad antrum exhorruit. Mox ſenex inde caput exerens hunc docuit qua cauſa eò ſe impuliſſent; ſimul ad virtutem eundem adhortatur,

Theopompus delinitus amœnitate fontium: quò ſitim quâ laborabat, his lympidiſſimis aquis reſtingueret, ex equo deſcendit. Pulchritudo igitur, & copia aquæ, tum nativa frigiditas eo principem adduxit, ut captus juvenili voluptate manus primum, mox & ora fonti admoveret, qua placidius manabat, ſimul ex illo guſtavit accenſus æſtivis fervoribus: at purpurati circumſtantes nimis gelidum potum objurgare, & rogare principem ut in equum ſe reciperet. Verum ad oſtium ſpeluncæ, haud ſecius quam ad ingreſſum Tænari, dum ſpelæa ferarum circuminſeſſit, repente cohorruit. Tum ille ſuſpicari quod aliquis Eremicola ibi deliteſceret. Sed tam denſis intercluſum erat ſentibus iter ad antrum: tot rivulorum meandris invicem coëuntium impeditum, tot ſaxetis aſperum, atque lubricum, ut ſpem omnem iſthuc penetrandi propemodum Theopompus deponeret. Attamen reſumptis animis progredi juvat, & ſuperatis ſalebris explorare quid lateat.

Dum

Dum ergo reliqua turba venationi inchoatæ inſiſtit Princeps fido in paucis Gobria comite ad os antri pervenit: ſed ad hunc ſtrepitum ſenex ore, & nive capitis venerabilis, hauſto tumultu è ſuo ſpecu, caput primum, deinde & corpus antro extulit attonito ſimilis. Ambo ad improviſum monſtrum obmuteſcere, donec collectis animis os torpens ſtupore, præmiſſa ſalute Theopompus ſic tandem reſolvit: quod te fatum, optime ſenex, in aſperam hanc ſpeluncam, tanquam in ſepulchrum intruſit adhuc vivum & compotem ſpiritus? Siccine inter brutorum ſpelæa canos trahas? an tanquam Trophonius aliquis diutino ſilentio, & jejunio ad vaticinium mentem præparas?

Cui ſenex: ego ab uno pene ſeculo hic inter feras quod reliquum eſt vitæ, inter commercia cœli traho, fili; ſcire enim te volo me jam Neſtoris annos vidiſſe. Hæſit ad has voces princeps Gallico gelu frigidior, tres Neſtoris ætates ſecum revolvens, quas iſte ſe vixiſſe jactabat. Tum ſic ille proſequitur; cum viderem vaſtari urbes aſſiduis cædibus, vicos civili cruore tingi, templa exſcindi tholis, ac ſolo æquari, & quaque incendium ſerpere atque graſſari; denique ad fœda plebem ſacramenta adigi, & jura divina, humanaque violari imminenti exitio cervices ſubſtraxi, & diſcedens è ſociorum Saronitarum collegio, quod videbam naufragio proximum, anchoram ſuſtuli, obſecundantibus ventis ad hunc portum appuli, & ſecurus hoc antrum ſalutavi, attendens qui curſus rerum, qui futurus exitus. Videtis me, hoſpites, mihi credite, & hic cultus & vivendi ratio meæ gentis dignitatem ſubtiliſſima vitæ ratione mentitur; quippe magnis parentibus natus in hanc communis vitæ ſimplicitatem mea ſponte, & clandeſtinis conſiliis deſcendi, jam illud olim ſcilicet cognoſcere potui quantis caſibus humana omnia vertantur, & nihil tam ſecuris radicibus niti, in quod

vio-

violentia fatorum non valeat. Nam ut ego in altiorem gradum evectus fueram, eo magis obnoxius tempestati, inconstantiam fati intacto remigio tandem evasi. Quis ægritudines animi, quis spem implacidam aut pervigiles curas nunc metuentis ruinam, nunc aliis imminentis exponat: quæ omnia mihi videbam instare; vitam scilicet sollicitudinum sentibus horrentem; mortemque successuram quæ in ultima aulæum tolleret, & quam vana sint omnia, aperiens, veluti puerorum ludum finiret. Audiveram quæ sapientes de æternitate mercedis aut pœnæ proferebant; atque inde natum fastidium præsentium, studium futurorum. Neque languide ambitionis & potentiæ supplicia effugi. Nam cum me destinatum audirem ad artes theatro, arenæque similimas; cum super hæc omnia (sed nunc etiam hoc tam alto vulnere illa quæ post tam longa temporum spatia consenescere debuere, recrudescunt) cum inquam super hæc omnia apertis Tartari faucibus omnes furiæ, monstra omnia, communi quadam consensione in has oras erumperent, & more torrentis certo carentis alveo per plana, per confraga quasi obicibus raptis devoluta illuvies obvia quæque demeteret, eo me gurgite brevi abripiendum ac sepeliendum prospiciens, nisi fuga saluti consulerem, in hoc antrum tanquam ad aram me recepi, & hanc cæteris communis vitæ commodis eremum prætuli, quam ipsa natura plurimis ad vitam sustentandam necessariis cumulavit. Iô nunc exilia atque luctus, iô mortalium scelus & fraudes, iô nunc cessistis triumphanti: jam de fluctibus extuli pedem, jam evasi de naufraga rate, & arenulam securis osculis adoravi. Et nunc de littore Oceanum lustro, cautesque & vada quibus me iniquior tempestas elisit, gratissimo horrore contemno: hic me miseriarum pelago vagum humanior portus accepit, hic tranquillior aura demulcet.

Hæc

Hæc ovanti ſimilis referebat vir dulciſſimæ conſuetudinis, & in quo nulla ſeveritatis triſtitia liberalem arctaverat frontem: & noſtra conſuetudine delectatus cœpit hortari ut in ſtratis ex ceſpite ſedilibus hoſpites membra levarent: & illi præter eximias virtutes ſenis ætatem quoque reverebantur, & non ſecus ac invitati fuerant juxta antrum in compoſitis glebis ſeſſitant. Tum ſenex; quid porro mi hoſpes, ad aulicum ſe converterat utpote grandiorem natu, an rurſum bella, civileſque tumultus Gallias infeſtant? an rurſum graſſantur monſtra pluſquam Lernæa? an Centauri iterum debacchantur? an Typhœi, & Enceladi, & Briarei, & cætera Gigantum natio ſæviunt iterum in eos quos jus & pietas ad ſolium evexit? interfatus Theopompus ad enſem reſpexit, & ſi quid, ait, rurſum audeant hi filii terræ, ſciant hoc ferro ab axe quem temerè invaſerint, jam jam deturbandos, & novum Herculem orbi ſupereſſe qui Centauros, Hydros, Antæos, Briareos cæteraque monſtra furori ſuo mactet. Exoſculati impetum regii animi in puero, applauſere dicenti ſenex, & aulicus; & prior quidem cœpit exclamare ô ſordidi terræ amatores, iniquitatum bajuli: ô capaces ſcelerum mentes, an peccandi libidinem nondum explicuiſtis? uſquene Eryннis ad arbitrium imperabit? mox intelligens qualis & quantus eſſet puer, ut ad imperia natus, utque de Diis optime ſentiret per omnem jam à puero virtutem excultus cœpit laudare indolem, ſupra genus extollere pietatem, & ab humilitate voluptatum quæ in aulis familiares ſunt per veræ fœlicitatis iter deducere, virtutis elegantiam regiæ menti imprimere, & veram nobilitatem è ſuo fonte derivare, docens ſolam apud Deos eſſe libertatem ſi quis abdomini non ſerviat, ſi à vitii tortuoſo calle diſcedat, ſi libidinibus non obediat, ſi faſtum animi reprimat, ſi inordinatos animi motus cohibeat, ſi com-

ſi comprimat ſubitos irarum fluctus, ſi frænum cupiditatibus ponat, æſtus laſcivientes carnis compeſcat. Nonnullis ſolet nobilitas generis parere ignobilitatem mentis. Enimvero quam ſæpe vitiorum omnium fomes eſt nobilitas, dum contenta virtute majorum libidinum fræno abrupto omnia ſibi licere putat, dedignaturque vel ipſos Deos, quos ſæpe ſcommatis perſequuntur, aut ſi ſuis votis non obedierint, objurgant, minantur, impiis, ſacrilegis, furioſis vocibus laceſſunt. O ſordidi, ô impuri & ſuperbi homunculi, ô ſcelerum omnium capaces, nondum maledicta veſtra conſumpſiſtis? ſiccine à paternis honoribus degeneraſtis? neque niſi per cædes, ac furores, perque flagitia omnia nobilitatem veſtram oſtentatis? ille clarus, ille ſublimis, ille nobilis, ille tunc è plebis tabula evectus eſt qui dedignatur ſervire vitiis, & ab his non ſuperari. Quid enim prodeſt ei quem ſordidant mores, generatio clara & illuſtris? aut quid nocet illi generatio vilis quem mores adornant, ipſe ſe vacuum omnibus bonis exhibet, qui ſolos jactat parentes. Stannum de argento egreditur; ſed argentum non eſt. Melius eſt homini ignobili qui primus gentem ſuam illuſtraverit, quam nobili qui genus ſuum infeſtarit. Lugendum tamen quod nobilitas cum virtute conjuncta in paucis cernitur; pudet ſcilicet non eſſe ſceleſtos & ſacrilegos; pudet ſubjici Divis, & eorum ambire gratiam, quaſi ea non indigeant. Proh ſcelus, itane vero nobilitatis mores ſunt, ut ambitioſior ſit qui nobilior eſt, & vitia jam ex eo quod nobilibus ſunt familiaria, infamiam omnem exuerunt? ego hos ſolos nobiles puto in quibus ineſt virtus majorum. Neminem excelſi ingenii virum humilia, & ſordida delectabunt. Quam ſit inane quam futile nobilitatis nomen quis non videat, quæ in injuriis ſive contumeliis referendis poſita ſit, neque ad claritatem virtutis aſpiret. Scilicet hi geſtant in Aſtraga-

lis nobilitatem, & ſolum hunc honoris titulum ſervantes, ignobilitatem mentis induunt, dum à paterna laude deſciſcunt. Ergo legitimæ, atque genuinæ nobilitatis, Princeps ſereniſſime, hoc illuſtre exemplum habe.

Poſt extinctum Regem Spartanorum, imperium contingebat fratri, niſi ſi quis ignotus hoſpes officeret. Interim prægnans Regina partui proximam ſe credebat. Hæc itaque ad illum hoc exemplo ſcribit maternam indolem exuens. Non ſine ingenti meo mœrore conjugis mei ultimum fatum ferre me potuiſſe facile tibi perſuaſeris, fortiſſime princeps, ex quo ſtatim ad ſceptrum quaſi hæreditarium advolaſti. Verum teneri te legibus patriis non inficiaberis. Scias ergo velim me gravidam maſculum fœtum forte ſolio pariturам, qui te ex occupato axe deturbet, & in ordinem redigat. Quis tamen neget imperium exquiſitum eſſe ferculum quod ſemel deguſtatum, ægre evomitur. Tu tuis conſule rebus. Poſſum hauſto pharmaco voti compotem te facere, tuamque firmare coronam, quam alter tibi poſſet alioqui eripere. Unum te rogo, ne immemor beneficii tanti vivas quod abſque vitæ meæ diſcrimine vix poſſim tibi aſſerere. Hæc Regina animo pluſquam novercali. Verum regius ac vere nobilis fratris animus deteſtari nefarium mulieris ingenium, & morem geſturum ſimulans, ne quid illa in fœtum novercale auderet, ad eandem reſcribit de abortivo non ſe laborare quidquid id fuerit: & cum cœperit luce frui poſſe nullo negotio de vivorum albo deleri. Hoc negotii penes ſe fore, ne quid illa ſollicita eſſet. Ubi vero noverca hac ſimulatione eluſa marem enixa eſt, Princeps ulnis comprehenſum, aſſidentibus proceribus, coacto populo, regiaque purpura coopertum extulit; & regnet, inquit, apud Spartanos jus, & pietas, vivat Rex ille veſter, legiti-

gitimuſque princeps, cujus clientem me ſciatis volo. Per Jovem non ſic ille cujus hæc erat una vox, ſi violandum eſt jus, imperii cauſa violandum eſt: aliis rebus pietatem colas.

CAP XIII.

Senex frugibus excepit principem, mox eundem à regnandi cupiditate inſana conatus eſt avertere. Confirmat Gobrias, annuitque Theopompus dum tyrannicam ambitionem damnat, cujus rei exemplum à ſene profertur.

Identidem ſenex erat laudator avorum, & ætatis præteritæ præco parum importunus: quanquam gestiebat ad has narrationes Theopompi puerilis indoles, ſed ſcientiæ avidiſſima. Simul his ſenex in ſpeluncam penetrans recentes ficus in lance fictili hoſpitibus ſuis porrexit; quibus addidit mala aurea, & citrea, in quæ ſatis avide manum injiciens regius puer aridam ſitim extinxit, ſimulque animum ad fabulam comparavit, cui ſenex annuente pariter Gobria, ita præluſit.

Sic innata eſt humanis mentibus libido regnandi, ut jura divina, humana que violet, perduelles foveat, tumultus excitet civiles, incendia miſceat, confundat imperia, & omni jugo inſolenter excuſſo, ambitioſis conſiliis atque conatibus, nihil reliquum faciat. Hæc patruos olim per neces Germanorum ad ſolium excivit; hæc etiam parentes ipſos ad inhumaniorem ipſa inhumanitate barbariem provocavit; hæc ipſos Deos, Saturnum putatote, in propriam armavit ſobolem: ut omittam Danaos quos eadem regni ſacra fames ad immaniſſimum toto orbe parricidium, non unum, ſed multiplex, una nocte, quinquaginta filiarum manu conſcivit; ut fileam dextras fraterno ſanguine maculatas. Quo non mortalia adigit pectora illa regni fames! Principes ipſos tranſverſos agit, conſanguineos mutuo certamine inter ſe committit, non ipſi parcit

affinitati; sed proprium lambit cruorem. Cujus tam atrocis ambitionis citra modestiæ terminos semper excurrentis exempla Gallia nostra sæpe vidit, & inhorruit.

Ad hæc Gobrias: prorsus impotens ambitio, & imperandi cupiditas omnium semen est, & causa malorum. Hæc de radice subrepens superbiæ potentiam ambit, ambit & honores, ut inde vires habeat ne prematur, hinc reverentiam, ne vilescat. Dum ergo invalescit ambitio calcatâ æquitate procedit injustitia, & tyrannidem agitans omnia quibus illa crescit, exequitur. Bella civila majores nostros afflixere Regum ipsorum dissidio, quorum bellorum potentissima fuit causa regni claustra proferendi cupiditas. Ambitioni sua est temulentia, neque enim in summo stare fastigio diu incolumis potest: & quo altius provehitur, eo periculosiorem casum pertimescat. Ergo præcipua virtus est negligere gloriam, nec summa laus est ambire laudem, quæ magis sequitur fugientem. Mox conversus ad Theopomp. Spartanum illum non vulgaris virtutis Theopompum, quem æmulari non detrectaret, ob oculos ejus objecit. Is, cum Pylii decretum edidissent, quo sibi summos honores tribui intelligebat, ita rescripsit: mediocres honores ipsum tempus auget, immodicos abolet. Hoc animo quid excellentius? Quod alii sibi aut vindicant arroganter, aut inepte ambiunt, hoc ultro sibi delatum rejecit, simul & suam declarans modestiam, & amicos admonens, in omni re modum esse optimum. Quin & illud acute perspexit, quæ subito crescunt in altum, non esse diuturna & lapsu graviore plerumque quassari.

Abrumpit Theopomp. Obex est magnitudini imperii tyrannus, neque ibo inficias, idque frequenti dissolvetur hercle dissidio, unoque pene momento interibit, etiamsi longa annorum series illud firmaverit: dum-

Digitized by Google

dumque minuitur poteſtas, mutilantur opes, reip. nervi debilitantur, mole ſua obrutum imperium in civium caput ruinam trahet. Nulla enim civibus quies, omnibus perturbatis, nulla ſpes fœlicioris ſtatus affulget, rebus debilitatis: ſecurus nemo ab inteſtino ſcelere: paſſim rixarum certamina atque cædes, dum ardent omnia partium variis ſtudiis: ubique bella, contentiones, odia, ſimultates, jurgia, lites, inſidiæ, vaſtatio, depopulatio, deſolatio, dum nulla concordia quam nexum Homericum, cingulum Veneris, naturæ ſymbolum meus Theander ſolet appellare, ſolito nexu invicem cives conjungit. Denique juſtitia deſtituitur, dum regnum precariò obtinendum ambitur: Religio deſeritur, dum quiſque effræni abreptus impetu, habenarumque impatiens, abruptis vinculis omne jus, & jugum inſolenter excutit, atque in omnem libidinem ritu ferino, & ad arbitrium effunditur. Vitia regnant dum nemo eſt qui mores caſtiget: virtuti locus nullus ſuper, dum Tyrannus factus popularis frænum libidinibus civium remittit: leges intereunt aut languent, dum è judiciorum laqueis evadunt improbi, & ſui quiſque juris eſt: eſt enim ingens peccandi illecebra, impunitas. Quæ quidem ego & à præceptore meo ſæpe audivi, & experimento non raro didici. Nam ego inter bellorum tumultus editus in lucem vidi, quamvis impubes, & nondum ſatis adultus, vidi tamen regna non pauca impotentia dominatus proſciſſa, ac pene ſubverſa.

Tum ſenex abruptum ſermonem reſumens, Ego, inquit, ſi per omnium retro ætatum annales excurrerem, dies me deficeret. Eſto hoc unum inſtar omnium, cujus ſcena Galliæ noſtræ fuere. Et ô ſuo periculo, atque damno cautior ſaltem in poſterum hæc ora exiſteret!

CAP. XIV.

Exponitur historiæ altius repetitæ series, uti dolo malo extincto Rege Demophilus tyrannidem cautius invasurus ad ejus filii necem seducit Lentulum, qui mendacio regens iniquum imperium rusticum Theopompum credit, ejusque matrem confectam luctu Damon consolatur.

Deinde rem altius repetens senex ita pergit. Olim quidam Demophilus hoc impotenti œstro dominandi percitus; sed & ipse cunprimis perduellium fautor, quo potentiam suam per fas & nefas indies promoveret, factione sua ferox omnia ferro flammisque vastabat, ne ipsi quidem parcens regio sanguini, quem plerumque cæco marte impetebat. Sublato suis artibus Sebusianorum inclyto principe Lugdo, parem fœtui posthumo necem moliebatur mendacis specie officii sæpe Reginam eludens; cui author est ad Ataulphum Iberorum Regem filii unici traducendi, & imbuendæ in hac aula regiis disciplinis ejus adolescentiæ. Ipsicratea parens in tyranni sententiam ægre ibat, versipellis dolos reverita, neque perperam; siquidem aliud nihil recoquebat iste nisi furtivam principis ætatem ineuntis cædem, & imperii tyrannicam invasionem. Hæc præsentiens puer, dum fata exsævirent, latendum putavit, neque mora captato tempore & adjuvante Damone in tyranni ultimis, aulæ oculis se furtim subripuit, & in agros penetrans in villis satis remotis aram invenit.

Ubi constitit abesse principem, par omnium animos horror suspendit. Lentulus vero cujus disciplinæ atque custodiæ puer traditus fuerat vix sui compos aut ullius satis salubris consilii patiens esse potest, non voce, non consilio suppetente. Is triennio toto non cessavit dignos questus in cœlum expedire. Ergone periit Regni columen, meus Archander, meum quondam delicium, nunc supplicium? quis te prædo vel Cyclops

clops noſtris tam repente ſubtraxit oculis? ô fors fortuna quam inſtabili vultu nos intueris Eriſichthonis Methrâ mutabilior? tot luſtris florentem te habui; toties litavi tibi: nunc vero quam adverſam te experior. Quæ me procella proſpero curſu euntem in Syrtes jactavit naufragum? vivis num jaces mi Archander? ſi jaces ubi oſſa? ſi vivis quæ te terra? hæſitque vox impedita ſingultu, nec plura permiſit dolor. Sed anxius Lentulus mille mæandros implicat, incaſſum fert ora huc & illuc; nulla eſt regio, nullus cœli tractus quem non obeat.

Aſt ubi Ipſicrateam matrem funeſti nuntii horrore implevit, qui luctus in aula? quæ plaga quæ non cureret perluſtrari princeps orba viro æqui ſervantiſſimo, nunc vero etiam filio unico deſtituta? illa detritam curis & luctu ex ea die trahebat animam.

Damon è purpuratis qui & author & conſcius fuerat fugæ Archandri quique hunc mutata ſervitio veſte apud villicum pacta mercede locaverat, dum Demophilus ad indicta comitia profectus eſſet, Damon inquam morbo moram obtendens in thalamum Reginæ penetravit, nulliſque ambagibus luctu languentem ad inſperata gaudia inſtruens, ancipiti gaudio ſic implevit: dolorem prætexui tuum deterſurus, ſereniſſima, accedo fauſtiſſimi nuntii bajulus. Illa ſpem metumque inter dubia obmuteſcere donec Damon initiatum ſermonem exequutus, Tuus, ait, Archander; nec illa Damonem plura parantem, paſſa eſt dicere, torſit funeſta vox viſcera matris quæ in ſolitas ſtatim querelas abiit.

Te peperi infœlix, te blanda ad pectora preſſi,
Scilicet ut matri funera mille pares.
Si mihi nota foret regio qua nate, pererras,
Inciperet tantus mitior eſſe dolor.
Ipſe daret pedibus celeres amor anxius alas,

Præcipitique iram per loca vaſta fuga.
Impavida hoſtiles penetrarem fœmina campos
Objiceremque libens caſibus ægræ caput.
Incuſabo Deos, ſi tot cœleſtibus iræ
Quin ſacrum ætherio mergitis igne caput?

Mox tamen conſiliis æternis parens naturam increpabat intemperantius orbitate nati dolentem. Excepit purpuratus, Dii meliora, latet ſub degenere panno in agreſti caſa Archander tuus. Rurſum pupugit materna viſcera nati memoria, & illa quaſi illudentem ſibi Damonem, ægra ſummovit: qui & ipſe obſtinatus ſic inſtitit, incaſſum tot gemitus, filius tuus vivit. Vivit, Ipſicratea retulit, & vivet quandiu vixero, intimis præcordiis afflictæ matris. Verum feralis memoria nati ſpiritus mei vigorem ſenſim extinguet: meus hic dolor, meum vulnus, neque hoc lacrymandum exordium, juſtum hunc naturæ impetum poteſt conſumere, ibo, ſequar, amplectar inter manes filii umbram Tum ille ſuperos vindices ciens rurſum inſtitit, gaudes genialis thalami pignore, & tamen doles. Ego indole pueri & tuo dolore fractus ſervavi tibi Archandrum tuum & fido imprimis colono commiſi. Ergo accipe ſaniore mente gratiam faventium tibi Superum, qui ſoſpitem tibi filium per tot fatorum ludibria ſervatum reponent. Illa in tanta ſpe adhuc caligans ſubjicit, non inficias eo, Damon, hunc ſoſpitem vivere qui ætatis flore, virtutiſque bivio demeſſus mortalitatem exuit: ſed fare, ô echo languoris mei, neque ultra meum differ gaudium, quid Archandro meo factum? & quî ſcis incolumem illum quem à biennio toto non videris? imo Domina, vix inquit à biduo; & in ipſo congreſſu præſagium hauſi. Ad hæc Regina ad ſpem ac vultus redeunte ac ſollicitante. Ecquid nam præſagii? Sic ille jaculabatur ad palum in agreſti palæſtra puer ad Imperia natus, & (ſi qua ſortibus fides) Titulus Regis, cum faſciis

Digitized by Google

faſciis præmium erant ad ſcopum collimanti: verum ſodalium jaculis in vanos ictus cadentibus, Regius puer auſpicatur à victoria: vix enim contorſerat, cum aſpirans votis numen ad metam collineavit. Itaque dum Rex â ruſtico agmine ſalutatur, mihi illuc adventanti præſagio fuit, ut ſpero non inani. Ego puerum palmarem dum oculis luſtro, ad inceſſum ejus minime ruſticum hæreo, & notos jam olim vultus recognoſco. Poſtea ſeductum à turba ſic alloquor. Ades ô præſidium afflictæ domus, lumen dubiis rebus futurum; oppido lætor te ſoſpitem intueri. Cyri præſagium haurio te victorem ac Regem in hac palæſtra aſpiciens.

CAP. XV.

Proſequitur incœptam hiſtoriam ſenex, docetque uti puer colono creditus dum feram inſequitur, abductus eſt à prædonibus, & dum inter captivos ſeligitur, inter regios ephebos eruditur, demum à Regina matre agnoſcitur. Denique de tyranno victor exiſtit. Ea narratione delectatus puer ad turbam ſe recepit.

His Regina auditis jam effuſa in gaudium Damonis collum inter ulnas ſuas preſſit & puerum ad ſe reduci rogavit, clam Demophilo erudiendum iis artibus quibus Regii animi ad regia munera extolluntur. Jamque ad obſequendum ſe Damon accingebat; neque mora, ad ruſticum hoſpitium ſe contulerat ſpe reducendi furtim Archandri. Sed ô inconſtantis fati levitatem! Colonus obvius fuit Damoni intemperante luctu ingratum omen hoſpiti offerens: quod ille ſatis conjiciens de puero cui timebat imprimis, cœpit hominem percontari, ut ſe haberet? an incolumis ſoſpesque viveret? ſed homo dolore mutus oculorum nutibus ſatis ſuum dolorem & jacturam pueri ſignificabat. Urgente tamen purpurato, ſic vocem quam doloris acerbitas impediebat tandem laxavit: pridie hujuſce lucis proſpectam feram dum agitabat, dumque inſta-

bat jaculo in amentum aptato, & impigro curſu ſenticeta penetrabat prædæ cupidus, ipſe excurrentium ac palantium militum præda factus familiam noſtram horrendo luctu implevit.

Hoc fulmine percuſſus Damon incerta mente agitur, & doloris atrocitate torpeſcit inſcius Deoſne an ruſticum accuſet, ad Reginam repetere gradum debeat, an ſe ad veſtigandum equis, velis Regium puerum convertere. Enimvero qua fronte coram Ipſicratea ſe ſiſtere audeat, & quo ore opem interverſam nuntiare? an illa par erit doloris gravitati? in hoc Euripo fluctuantis ſubiit mentem ad exercitus ſe conferre, & quantacunque mercede illum redimere quem à militibus ſubreptum accepit. Author hujus belli Salios inter & Hæduos tyrannus Demophilus, quippe cujus impotenti libidini non erat ſatis, ut Sebuſianorum clavum Regina ceſſiſſet, niſi & ea quæ Rheno, Rhodano, Alpiumque jugis clauduntur, iniqua vi armorum invaderet.

His forte diebus accidit ut capti bello de ſententia Demophili raperentur ad ſupplicium, hos enim alligari ſaxo, & in Lemanum lacum præcipitari barbarus homo lictoribus præceperat; fuit inter captitivos juvenis, quanquam in calamitate, optimi tamen & conſtantis vultus, & magna præſagientis, quem cum Regina miſerabilibus oculis periturum ſequeretur, repente concuſſa pietatis ſtimulis hunc (quamvis ignotum) ſibi à tyranno magnopere poſtulatum tandem impetravit; quanquam ad ejus conſpectum Demophilus non aliter quam ad revelatam Perſei parmam obrigeret.

Itaque Reginæ nomine ad Lentulum adducitur ut inter palæſtritas Regios ſub ejus diſciplina Pentathlo juventutem ſuam exerceret. Attamen ubi primum in conſpectu ſtetit, ſtatim Lentulus incertiſſima mente quaſi ad notos olim vultus hæſit, donec ſuccurrens

Damon, qui anxie luſtrando hæc de puero audiverat, omnem dubitationis noctem eluctatus eſt; certiſſimiſque indiciis erectior factus, abducta in ſecretum præda, remotis arbitris gaudium diutius non cohibuit, ſed in lætas haſce voces laxavit; ergone ades Imperii pignus, delicium atque ſupplicium matris, ſumma votorum ades! abrumpit Lentulus, neque ſe ad improviſa gaudia continuit, ſed in has quoque voces erupit. Ergo redditus eſt nobis ille Atlas cujus humeris Imperii moles incumbet? iô luctus & lamenta, cedite publicæ ſalutis vindici, quem Rhenus & Rhodanus, pelagus atque continens patrem patriæ, tyrannorum victorem aſpicit. Lateat hydra factionum, horreſcat quidquid ſceleris Titanum fæta cruore tellus evomuit, & quidquid rigoris inhoſpitalis Caucaſus aluit. Interim diſſimulandum tibi Archander, dum tempeſtas exſæviat.

Flebile principium melior fortuna ſequetur.

Dum Lentulus atque Damon lætitiam potant in Archandri amplexibus, non advertunt ſe mœſtæ parentis & reperiundi filii ſpe quaſi dejectæ moras nectere. Itaque ambo Reginam adeunt & prior quidem Lentulus eam aggreſſus eſt. Vivit tandem ſoſpes Archander tuus, ô Regina, iſque duplici titulo debes tibi quod vivit. Nempe, ſubjicit illa, in agreſti tugurio vel ſpeluncis ferarum? Adhæc Damon, in domo Lentuli. Quæ monſtra aut ludibria inquit Regina. Et Damon, ſic nobis fortuna illuſit. Nempe inquit illa? nempe adddidit iſte, prædonum in manus cum veniſſet, nulla mihi ſpes reliqua quamobrem in deſperationem actus, ſtatui non reverſurum niſi ſalvo ac reduce Archandro tuo. Et Lentulus adjecit ubi conſternatis Hæduorum copiis receptui cantum eſt, ad Demophilum inter captivos adductus eſt, moxque duriſſimæ morti addictus, tandem ope tua, licet ignotus tibi, ſer-

ſervatus, mihique traditus. Jam inter honorarios indole ſua conſpicuus tyranni antiqui vultus obliti gratiam iniit, ſic apprime iis eruditur artibus, quibus ingenia ad magnæ fortunæ cultum excitantur. Igitur quatenus poſſis pignore tuo ſaltem raptim frui & filium recipere in oſculum, ſuccede dubia luce, ſic enim fiet ut nullius invidiam incurreris.

Geſtiebat interim parens, & pariter languebat cupidine amplexandi nati; nec prolixiorem moram paſſa ad Lentulum erupit veſte mutata ſervitio. Ædes ingreſſa anxiis circumquaque luminibus luſtrat, ſi forte in vultus nati incideret; & quem paulo ante non potuerant, nunc una indice natura inter patricios ita recognoſcit. Archander equum quem ſolertius flectebat nemo, nunc ſegnius euntem virga effundebat in curſum, nunc intemperantem coërcebat, cincinnis per incenſam frontem ſine lege ludentibus.

Lentulus ſecretum in Thalamum de ludo calentem elicit digiti ſigno acceſſum jubente; Hic immodico æſtu lætitiæ abrepta Regina expreſſis gaudio fletibus in filii collum ruit, donec optatis perfuncta oſculis, mutiſque nutibus filium ſæpe contemplata, ſic os tandem reſolvit. Es ne ille natus? membra lætitia ſtupent. Ergo revixiſti, mi Archander, certa & ſera genitricis ſalus? tu ne es? agnoſco toros, oris veneres, antiquum vigorem. Non eſt ambigno locus ô Lentule, ô Damon vivit Archander meus, neque fati neceſſitatem rupit humanis conſiliis Demophilus. Tu Lentule eſto Æſculapio meo ſtrenuus Chyron & regium animum regiis diſciplinis imbue; tu vero Damon, eſto Damon tuo Pythiæ, fiduique in ultimis ſic te ſemper exhibe: evectus in patrium ſolium natus meritam utrique mercedem, & officium mutuum rependet.

Ut paucis abſolvam, aliquot menſibus evolutis Archander generoſæ pubi prælucebat regiis artibus, & com-

commilitiones non paucos ſibi demeruerat, cum profecto in Liguriam tyranno idoneum recuperando imperio tempus hoc viſum eſt principi. Itaque captato tempore primores Regina pertentat, ſibique conciliat. Tum dicta die, convocata per præconem concione Regni hæredem multitudini prodit. Qui plauſus! neque mora, ſcuto ſublimis per compita, triviaque circumfertur, Rexque à plebe ſalutatur, luctu interim marcentibus Demophili clientelis. Poſtea in forum procedens ex regio tribunali emicabat, leges alias fixit, alias refixit, novo ſacramento militiam adegit, donativo congiarium addidit: Lentulum ac Damonem in alias urbes præmittit, qui civium fidem aſtringant. Pauci ſunt qui novo Regi non ſtudeant.

Admonitus interim Demophilus nulla temporis mora interpoſita gradum præcipitat indignatione & bile calens: turmaque tumultuarie compoſita regiam cum rege obſidet; quod indigno ferens animo princeps fortuna ſua major, auſus eſt facinus quod hujus ætatis virtutem, omnemque fidem ſuperet: nam egreſſus in primo prætorianorum agmine ad æmulum advolat, qui ſe quæri ab impare indignatus haſtam in caput ejus intorquet: qua levi cervicis declinatione eluſa infamis tyranni pectus gemino telo Archander trajecit eo ſucceſſu, ut expirabundus ex equo prolapſus capillo humum verreret. Mox cæteros juſtus timor in fugam avertit. Perculſis tamen inſtandi nequaquam conſilium fuit; ut victi perduelles clementiam victoris poſſent experiri; domitiſque humanitate potius ac mitiſſimæ dominationis genere quam vi armorum, aut ſubjecto ſui terrore cæteras urbes amica vi, & gratiſſima ſervitute ſibi manciparet.

Tam inſolita narratio mentes omnium arcanis quibuſdam aculeis pertentavit. Sed ipſe cumprimis Theopompus in ea virtutis Archandricæ commemoratione

mirum

mirum quantum delectabatur; & hunc animum arbitrabatur satis laudari non posse. Et adhuc erat in illius ore dictio, cum lituorum cantus, & latratus canum venaticorum cominus auditus, feriit aures concessus illius, & inusinuatos sermones intercidens mentes omnium ad hoc discessus indicium cito convertit.

Itaque Gobrias cantum esse receptui indicans principi, simul equos expedivit; & Theop. in equum insiliens, ad litui cantum iter ad Regem flexit, & ad eum sine mora pervenit. Ad subitos accessus filii obstupescenti Regi Theop. omnia quæ sibi contigerant ex ordine exposuit: quibus delectatus pater, ad regiam iter cum præda multa prosequutus. Eoque cum turba venatrix perveniisset, Argenis toto impetu in filium nati provolavit, & strictis amplexibus collum ejus ligavit. Secutus est ipsius & omnium plausus; sed non absque correctione materna, quod filius adhuc puer in id discrimen caput adduxisset. Reliquam lucem festiva hilaritas absumpsit: nocte vero appetente in secretum à parentibus domicilium Theopompus ad Theandrum se recipit.

ARCHOM-

ARCHOMBROTI ET THEOPOMPI
SIVE
TERTIÆ PARTIS
ARGENIDIS
DE
EDUCATIONE PRINCIPIS
LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

ARGUMENTUM.

Theander ad amorem pudicitiæ animum Theopompi impellit; quibus præceptis talis animus imbutus ad ipsum vitii nomen excandescit, ad virtutis laudes excitatur.

THEANDER vigilantissimus Theopompi sui Argus, crediti sibi principis adolescentiam quibus poterat modis excolebat, & moribus informabat bonis, in propensiones innatas, & insitum à natura pondus gnaviter intuens. Sæpe pudicitiæ amorem & verecundiæ puerilis omnibus eloquentiæ suæ nervis ingerebat, docens eam esse florem morum, honorem corporum, decorem ætatis, virtutis altricem, fundamentum sanctitatis, donum Deorum, nobilitatis notam, ingenuæ indolis tesseram, præjudicium bonæ mentis, bonorum omnium semen. Noverat quippe prudentissimus vir raram esse virtutis hujus cum aulæ deliciis mixturam, ideo hanc verbis magnificis inculcabat, disciplinâ assidua ingerebat, strenua censura reformabat; siquidem omne animi bonum aut nascitur, aut

eru-

eruditur, aut cogitur. Addebatque non esse credendum formæ vel alienæ, vel suæ; utpote quæ cum ætate contabescat; hanc jure modici temporis tyrannidem, tacentem fraudem, eburneum damnum, regnum non egens stipatoribus appellari: inde magnos sumendos animos, & elatos spiritus hauriendos, ne gladius à vagina concinnata discrepare videatur: neque enim frustra jactatum à sapientibus radium æternæ mentis formam esse, & interioris hominis indicem; naturam ipsam magnis mentibus domicilia corporum digna metari: ex vultu vero, & decore membrorum posse colligi, quantus ille cœlestis spiritus insideat; nam augustissima species plurimum è cœlo trahere creditur, quamvis non pauci ea abutantur ad vitium. Tanta autem est vis illius, ut Helenam obruturi molibus lapidum Achivi ad vultus illius, & frontis veneres statim lapides demiserint, intactamque reliquerint. Num eadem forma cuidam Phrynæ pro clypeo fuit, cum ad tribunal evocata judicum oculos ita fascinavit, ut indemnatam & absolutam dimitterent? hinc formosis à primo statim aspectu benevolentia conjungimur, & eos nonnunquam veluti Deos colendo non defatigamur; libentius eis inservimus quam aliis imperamus, & eo majorem illis habemus gratiam, quo plura nobis imperarint.

Pulchra rosa est, sed tempus eam marcescere cogit:
Vere nitet viola, at subito decocta senescit:
Lilia canescunt, subitoque cadentia marcent:
Candida nix abeunte gelu resoluta liquescit:
Forma decus puerilis habet; sed labitur instar
Floris Ephemerii, nec seros floret in annos.

Fluxam tamen, & inanem scias esse formam, nisi filii, nisi hæc virtutem comitem habuerit, qua ratione & Dii, & prisci Heroës à laudum suarum præconibus Pulchri dicti sunt. Ne ergo inani fastu tumescas si te for-

formoſum natura creavit, at vide ut virtus formæ reſpondeat: & quoties eam contemplaturus ad ſpeculum te admoves, ſic temet alloquere, cave, Theopompe, ne quid ea fronte liberali, his oculorum vigoribus, & ſpecie tam honeſta, regiaque indignum præſtare audeas: decet quidem adoleſcentem eſſe facie liberalem, voce liberum, greſſu expeditum; ſed dedecent in eo vitioſi ad libidines ad iram, ad vanum tumorem, ad crapulam, cæteramque malorum catervam motus. Atqui in his vitiatæ naturæ motibus comprimendis nil puerili verecundia validius, & violentius, unde priſcus non temerè dictitabat alligandam pueris verecundiam ut equis ſtimulum, & frænum: ſolâ enim verecundiâ pueri bene à natura inſtituti poſſunt ab illa vitiorum ſentina cohiberi. Itaque & cuſtos eſt pudicitiæ, & pro majeſtate pueritiæ; nemo autem quantumvis impudens ad delibandam illius integritatem audebit accedere, quem hujus purpuræ majeſtate inſignem viderit: quin potius verecundia perfundetur quiſquis propius acceſſerit. Rubor iſte genarum quem verecundo pudor invexerit, quantum decoris, & gratiæ ſuffuſo vultui afferre ſolet? non hunc decus oris, pueritiæ majeſtatem, famæ cuſtodem, colorem virtutis, honeſtatis tutorem, fundamentum temperantiæ appellavero?

Regius puer talibus præceptis imbutus veræ ſapientiæ nomen dedit, & brevi ad eum ſplendorem morum provectus eſt, qui ſtuporem & amorem omnium ad ſe traheret. Adoleſcebat enim in eo cum ætate virtus, tantaque elucebat in ſermone gravitas, in colloquio prudentia in familiari congreſſu majeſtas, ut ſenem in puero nemo non ſuſpiceret, æmulumque paternarum laudum omnis Gallia prædicaret. Et hercle mira Theandri erat circa principem ſollicitudo, quæ nihil omittebat quod ei amorem virtutis, horrorem

vitii poſſet ingerere. Cavebat imprimis ne pueri urbani, ſive in aulæ deliciis enutriti inſontem animam ſua pice agglutinarent, moreſque pueriles ſua conſuetudine, corrumperent, & quod de Syrenibus loquuntur audientem per ſaxa, & naufragium ad imaginem voluptatis invitarent. Hæc eſt, inquit, illa ſimulata Juno quæ tot Semelas hodie prætexta Siderum pervertit, hæc crudeliſſima peſtis quæ orbitatem clariſſimis gentibus, & ſolitudinem fere reipubl. implacabili furore minatur.

CAP. II.

Theop. equum ſaltatorem dono accipit, & munus munere rependere geſtit, captaque occaſione Hæduorum mores edocetur: quibus Gallorum præſenti luxui comparatis honeſta vitæ ratione imbuitur.

Circa eadem tempora Theopompus equum aureis eximium phaleris & parem ætati principis ab Hæduorum Rege ſibi dono datum perlibenter acceperat, ſed qui tanta pollebat indruſtria ut ſe coram genua flecteret, & velut ex Sybaritarum diſciplinâ, ad præſcriptum cytharæ, vel tibiæ erecto pectore pedes moveret. Arſit impetu juvenili ad inſolitos equi motus princeps, & gratum animum offerenti ſignificare voluit, atque munus munere rependere: conſervandum ſcilicet hujus beneficii meritum novo videbatur: audieratque regium eſſe, vel par regiæ magnificientiæ nuſquam vinci poſſe officio, & longe glorioſius eſſe dare benificium quam accipere: ſatius eſſe principi ſi quem ingentibus ſupra meritum beneficiis devinxerit, quam ſi qui principem donis ampliſſimis obligarit: atque ita natura comparatos eſſe principes, ut eos magis diligant, quibus ipſi magna contulerint, quam à quibus beneficium acceperint. Ergo Theopompus torquem aureum quem geſtare conſuetudo erat, legato dedit, & ſuam operam, regioſque theſauros, ubi

per

per ætatem licuerit, Hæduorum principi non ingratus obtulit.

Poſtquam legatus è conſpectu deceſſit, quærenti Theopompo ecquinam illi Hædui ita Theander: hi Galliæ noſtræ populi ſunt, à nobis haud ita remoti, ſi Sebuſianos Interamnates excipias; Arvernis enim finitimi ſunt: Helvetii, & Sequani, quos inter & Hæduos aſſidua bella interceſſere ad occaſum vergunt, & juxta illos ex Alpibus fluit Arar. Gens hæc ad cultum Numinum, & ad omnem humanitatem propenſa, ignotoſque nobis Deos, imprimis vero Deum Mauriſcalcum præcipuo quodam cultu venerantur. Sed illa religio expers eſt humani cruoris: & ab Arelatenſium cruentis ſacrificiis ſemper abhorruit. Sed mira circa adoleſcentiam diſciplina; unde omnes ad omnem palæſtram exerciti indurata geſtant bello pectora, & per omnem humanitatem, virtutemque exculti nihil unquam indignum ſua virtute, formâ, ætate aut faciunt, aut loquuntur: docent ſcilicet à verbis obſcœnis abſtinendum omnibus, imprimis vero adoleſcentioribus, ſermo enim umbra eſt operis: & turpia facere ac dicere æque eſt indecorum. Sed & Perſæ non dicunt niſi quod licet facere, quippe quod & ipſi intelligant orationem animi cujuſque ſimulachrum eſſe. Sed & tu, fili, qualis es, talem te eſſe exiſtimes, ut quantum à rerum turpitudine abes, tantum te à verborum libertate ſejungas: quid prodeſſet vitiatæ menti decora illa facies, illa corporis dignitas, qua velut pulchro indumento pulchritudo animæ veſtitur? Marceſcit proh dolor! flante Auſtro lilium, & purpura violæ in pallorem ſenſim commigrat. Mox ille hanc narrationem illuſtribus effatis ſubjecit. In illa Etruriæ ora quæ Liguribus contermina eſt, nobilis erat non forma magis, quam genere, & proſapia adoleſcens. Is cum propter eximiam formæ dignitatem multarum in ſe fœmina-

rum amores excitaret, ad fœdandum illud decus oris, innatamque formam, faciem ſuam vulneribus multis ſauciavit.

Obſtupuit ad hunc ſermonem Theopompus interfatuſque retulit, tanti ergo illi fuit pudicitia mentis ut genas pro ea ſervanda vulnerare non dubitaret? Tanti inquit, Theander: hæc enim eſt vera pulchritudo, hæc ſumma nobilitas nihil agere quod formam, genus, familiæ decus dedeceat. Ut autem adoleſcentum optimam gratiam, ſummumque decus verecundiam, & pudicos mores eſſe confirmavi, ita ſummum nobilitatis ſplendorem puta in his poſitum: non enim vel apud Hetruſcos vel apud Hæduos, ut apud Perſas, & Spartanos, ingenuus flos ætatis in omnem laſciviem, & crapulam ſicut apud noſtrates effunditur: verum in virtutum omnium cultu gentilitiæ imprimis familiæ liberos ſuos volunt exerceri; & ne immatura hæc ætas petulantia efferatur, removentes pædagogum, aliquorum authoritate eam cuſtodiunt. Quoniam vero apud noſtrates non ea viget circa adoleſcentiores diſciplina, nulla cuſtodia, quid eſt mirum ſi in crapula, & comeſſationibus, in luxu, & omni petulantia, in temerariis auſibus, & omni protervia, denique in morum omnimoda inſolentia indiſciplinata hæc ætas traducitur non magis ad ſuam, quam totius gentis & populi infamiam?

Neque idcirco patiebatur vigil ille Chyron pravis abduci hunc, vel interniſceri ſocietatibus, ſciens quantum ex illo flore delibare ſoleat illa conſuetudo. Sed latera principis duo cingebant pari ætate adoleſcentuli, qui ſimul colluderent, uterque impubes, & anno decimo quarto minor; ambo florentes ætate, ambo genere conſpicui, & ad paria virtutis, & humanitatis ſtudia accenſi paucis dicam fortunatorum parentum matura ſoboles. Noverat Theander æmulationem acu-

acutiſſimum eſſe ſtimulum, neque eam uſquam niſi inter plures eſſe poſſe. Cum enim Eros minime creſceret, intellexit Venus eſſe neceſſe ut Anteros ſibi quoque naſceretur, quatenus hac mutua æmulatione accenſus uterque ſumeret vires ætatis.

CAP. III.

Theop. omni genere paleſtræ corpus exercet, quo animus vegetior ad virtutem evadit. Invitatus ad cœnam in triclinium Regum imaginibus illuſtratum ſuccedit. Mox inter convivia ingenium ſuum Regi probavit.

Theop. cum hiſce adoleſcentulis glorioſo ſudore plerumque ſolebat exerceri, & jam tum pulverem imperatorium meditatione campeſtri præguſtare: ſicque ille princeps ad ſumma natus quotidiano hoc exercitio roborari; quæcunque evenire in acie ſolent, & in velitationibus ac præludiis experiri: hinc Pancraticum atque Atlanticum illud robur quo ætatis ſucceſſu pollebat. In hoc incruento conflictu palmam Theopompus etſi ætate minimus ut plurimum referebat, tanta erat regii pueri induſtria; quis enim curſum tàm perniciter incitavit? quis palæſtram tam lubricus expedivit? quis ſaltum venuſtius & altius extulit? quis jaculum violentius contorſit? quis crebrius ad deſtinatam metam collimavit? nemo medius fidius curſu, luctа, haſta, diſco, pugilatu, ſaltu omni denique genere palæſtræ ſolertior potuit palmas & coronas illi præripere: non tamen rotando ſcuto vires erant pares, quo genere rotationis tum Galli cæteris antecellebant

Rutuli quibus arce cerebri
Ad frontem coma tracta jacet; tum lumine glauco
Albet aquoſa acies, ac vultibus undique raſis
Pro barba tenues perarantur pectine criſtæ.
Strictus aſſutæ veſtes procera coërcent
Membra virûm: patet his arctato tegmine poples,

Latus & anguſtam ſuſpendit balteus alvum.
Excußiſſe cytas vaſtum per inane bipennes,
Et plagæ præſciſſe locum, clypeoſque rorate
Ludus, & intortas præcedere ſaltibus haſtas.

Nam ſcuta de vimine in modum cratium rotundata texere mos fuit apud illos; ita ut duplum pondus cratis quam ſcutum publicum habere ſoleret: quatiebant autem ſcutum iſtud variis motibus, quo ſuam jactarent induſtriam. Neque minorem afferebat voluptatem animo regio Theopompi exercitatio ad palum, & ſaltatio quam à Græculo magiſtro, quem ex colonia Phocenſium Theander accerſerat, vehementi ſtudio ediſcebat. Neque minus illi equitatio placuit; ſed cui per ætatem vix ſatis robuſtam vacare vix licebat. Equi ſcilicet lignei hiberno quidem tempore ſub tecto, æſtivo autem ſub divo erigebantur, ſuper quos juniores primo inermes dum conſuetudine proficerent, demum armati ſolent inſilire & deſilire à dextris, vel à ſiniſtris; hinc apud Gallos equites non pauci, & ipſi equis domandis periti. Et vero univerſa natio hæc ingenti ſtudio Martis flagrant, animoque ſunt ad conferenda prælia ſtrenuo, & celeri, & alioqui mente ſimplici, & ab improbis moribus plurimum abhorrente; unde fit ut laceſſiti conferto certamine coëant, manuſque conferant ſignis collatis, nullum vitæ diſcrimen reveriti. Omnem perfidiam criminis omnium peſſimi loco habent; hoſte vero profligato jura gentium tam pertinaciter ſervant, ut truculentiam omnem à ſuis finibus proſcriptam velint. Hinc princeps ille quondam à proceribus regni indignus purpurâ eſt habitus, qui vixdum adultus aviculam in ſinu ſuo aſylum quærentem, dum accipiter illam inſequebatur toto alarum remigio, procul à ſe abjicere potuit: indignus trabea ille quoque reputatus nec immerito, cujus ludus erat, & ſummâ voluptas avibus oculos effodere

Unde

Digitized by Google

Unde apud Gallos ſumma circa puerorum mores obſervatio, quandoquidem hos excludere ſolio, illos promovere penes optimates erat quos virtus probaſſet à puero.

Ea luce Rex Aſtioriſtes filium Theopompum una cum Theandro ad cœnam invitavit. Neque moram ullam hoc imperium paſſum eſt: prodiit ex laribus ſibi aſſignatis cum regio diſcipulo in regiam; ambo in equis ſedentes, & ambo in triclinium docta Apellis manu variis illuſtratum tabellis penetrant Regem opperientes, interimque ad picturæ tot miracula obſtupeſcunt. Putares ſub coloribus docto penicillo adumbratis revixiſſe manes Regum Galliæ qui ad famam ſummorum Herorum proceſſere. Primas tenebat Samotes, quem & Ditem appellari mos fuit, illiuſque ibidem apotheoſis legebatur. Succedebat Magnus filius, conditor urbium. Aderat & Treverus Nini magni ſoboles qui novercale odium declinans aras & regnum apud Belgas invenit, urbemque ſuo nomine ingentem extruxit. Sequebatur Sarro Magi filius per omnem humanitatem & ſcientiam excultus: à quo Sarronitas Gallorum ſapientes appellant. Hunc Bardus Rex poëtarum fautor excipiebat. Tum Lingo unde Lingonum colonia. Eminebat Galatea, illa Herculis Lybis, & Galateæ proles, qui paternam de Herione jactabat victoriam.

Dum in ea contemplatione hærebant præſto adfuere Rex Reginaque quorum lateri adhærebat Gobrias ſpecie officii. Parentes regios puer regius veneraturus utriuſque manum oſculo preſſit: verum Argenis impotenti affectu domita hunc etiam in amplexus admiſit, ulnis maternis natum ſtringens, à quo & ipſa mutuo ſtringebatur. Tandem ingenti ferculorum ordine menſæ onerantur; ubi ferina multa, & totus ille aper, quem Theop. ipſe jaculo tranſverberatum ad matrem

volente patre gaudens miserat : totaque illa venatio pridiana, sed ea muta cernebatur. Potus tralatitius circumferebatur à pueris honorariis, quos venustate oris præcipuos Gallia producebat. Rogabat Regem Theopompus sibi ut liceret inter hos Ephebos utrique parenti ministrare ; quod cum semel ei annuisset Rex subito auream promens pateram vinum aqua domitum Regi primum deinde Rginæ porrexit. Verum imperante Rege ut ipse convivis propinaret, excusavit illi quidem hanc audaciam dicens non decere filios, posse tamen se Gobriæ, si juberet Rex actutum propinare, & dicto citius frigida syphum implens, puram lympham puer hausit, jactans dedecere vinum adolescentes etiam principes, idque se à præceptore didicisse. Et quamvis mensæ variis condimentis distinguerentur, solitæ tamen frugalitatis memor, ad communiores cibos ex diversis sibi regia manu sæpe porrectis se convertebat; miram in filiolo temperantiam demirante Rege, totoque convivarum cœtu.

CAP. IV.

Adducto in triclinium Equo saltatorio, nata occasione de hostibus Regis Hæduorum cum ageretur exposita est ab Astioriste narratio non ingrata convivis, de Rege Sequanorum vi magica castrum expugnante.

Remotis primis mensis cœpit Rex filium percontari, ecquid muneris vel officii pro accepto Equo illo Sybaritico Hæduorum Legato donasset ? Meam, inquit, promisi operam Regi cum maturiori ætate pollerem : Legatum vero Gallico torque donavi. Mox jubente Rege Equus ille productus est in triclinium, quod alioqui à Sybaritarum moribus abhorrebat, apud quos nugæ, ac voluptates in pretio, frugalitas odio fuit. Itaque introductus Equus postquam flexo utroque poplite Regem salutavit, statim audito tibiæ cantu cœpit in posteriores pedes assurgere, & velut ex Sybari-

baritarum disciplina anterioribus pedibus quasi manibus gestus quosdam Chironicos, motusque edere ad numeros saltatorios: quibus delectatum principem cum Rex adverteret; donum est, inst, dignum principe, ô fili. Quibus retulit Theop. velim ergo, Rex, hoc tibi, vel cuivis munere donem. Et Rex; cui dabis scilicet cum recusavero? illi, inquit, à quo equitandi rationem doceri soleo: nullam enim industriam præ equitatione, & jaculatione missilium duxi. Rex Hæduorum, inst Astioristes, talibus eget, qui se adversus hostem possint tueri. Tum puer patrem rogare hanc sibi fieri potestatem, una cum gemino comitatu sibi assueto, suppetias benemerito principi se laturum. Quæsiit tamen ecquinam hostes illius; quis porro, & cujus ætatis Hæduorum princeps? Cui Rex Astioristes longam historiam usque ad bellaria cœpit retexere.

Munitissimum circa hos Galliæ tractus, veterem inter Austrasiam, Belgium, & Sequanos, quodque ab Hæduis amne Aliza dirimitur, castrum fuit, viva in rupe amplum, & capacem ambitum amplexâ, artificum industria, qui non operæ, vel arti pepercerant, sic elaboratum ut hoc fatidicarum mulierum opus esse non dubitarent asserere. A plurimis sæpe Regulis longâ obsidione circumvallatum est; sed irritis omnium conatibus. Ultimi demum Sequani extrema & decumana vi illud agressi, toto jam biennio cum multa militum jactura duraverant. Haud procul erat sylva antiquis condensata arboribus, antiqua fatidicarum sedes, unde & Sylvæ nomen à vulgo impositum. Archondorix Sequanorum Princeps per Isidem suam juraverat, obsidionem se prius non soluturum, quam obsessi omnes ad unum internecione delerentur, & hujusce castri, cujus propugnaculo securi essent, quandoquidem tot militum sanguine, id sibi stetisset, memoria

penitus deleretur. Nullum itaque non movit lapidem quo vota ad exitum perduceret, & consilia optato fine coronaret. Indignatus ergo quod operam perderet, & irritis machinis muros, turresque lacesseret; exercitum vero omnem quâ hiemis asperitate, quâ inopia commeatuum maxima ex parte exanimari videret, ad insolita remedia animum advertit, & fatidicarum mulierum famâ pellectus, ad hanc extremam opem confugere statuit.

Igitur usus oportunitate noctis, quæ facinorum occultatrix est, uno comite armigero, è tabernaculo se clam subripuit, & per secreta virgultorum cursum præcipitans, duce & viam auspicante luna, circa secundam vigiliam in interiora penetravit, ubi propter opacam arborum caliginem, quarum sub frondibus peribat lumen Lunæ, vix poterat comitem discernere. Anus captato strepitu circum dumeta errantium, ex antro quod natura in rupe elaboraverat, caput senile, & rugis aratam frontem exeruit, facemque accensam jactavit, ad cujus tetrum fulgorem conversus Archondorix ad loci horrorem pene pedem reflexit, & quasi ad Medusæ caput sic ad tetricos anus vultus obriguit.

Rupem prope attigerat, quæ per quinque ostia, totidem fatidicas recipiebat, & cujus in imis radicibus annosa quercus luxuriabat diffusis latè, & explicatis supra subjectum alveum ramis, in quem ex hujus arboris stirpe recidentes aquæ fervebant ipso tumultu labendi, cum vidit armiger patronum in crepidine alvei stantem, & in eumdem locum se conjecit. At princeps funesti loci aspectu satis attonitus hæsit primum hoc obtutu defixus, mox ad officiosam se oratiunculam comparans, collectis tandem animis ita exorsus est. Ingenti vestra fama adductus, sapientissima mulier, quod penes vos in superos & inferos potestas sit, ve-

stram

ſtram opem imploraturus venio, non ero, mihi crede, beneficii immemor, quod altâ mente repoſitum uſque ad traducem poſteritatem permeabit; ſed & mercedem ampliſſimam addere non dubitabo, ſi vota mea compleveritis.

Ad hæc aures arrigens anus, opulentæ mercedis ſpe accenditur, & inopinati adventus cauſam requirit. Cui princeps: ecce tibi, veneranda anus, itineris mei cauſam aperio: jamdudum mihi hoſtilibus Hæduorum in fines meos incurſionibus defatigato, juſtam eorum Rege mercedem abnuente, vim demum vi repellendi incubuit neceſſitas, illataque civibus meis detrimenta reparandi. At vicini hujuſce caſtri, divinarum, ut ferunt mulierum manibus extructi ſecreta in arce, Hæduorum Regis gazas ſervari, factus ſum certior. Attamen non modo biennis obſidio fuit irrita, alliſis fruſtra ad rupem machinis; quin etiam flos juventutis patriæ, & veterani, aut triginta ſtipendiorum milites tùm annonæ caritate, tùm acerrimo Gallicæ hiemis frigore ceciderunt. Potes, ingenioſa anus, cum æqualium cætu, inexpugnabilem ſus deque evertere: Imperio ſcilicet veſtro tartareæ legiones ſubjacent, quæ animis hiſce pertinacibus, necem libentius, quam conditiones pacis accepturis, terrorem graviſſimum incutient. At per Iſidem, ſi in manus noſtras perduelles iſti aliquando inciderint, vix Ixionis, aut Siſyphi ſupplicia ſufficient, ad pertinaciam hanc coërcendam.

Sermonem hunc proſequuturi principis ſuaſorium excepit anus, & rictu oris ad aurem uſque hianti ſubridens, ſe ſatis perſuaſam ait; pecuniam ſcilicet argumentis eſſe potiorem. His dictis neſcio quid barbarum ore incondito balbutiens principis animum gravi terrore quaſſavit. Mox ſigno dato accerſere comites, quæ multa ſecum muſſantes è cavernis prodeunt: hæ teterrimo aſpectu terribiles totidem furiarum ſpeciem præ

ſe

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſe ferebant, ſuâ quæque manu piceam jactantes facem. Veſtis villoſa ex pellibus ferinis erat, ita ut feras putares è ſpelæis trucem in modum emergentes: capita vero ex Perſico more tegebat Cidaris. Mulierculis ad piſcinæ crepidinem uſque procedentibus annuit princeps, ut in querneis frondibus ſibi oblatis petitionem ſuam manu propria inſcriberet; ita tamen ut in qualibet fronte littera unica addiceretur: quibus in ordinandis cum plurimum temporis ſpatium conſumptum eſſet, ecce dum manus, pedes, & ora mulieres abluunt, & incondita, quædam carmina obmurmurant, repente crepitantibus auris tantus turbo exortus eſt, ut brevi momento frondes per aërem raperentur. Tunc exaudiri voces circa fontem ſub frondibus annoſæ quercus ſuſurrantes, velut ad concentum, non tamen abſque terrore principis & ejus armigeri.

Terribili iſto ſibilo frondium contremiſcentium deſinente, fatidicæ anus circum annoſam quercum curſatorium orbem agitantes mira alacritate tripudiabant, Dryades, Hamadryades variis evocantes cantibus; iterumque circum labrum ſubſultantes eadem ratione Nayades laudabant: quibus fluctuum leni ſuſurro cum eſſet reſponſum, mulierculæ principem, & armigerum ejus ad tot præſtigia ſuſpenſos ramo ex viſco fatiferi fontis immerſo ter aſpergunt, & accepta mercede utrumque attonito ſimilem dimittunt, viſcum tamen deferente anu circa cujus frondes velut examen apum auditum eſt ſtridens, & principis aures ſimul permulcens, ſimul terrefaciens.

CAP. V.

Had. Rex patefactis magicis artibus ruina, cum nihilo audaciores hoſtes videret, ad vim extremam ſæpius ſe convertit.

Emergens anus ex nemore cum ſuo comitatu, ad arcem obſeſſam direxit iter: ubi autem in conſpectu

ctu totius exercitus fuit, ad excubias ſtantis, quiſque nova ſpe plenus liberali ſalutatione perfungitur, quippe quod illius opera putabant arcem ſub ſuam poteſtatem poſſe propediem redigi. Itaque imminentis victoriæ ingens fiducia addebat animos: poterat enim illa ſola manus inexpugnabilem arcem evertere, quæ eam conſtruxerat: nemo non fauſtum expectat exitum. Interim Sibylla cogit milites in excubiis ſtantes, & principem circa muros pernoctare volentem, ſub pelles ſuccedere, docens arcana divina notitiam mortalium fugere; neque quidquam illa ſibi reſervat, niſi viſcum, quem aureum ramum, ad evocandos manes commodum, appellabat.

Diſcuſſa interim nocte poſtera dies eluceſcebat, à Rege tam avide exſpectata. Rex impatiens è tabernaculo ſtatim ſe corripuit, & portentoſam arcis ruinam non ſine grandi ſtupore conſpexit. Coivere pariter milites ad eadem prodigia obtorpentes: neque leviori gaudio correpti ſunt, cum ſubiit animum patrios ſe lares cum trophæis, & palmis reviſuros, ſed mirum illis viſum eſt, & maximum omnium prodigium, quod æquatis ſolo mœnibus modica armatorum manus, at quæ non inulta caderet, ſubito apparuit. Quinquaginta omnino erant, qui cum ſe hoſtilibus turmis circumcinctos animadverterent, vixque tot millibus poſſe obſiſtere, niſi diſperſas vires adornarent, in angulum ſeſe coarctarunt, & numero tanto impares, quo ſe leviori negotio tuerentur, & nullatenus poſſent à tergo circumveniri, frontem hoſtibus objecere.

In fronte, primoque agmine juvenis aliquid magni præ ſe ferens, & multa audens illico viſus eſt, ingentis quidem ſpeciei, & ſupra ætatem fortis; qui majeſtate frontis, & imperterrito vultu animos commilitonibus addebat. Sicque auditus eſt ab uno qui exploraturus acceſſerat propius, ſocios accendens ad pug-

nam.

nam. Nunc exerendæ vires, fortiſſimi commilitones, & ſi quam hactenus gloriam reluctando fortiter aſſequuti ſumus, longe major nos manet laus, ſi non inulti cadamus: revocate in animum priſtinos auſus veſtros, neque quidquam de antiqua gloria remittendum putatote. Num indignum conſtantia noſtra videatur, ſi arcem illam quam biennio toto contra hoſtiles conatus protexinus, nunc ignobili fuga, vel turpi deditione deſeramus? una eſt in ferro ſalus. Num pudeat fortes viros ignobilium hoſtium triumphum augere, & captivorum in morem currum victoris ſequi. Faveant hoſti manes inferi, murorum noſtrorum everſores: propitios ſuperos ſentiemus. Itaque hoſtiles impetus ea qua ſoletis audacia comprimite: ſatius eſt pro patria fortiter occumbere, quam poſt turpiſſimam fugam vitam trahere omni dedecore infamem. Accendit vehementer animos ad audendum projectos hæc oratio, ita ut cedere loco ignominiæ turpiſſimæ jam omnes tribuerent.

In exiguam obſeſſorum manum copias omnes armare, Archondorigem puduit: aſt ex veteranis, & quidem ſtrenuiſſimis lecti totidem caſtrum intrepide oppugnant, aditumque per ruinam murorum luſtrantes, non ſine aliqua ſtrage, extortis quiſque duobus jaculis eodem irrumpunt impetu, rati ducem vix annis ſatis adultum ad primos tot veteranorum congreſſus fore attonitum: mortemque actutum cùm ſibi, tùm ſociis deprecaturum. Sed longe ſecus res accidit, ſubituſque omnes circumineſſit ſtupor, cum Ducem vix pubeſcentem advertunt obvios quoſque ferro ſternentem: cujus ad exemplum accenſis animis recruduit pugna, donec hoſtes ad exiguum & imparem ad ſpem victoriæ numerum redacti terga vertunt, & urgentibus obſeſſi è ruinis turrium præcipites ſe dant, ne uno quidem ex victoribus amiſſo milite, paucis tamen leviter ſauciatis.

Ar-

Rex recenſitis erubuit, quod numeroſi exercitus vix tertia pars ſuperſtes viveret, cæteros omnes ab hoc juvenum globulo, aut longæ obſidionis maceratione aut ferro deletos eſſe conquerens.

CAP. VI.

Incœptam proſequutus narrationem Rex Aſtior. docet uti ultima vi uſus Rex tandem duce caſtri potitus eſt, & eum triumpho, imo & neci deſtinabat, fruſtra miſſis & inde hinc legatis.

Plurimis fruſtra jactatis querelis Archondorix tumulos ſublimis milites oculis diu perluſtratos ſic demum affatus eſt. Vereor, commilitones, ne animos tot jam præclaris facinoribus inſignitos debilitem, dum ego vos ad arma in tantillam hanc manum impello: at quando reflante fortuna noſtri temerario iſtorum auſu profligati cecidere, extremam vim adhibendam eſſe reor, tentandamque rurſus certamini aleam. Non ad ineundam pugnam armamini, ſed ad invadendos perduelles, & pœnam de his petendam qui mea imperia, & arma veſtra toties magicis artibus ſuis illudere auſi ſunt: ſed arma armis, præſtigia præſtigiis majoribus nullo negotio repellemus; & ipſi coram Sole ad tot nequitias quaſi ſuſpenſo meritas pœnas luent. Unum vos oro, commilitiones, ut ſi poſitis armis iſti ſe dedant, hos ad me nulla vi illata adducatis triumphum meum ornaturos: ſin eo temeritatis devenerint ut rurſus in vos vires ſuas experiri audeant, non parcatis ſanguini, non ætati, niſi Ducis ipſius quem velim ad me perduci incolumem triumphi mei futurum ornamentum, & furoris mei victimam: cujus terribilis ſupplicii ſolem ſpectatorem, qui fuit inſolentiæ, eſſe cupio; ut cujus nimis temerarii auſus labem noſtro nomini intulere, ejuſdem aboleat ſanguis, & cui plus æquo fortuna blandita eſt, ineluctabilis fati ab ictu ille non deflectat.

flectat. His sermonibus Rex Archondorix militum auribus insidias fecerat, cum ex templo arsere cuncti ad prædam, quam multam in arce credebant, nam de hostium suorum strage nullum inerat dubium: sanguinis autem sociorum ulciscendi, & delendæ infamiæ vehementiori ardebant siti. Quod ad principem, credidit labem suæ fronti inurendam, si ipsemet imparem hanc ad pugnam se accingeret. Idcirco cum satellitio solito sub pellibus hæsit, donec vivus iste Dux, qui regiis turmis tandiu restitisset, ad se perduceretur. Nullam moram hoc imperium passum est: circumstrepentibus tympanis, lituisque concinentibus exercitus ille, qui ex quatuor millibus hominum conflatus erat lustrabat aditus per illas ruinas quas aërii spiritus fecerant.

Vidisses obsessos undequaque circumclusos: aut vincere aut mori juvat. Non magnæ molis labor videbatur numeroso exercitui quinquaginta viris palmam præripere. Quanquam illi victoriam non nisi multo cruore effuso emisserit. Atrox utrimque pugnæ facies; plerique hostium inter pugnandum occumbunt; & quidem primo impetu primum agmen funditur; medium post aliquot velitationes partim fugatur, partim profligatur: Triarii supererant qui victores tot cædibus defatigatos, tot palmis onustos, & jam ad pugnam vix impares ita obruerunt numero, ut mortem quamlibet turpi fuga potiorem ducentes jugulandos se potius reluctando darent, quam deditionem cogitarent. Tum globus omnis in unum conversus ducem quem Archondorix salvum ex pugna volebat: ille tamen acrius instabat, donec interfectis proprio ferro plusquam quingentis defessus tandem cecidit, neque ensem tamen deposuit, quam dux hostium è manibus illius jam collapsi vix extorsit; mox eo jubente manibus militum sublatus est, utpote qui gradum firmare vix

poterat crure, & brachio graviſſimis plagis vulnerato.

Capto duce, cæſiſque militibus hoſtium quidquid ſuperfuit ad prædam converſus, omnes vel abditiſſimos receſſus ſcrutabatur. Verum gravis ſtupor omnes invaſit ubi nulli theſauri, modicum vero panis & fabarum reperta ſunt; culcitræ ibi paucæ, atque hæ ſtramineæ, mira autem circa excubias diſciplina, ad quas ſibi invicem ſuccedentibus ſingulis ſomnus plerunque interciſus erat.

Dux autem caſtri ubi in conſpectu Regis ſtetit major in præcordiis dolor ſæviit, & quidem Archondorix prior eſt effatus, & ſe mirari, ait, quod in ea ætate vix florenti auſu temerario tot veteranis reſiſtere potuiſſet, impetumque numeroſi exercitus tandiu ſuſtinuiſſet; ſubolens hunc tantæ temeritatis, tamque projectæ audaciæ debitas pœnas aliquando eluiturum, nec inultam fore tot militum ſuorum ſtragem, Regibus ſatis ſuperque illuſum eſſe, agitaturum ſe interim quibus eum pœnis damnaret à quo toties eſſet illuſus: neque aliam ob cauſam vivum hunc ad ſe fuiſſe perductum.

Cui juvenis vultu conſtanti, & interrito; ſponte mortem ſe oppetere quam turpi deditioni, vel fugæ prætuliſſet: neque ſe revereri ſupplicia quæ ſui erga Regem ſuum officii ad unguem exacti futura ſint argumenta: exoſculaturum ſecurim quæ caput à reliquo corpore dividens ſuæ conſtantiæ, & virtutis teſtis eſſet futura; non ſe fatum quodlibet pertimeſcere, cujus neceſſitas ſit inevitabilis.

Reſpondentis fiduciam admiratus Archondorix, ecquis, & cujas eſſet juvenis, ubi militiæ tyrocinia poſuiſſet, ex quo tempore Regi Hæduorum ſacramentum dixiſſet, denique quod ſibi nomen parentes impoſuiſſent, ubi demum theſauri quos in hac arce ſervari fama eſt, non dubitat ſciſcitari. Et juvenis, Rex, in-

fit

fit Hæduorum inter venandum per agros me repertum, & ex vultu non degenerem putans, tauros luctantes, inſpectantem & ſecum abduxit, & Hipponactem appellari me juſſit: tùm inſtar filii quando nullus ei ſuperfuerat, in regia educatum militaribus diſciplinis à puero me inſtituit, & ad unguem voluit informari; alium parentem mihi jam eſſe ignotum ex quo Rex in paternos ſucceſſit affectus. Quod ad theſauros regios fuiſſe quidem in arce reconditos, ſed à bimeſtri per anfractus obſcuriſſimos, & ſecretæ noctis caliginem ad Regem Hæduorum ab aliquot militibus ſuis non vulgaris audaciæ, equorum ſubſidio fuiſſe delatos.

His verbis multo magis perculſus Archondorix temeritati potius quam fortitudini tribuebat, quod adeo pauci numeroſo exercitui tandiu reſtitiſſent, ſubjiciens ſe quidem potuiſſe obſeſſos ad mutuam cladem exire, aut certe pertinaci obſidione fame tandem enecare. Quibus Hipponax retulit; ſe æſtimaſſe nihil eſſe ſuo in Regem Hæduorum officio prævortendum, nec uſquam niſi veneficarum faſcinationibus caſtrum potuiſſe expugnari; cæterum Sequanorum Regem Cadmea & infœlici potitum victoria, neque ſine magno exercitus ſui diſpendio: fuiſſe autem ſibi conſilium, ſi per unum adhuc menſem obſidio duraſſet, tunc deficientibus alimentis, quibus tamen ſapienter uſi eſſent, in hoſtiles cuneos ſtricto gladio irrumpendi, honeſtâ ſaltem morte perituris. Quod ſi Hæduorum Rex advectione commeatuum levaſſet annonam, neque manes adverſos caſtrum ſenſiſſet, conatus hoſtiles ſe exploſurum velut irritos.

Inſanam pene compulſus in rabiem Archondorix conſtanti Equitis hujus reſponſo, quod & temerarium, & parum urbanum ſibi videbatur, infame jam ſupplicium tanto Heroi & laudum titulo digniſſimo, cogitatione agitabat, cum nunciatum eſt adeſſe legatos & ab

ejus conjuge Regina Sequanorum, & ab Hæduorum Rege. Hi ſtatim atque in conſpectum, & colloquium admiſſi ſunt nomine principis Hæduorum Haraldi Regem ſalutarunt, & decem millia talentorum, Hipponactis pretium obtulerunt. A qua petitione diſtractus eſt Archondorigis animus in deliberando ancipiti cura cogitandi. Illi vero ab Archondorigis conjuge advenerant, affirmabantque nova quædam & portentoſa inſomniis eam vidiſſe; ſed & eandem vehementer orare ne quid ſiniſtrum Dux arcis exgugnatæ pateretur: denique plura coram. Rex quamvis hæc inſomnia tanquam aniles fabulas, ad nutricum cunas, & mulierciarum gyneceia rejicienda putaret, nihil tamen hactenus movendum ratus vindictam diſtulit, Heroëm autem triumpho ſuo reſervavit. Quod ad Divitiacum Hæduorum indefeſſo linguæ famulatu ejus aures verberantem retulit, victoriam cum demum adeptus ſit, ſui juris eſſe; cumque ex omnibus obſeſſis unus ille ſuperſtes, extiterit, eum in patriam, quatenus uxoris ſuæ deſiderio ſatisfaceret, adduci velle: quid de illo poſtmodum acturus ſit, tam longæ moræ intercapedine ſecum, & conjuge oppidò conſulturum: nil ſe peccaturum contra jus gentium ſi unius capite tot copiarum manes expiet; ſalviſque legibus poſſe ſe uti ſuo jure; eſto Hipponax iſte antea legatus vicariam tantum antiquiſſimi ducis qui in arce morbi violento æſtu abreptus eſt, in præfecturam ſucceſſerit; cum multarum cædium author, & patrator pariter fuerit Hipponax, hunc cæſorum manes inferias ſibi dari jam poſtulant? attamen ne legatorum, & Regis Hæduorum invidiam incurreret, Divitiaco reſpondit in eo negotio tempore & mora ad deliberandum opus eſſe, neque ſe unquam jure ſuo abuſurum, id non magis ex ſuo, quam procerum, atque adeo Reginæ pendere arbitriis. Et Divitiacus; beneficium Regi Hæduorum

feceris, ſi hunc, quem ſceptri ſui hæredem nuncupavit, & adoptivi loco amplectitur, ſoſpitem remiſeris, prolem enim maſculam vix è cunis egreſſam, cum ſibi Parca, quæ parcit nemini, invidiſſet, in hunc unum, quem ſi non genus, ſaltem natura multis dotibus auxit, paternos amores effudit.

Commotus hac voce Archondorix à gemitu ſibi non temperavit, amiſſi nempe filii unici memor, quem Syri, uti conjiciebat, ſuam cœleſtem Deam circumferentes, propter oris præſtantiam abduxerant cum pueris in area regiæ domus colludentem: & filiam unicam ſibi ſupereſſe docebat, quam patria lege regno excluſam dolebat. Injuria tamen accepta illius animum adeo lancinarat, ut ne depoſito quidem odio legatos in patrios lares remitteret.

CAP. VII.

Cum ad iter ſe quiſque accinxiſſet & ad quartum ab urbe lapidem deveniſſet, Regi obvia conjux facta virum pro Hipponacte fruſtra deprecatur, etiam expoſito inſomnio, dum Galatea obviam quoque itura triumphum adornat, auditque captivæ ſuæ & fratris ejus ſortem.

Indicto à Rege copiis reditu quiſque geſtire gaudio, vaſa colligere, & laborum tam longo obſidio toleratorum obliterare memoriam. Itaque ſublatis tabernaculis & paratis curribus expeditus quiſque ſe viæ committit. Aſſiſto inter Archondorigis duces non ignobilis, ſed Hipponacti infenſus in ultimis Regis pene obductam cicatricem aſperitate verborum refricabat, acuebatque ita dolorem, ut vulnus jam in pectore principis recrudeſceret, dum non ceſſabat ejus auribus importuno officio ſuggerere ingentem illam quam Rex paſſus erat in illa biennii obſidione cladem, quam ambitioni & pertinaciæ ducis obſtinati tribuebat, & vindictam qua poterat arte occupabat.

Interim media in acie, tardo vectus equo, ne hoſti-

les manus evaderet, juvenis incedebat, neque delicatioribus quam viliores Regis miniſtri cibis veſcebatur. Nullus tamen hactenus queſtus illius auditus eſt: ſed vultus ejus præter oris innatas Veneres, oculorum vigorem, & majeſtatem frontis quæ eum nuſquam degenerem probabat, etiam tantæ conſtantiæ notas explicabat, ut omnia fati ludibria, ipſamque mortem deſpicere videretur. Cum autem tertio vel quarto ab urbe regia milliari Rex tantum abeſſet, regium ſibi triumphum adornaturus ad Reginam in urbe Auxona, in confluenti Dubis & Araris commorantem, nuntium miſit cum epiſtolio, reditus ſui certiorem illam faciente, quatenus illa triumphalem & dignam regia majeſtate pompam ſibi adornaret. Itaque Regina non prolixiorem moram paſſa non ſolum ad omnes miſſit ordines, verum etiam lectica ſe ad Regem advehi juſſit, qui in arce amœniſſima aliquandiu ſubſtitit, donec apparatu regio Archond. Auxonam ſe conferret.

Interim Regina, relicta Galatea filia viam ingreſſa fuerat, & lecticam uſque ad arcem in qua diverſabatur Rex, provexerat: jamque in genua provolutam ipſe erexerat amplexibuſque ligaverat ſtrictiſſimis; ſed cum illa Ducem caſtri ad ſe juſſiſſet adduci, ſtupore pene obtorpuit, illum ipſum aſſerens ſe in ſomniis vidiſſe. Tum pro Hipponacte deprecata ut averſum ſenſit ab indulgentia, mariti ſui animum, neque prodeſſe inſomnia in quibus labantem imperii fortunam humeris tanquam Herculeis hujuſce Ducis ſuſtentari, & priſtinam ad gloriam aſſurgere viderat, ſchedula in ſinum juvenis, quem eundem putabat qui ſibi viſus erat in ſomniis, injecta, hunc monitum voluit, ut fuga capiti caveret, & aram alicubi terrarum quæreret. Juvenis Hipponax, affectum quo Regina ſibi conſulebat ſubito exoſculatus, citra ſuſpicionem omnem ex arce noctu per murum evaſit, & noctis favore uſus

per

per urbes Cis-Rhenanas asylum quæsiit.

Pompa interim à Galatea ornabatur, jamque miles undiquaque confluens sub signis erat. Aderat Galateæ fida in paucis, & secretorum conscia virgo, quæ & ipsa à Syris mulieribus circumeuntibus oppida, & futura præsagientibus rapta, à triennio, vel ad summum à quadriennio redempta fuerat. Hæc tot copias incompositas cernens, nam & rei militaris erant rudes, & periti duces aberant, Regi ut adessent, aliis plurimis in oppugnatione castri cæsis, his dominam verbis occasione nata compellavit. Ex quo infantem in Hæduorum principis aula, regio splendore educatam, quanquam ex mancipe tantum patre ruri nata essem, Syræ fatidicæ me in pratis amœnissimis ad ripam Alizæ amnis cum paribus puellis spatiabundam, ceu Persephonem ex Ennæis campis, rapuere nescio quid grande ex vultu, & impressis manibus lineis augurantes, Regina quæ me ob innatam, ut referebat, elegantiam, & oris veneres istinc abduxerat, supra maternas delicias me non solum habuit, verum etiam in prolem regiam adoptavit conjugii fœdera cogitans mecum, & puero sibi in ultimis gratioso, quem Rex & ipsum captus præsagiente illius forma rure abduxerat, ut suæ prolis masculæ loco esset, cœpi ex illo hunc amare non solum ut fratrem, verum etiam ut futurum conjugem; neque ille tanto affectu indignum se præstabat, nam & amantem redamabat, & quibus poterat modis gratiam meam demerebat. Mirareris cultissimam amœnitatem ingenii ad regias arte comparati, & crescentis corporis minime vulgarem elegantiam; sed & incredibilem cum in equis domandis, tum in tractandis armis solertiam, qua cæteros omnes præstantes ætate superabat: diceres naturam in formando principe insudasse. Quid quod saltu tumulos superabat, & natatione trajiciebat amnes? Quod in tauros & leones vix-

dum adultus audebat congredi, nunquam autem ſine palma? quod in torquenda, aut vibranda lancea tanta erat peritia præditus, ut tres annulos ex priſcâ Gallorum diſciplina uno impetu poſſet inferere? quod nemo peritius arcum nervo tenderet? quod in orbem deſcriptum in muro excuſſis ſagittis rectâ collinearet? aut infixum telum telo frangeret? quod aciem in quincuncem vel in quadrum ſcite inſtrueret? in quo nunc illius opera opus eſſet. Quanta enim induſtria has tuas copias ad ſiniſtram dextramve flecteret, ut cuneos, alas, cornua explicaret, ut uno momento cujuſque manipuli ordines mutaret & ad nutum reſtitueret: ut exercitum totum per legiones, cohortes, centurias, turmas, decurias, quibus ſuos præficeret Centuriones, Vicarios, Signiferos, Decuriones, Magiſtros equitum, Tribunos, Chiliarchas, perite ordinaret. Ut circumiret cuneos luſtrans omnia, & circumequitans animos adderet. Putares alterum Bellerophontem Pegaſo inſidentem: nam innocentia morum, & amore pudicitiæ vix erat inferior. Credas ne hunc ruſticum qui non agreſtibus, ſed regiis moribus donatus ſit? an vero imprudentem dixeris Hæduorum Regem quod talem Athletem paternis viſceribus amplexus ſit & me ſtolidam quæ ſupra fraternos amores eum ſemper coluerim? Cum pater tuus Sequanorum Rex hanc mihi ſpem fecerit, ſtatim atque fœdera pacis ambo Reges inierint, ad priſtinos lares me ipſam remittendi, ſpero meum nomen hoc toto quadriennio ex illius fratris mei memoria nuſquam potuiſſe deleri. Attamen quo jam in loco res poſitæ ſint, mihi non liquet, niſi forte ille ipſe ſit juvenis in defenſione caſtri pertinaciſſimus in quem pater tuus Archondorix omnibus furiis debacchatur. Verum abſit omen.

Arſit ad tot virtutum commemorationem Galatea, & jam invidebat captivæ ſuæ, quod à tanto Heroë potuiſſet

tuiſſet amari. Sed inſinuatos rupit ſermones novus à Rege Archondorige nuntius, qui Galateæ & copiarum profectionem maturaret. Præparatam ergo in lecticam undique patentem virgo conſcendit, & circumcincta optimatum cœtu, inter medias acies vehebatur equis qui interpolati variis maculis, & quaſi pondere ſuo tumentes, lecticam ferebant Attalico ſerico intextam, pendulisque ex auro liciniis fimbriatam. Circumibant proceres decori purpura, auroque aſperi. Singulis armatis par erat amictus; braccæ ſcilicet purpureæ, lineus thorax cum cærula faſcia: criſtæque plumatiles circa pileos Leucophæos volitantes. Interea fugiſſe Hipponactem admonitus Rex tanto arſit furore, ut niſi Regina intercederet, de cuſtodibus actum eſſet.

Jam ſibi obviæ occurrerant copiæ, cum Galatea deſiliens lectica ad patrem contendit, quæ ubi porrectam ſibi à patre manum oſculo tenerrimo preſſit: Rex exceptam curru paternis demulcebat blandimentis, doloremque celabat ſub corde latentem: & præterquam quod exploratores quacunque miſerat qui fugam juveni præriperent, ipſe quoque per viam ab obviis jubebat inquiri. Interim Galatea ſolicitudinem ſuam quibus poterat verbis ſignificabat tam prolixis compaſſa laboribus: ſed Rex faſtu Gallico tumens nihil præter victorias ſuas & triumphos ingerebat, neque patiebatur ullam de Hipponacte mentionem injici, quin oris & oculorum inconſtantia perturbationem mentis præ ſe ferret. Itaque ſpem vultu ſimulabat, ſed altum premebat corde dolorem.

CAP. VIII.

Hipponax Regem eripit ueci ſub larva & ignota veſte latenti, mox ipſe cognitus in regia non tanquam vindex ſuus, in vincula conjicitur: ſed hunc ut eripiat Galatea veſtes mutat.

Regi urbem ingredienti plauſus à populo datus eſt tùm propter longam illius abſentiam, cùm propter vectigalium immunitatem ſperatam, quorum ſub mole, oppreſſa plebs jam dudum ingemiſcebat. Verum tantum abfuit ut Rex tributis populum levaret, quin majora propter immenſos diutini belli ſumptus ſuperaddidit, norat enim quantum æris alieni toto illius expeditionis biennio Regina belli cauſa contraxiſſet. Quare nonnulli tributorum, & portoriorum gravitate offenſi, ad inaudita conſilia mentem convertere, & ſui principis exitium meditari. Sic anſa anſam obtulit. In Regem ad venationem intentum cervumque ſimilem æripedi cervæ Herculis, cum purpuratis ſuis ſtrenue inſectantem ſex equites larvati per varios anfractus, & devia ſaltus obliquo itinere irrumpentes tanto impetu advolarunt, ut niſi unus ex illis ſtetiſſet à Rege, hic totum diem herclè homo non fuiſſet. Re vera unus ex illis in tanto vitæ diſcrimine Regem periclitantem videns, converſus ſubito ad conjuratos, ne progrederentur ultra eoſdem monuit, niſi ſe vellent hoſtem experiri. Quibus verbis commoti in eum unum ſtrictam aciem direxere, quem ſuis armis putabant imparem. Sed in virum non in mulierem inciderant: namque ille Hercules eum furori ſuo immolavit, qui primus Martem auſus eſt laceſſere, & aleam tentare certaminis: alterius brachium tam alto ictu cecidit, ut ineptum ad pugnam redderet. Tres ex ea clade erant ſuper, ad quos frangendos dolo uſus fugam ſimulavit, adeoque à ſe disjunctos retrocedens ferro excepit, & manibus inferias dedit. Ex ea ſtrage ſuperſtitem unum quem bra-

brachio ſauciarat, ad arborem religavit, ut conjuratorum conſilia & authores detegeret. Tum ad Regem Eques larvatus; ſis fœlix, ô Rex, quem Dii per me ſalvum voluere, ut ex iſto captivo poſſis authores conjurationis reſcire. At Rex orare vindicem ſuum ſatis amplexatum larva ut depoſita nomen, & genus ſuum ediceret: ſimulque detractum digito ſuo annulum eidem obtulit: quo ille accepto vertit habenas, timens ne à ſuccurrentibus aulicis poſſet recognoſci. Etenim jam plurimi è comitatu ad tumultum concitati, ad Regis periculum ſeſe converterant, ſatis excuſantes, quod hunc ſolitarium dum pertinacem ad fugam cervum inſequuntur, incauti reliquerint. Tum vertentes oculos in prædonem devinctum arbori, & alios quatuor & ipſos larvatos quacunque jacentes ſtupore obtorpuere; quibus Rex pene rigentibus ſubridens, jamque receptis animis conſtantior: ſiccine Regem veſtrum ſub ipſo necis ictu deſtituiſtis, dum ignotus hoſpes munus veſtrum obit? ſiccine in diſcrimine tanto in quo de principis capite agitur paſſi eſtis veſtrum officium vicaria ope præverti? neque plura Rex nimio pudore ſuffuſis: ſed cadavera una cum ſuperſtite graſſatore in curru ad prædam longe aliam præparato jubet imponi, & ad urbem devehi, quatenus detractis larvis à plebe dignoſci poſſent.

Attamen graſſator ille ſuperſtes extorta quæſtione nil occultum reticuit: docebat enim ut quinque nec plures in eam conſpirationem conſenſiſſent: ut ſextus iſte qui Regem neci eripuerat, cum peregrinus eſſet, audito facinoris conſilio, quod in diverſorio ubi hoſpitium delegerat, initum eſſet, præveniſſet eventum, & ſubſidens inſidiis in homicidas inde erupiſſet, ſufficiſſetque unus ille quinque viris debellandis: cumque Rex arbitrio judicum reliquiſſet reum, ad filiam ſubito ingreditur, neque mora ſtupore novo confuſus pedem

dem prima fronte reflectit, timens ne in novos hoſtes incidiſſet. Receptis tamen animis conſtantior filiam rogat unde inviſus ſibi ille vultus? an Dii una luce omnes hoſtes meos penes me fecere? ſimul jubet cognitum juvenem, quem eſſe Hipponactem non ultra dubitavit à ſatellitio apprehendi: quæſiitque à quo tempore ille juvenis diverſaretur in regia. Et illa, vix ab horis quatuor, agnitus ſcilicet, & exceptus à captiva quæ ſupra fraternos affectus eum amplectitur: ſubditque ignotum eſſe genus, ignotam patriam, necdum ſibi ſatis conſtare qui fons tam ſubito amori eſſe poſſit. Id temporis ſcilicet amoribus captivæ ſuæ qui jam pene in ſororis amores proceſſerant, libenter indulſiſſe. Hinc objurgatum verbis juvenem quod ſe triumphi optimo decore privaſſet, in cuſtodiam miſit. Sed jam delinita Galatea juvenis colloquio, quem jam fortiſſimum Heroëm & caſtri inexpugnabilis ducem eſſe intelligit, & ejus amore accenſa ad genua patris audet ſe provolvere, quæ res infenſum Regis animum ſtatim permovit, repentinæque iræ quaſi ſuccumbens filiam aliquantulum objurgatam deſeruit.

Tunc Virgo abire in lachrymas, verum ubi ambitioſus iſle detonuit imber impatientia amoris, dum equitis ſui dotes iterum mente recolligit, & mora dat majores vires illi affectui, inconſulto nemine, ne ipſa quidem captiva cui incipit clam æmulatione occulta invidere, ſexum mentitur, & veſtem ſervitio, atque in turrim in qua ſervabatur Hipponax incauto ſatellitio penetrat, vel ad fati ludibrium parata, & his verbis latentem Heroëm aggreditur: fortuna nobis, Eques fortiſſime, eodem momento flavit, & reflavit: flavit quidem dum mihi minime cogitanti tantæ virtutis Heros tam fœliciter occurriſti: reflavit vero infolens, cum conſilia noſtra non ſolum eluſerit, ſed & nos eodem pene ictu transfixerit: attamen ejuſdem fortunæ pro-

proterviam dolis evincamus; hanc, si nos amas, vestem indue, tibi haud inhabilem futuram, & mihi me relinque, elabendi modum satis inveniam. Nil moror; nec enim opus tergiversatione: sic iræ patris, & fati tibi ingruentis furori locum dabis. Simul his in secretum secedebat depositura vestes, & muliebrem pallam quam ex leviſſimo lino subjectam pallio secum attulerat, induere parabat, cum hanc suasoriam Hipponax ita excipit: multùm equidem debere me fortunæ meæ intelligo quæ mihi tantum patrocinium subornavit virgo sereniſſima, sed abſit ut servatum mihi supplicium tuo capite luas; si morior, non per Jovem ingratus obibo. Sed idoneum & factis & verbis tempus erit, & tunc meminero quid tibi, quid Reginæ de me optime meritis ego debeam. Tum satis confirmatum abire rogavit. Non leviore desiderio Hipponactis captiva urebatur, quæ velut incauta in hos laqueos amantiſſimum fratrem injeciſſet, & diu noctuque assiduo gemitu, & lachrimis ei parentabat, nesciens tam ambitioso dolore principem virginem perinde secum uri.

CAP. IX.

Haduarum Rex legatos mittit qui Hipponactem adoptitium requirant, aut repetant, ille dum per urbem Auxonam transit, aurt ad vultus Galateæ, interea temporis & Hipponax agnoscitur, & Regis Sequanorum filius asseritur, agnoscunturque Olimbia. Rex servatorem ac vindicem suum porrecto annulo esse non dubitat.

Non cessabat interim Regina quibus poterat vocibus regis aures verberare, & animum sollicitare: etenim, repetebat illa, nescio quo vinculo me natura huic juveni astrictam tenet, quoties in eum intueor, quoties os, genas, frontem, vultum intenta oculorum acie perlustro, toties unicum filium quem vel prædo, vel immaturum fatum mihi eripuit in memoriam revoco, terrent me pene quotidiana insomnia.

Inter

Inter hos casus Rex Hæduorum de adoptivo suo Hipponacte nimium quantum sollicitus legatos miserat qui eum à Rege Sequanorum mille talentis redimendum rursus postularent : verum quia jam fuga se Regis oculis subripuerat, vicinas oras usque ad Rhenum Hæduorum legatus perlustrabat, donec Auxonam repetens sub incognito habitu, & spatiantem super Ararim Galateam prospectans subito illius amore correptus est : itaque in incerto aliquandiu fuit utrum pergeret iter, an detracta larva genus, & nomen Regi & Galateæ significaret : animum tamen suum prius manifestandi consilium fuit. Lucta in Tauros indicta fuit ingenuæ pubi Sequanorum : rogat iste sibi ut liceat quamvis peregrino pariter congredi. Confluente plebe fortiter arietatum est, & primus quidem ignotus hospes prodiens in arenam in Tauri caput geminam fregit lanceam ipse Manno insidens ; ad jacula mox manum admovit quæ vix quisquam è turba violentius vibrabat, geminumque inter costas intexens prostrato Tauro victor demum extitit, præmiumque certaminis Smaragdum annulo insertum, in quod Alcidis & Acheloi, in plures formas versatilis luctam opifex cælaverat, Galateæ manu quam exosculatus est, etiamnum accepit : tum cœpit in aula esse familiaris, & genus suum Regi aperiens, quasi muneris sibi commissi oblivisci. Ego sum, inquit, Sigovesus ille frater Reginæ Hæduorum, & Bellovesi Regis Morinorum filius qui tui nominis fama, & forma allectus patrios lares deserui hæres alioqui vastissimæ provinciæ, amoremque tui nostratibus anteferens longo itineri me commisi. Illa Hipponactis amore succensa memorem quidem animum exhibere, sed referre quod sui juris non esset, nilque se jussis paternis prævorsuram. Quæ res Sigovesi animum tam alte lancinavit, ut de fœderibus ineundis Regem ipsum adire decerneret.

Dum

Dum hæc geruntur captiva Galateæ ſchedulas ad Hipponactem crebras mittebat, quæ omnium certiorem eum redderent: quæ res cum in notitiam veniſſet Regis cellulam Hipponactis ſcrutari jubet, tradit captivæ cuſtodes. Sed, ô luſum fortunæ mirabilem. Codicillus in ſinu veſtium ejus repertus eſt cum Sygillo, & Chyrographo Olinthiæ (ſic olim appellatam captivam conjiciebant) quo non ſolum de adventu Sigoveſi fiebat certior, verum etiam alia continebat quæ fidem omnem ſuperaſſent. Nempe illa ſubdebat omnibus inviolabilis amicitiæ ſignis, illuxiſſe dies quibus ſe Dii ſalvos vellent. Sigoveſum adveniſſe hujus negotii cauſa: ſed hunc amore Galateæ faſcinatum nondum legationis cauſam explicuiſſe. Neque omittebat plura quæ ex Mathematico audierat Reginæ inſomniis, & mulierum Syrarum prædictionibus reſpondentia, quibus omnibus non ſolum libertatis brevi recuperandæ ſumma ſpes affulgebat, verum etiam ſumma votorum, & deſideriorum complementum. Annulus pariter una cum codicillis inventus, & cuncta hæc ad Regem delata ſunt. Rex ad annuli antiquam novitatem expalleſcere. Ecquid porro? inſit, vindicemne meum putem eum cui fatum ultimum deſtinavi? ô ingratum nimis fortunæ ludum. Hæc ait, & ſtupore obmutuit, pervolvens tabellas & ad omnia pene obtorpeſcens.

Verum admirandi anſam longe aliam Regina obtulit dum ad Regem ingreſſa in comitatu ruſtici hominis; hunc ſermonis paulo ante ſibi expoſiti filum retexere vel ab ovo jubet: ſed prior ita illa. Non te latet, Rex auguſtiſſime, me conjugem tuam tibi maſculam prolem peperiſſe, quam propter quædam portentoſa inſomnia ceu Paridem expoſitam voluimus per hunc agreſtem, & villicum regium; inſomnia autem quibus & victor tui, & tui illius acerrimus hoſtis uſque ad neceem futurus eſſes, rata videmus, non ſupereſt dubio,

non

non timori locus. His præmiſſis villicus initiatam narrationem ita complevit. Ipſe ego captus illiciis oris regii pueri exponere quidem hunc timui; verum ne à vernulis veſtris domum meam nonnunquam celebrantibus agnoſceretur, ego vero videre veſtris refragator imperiis, Conjugi fratris mei circa Hæduorum fines habitantis hunc alendum tradidi, donec ætate maturior poſſet aliqua arte vitæ conſulere; ſed dum puer filium fratris in agros ſequitur, & hic diſperſos aſinos per ſaltum vicinum quærit, à Rege Hæduorum prætereunte, uti aſſerebat fratris filius, raptus eſt, & tanquam proles hactenus habitus: quapropter ex illo hunc à vobis ſegregatum repetendum non duximus ut qui tanto eſſet in hac aula gradu. Itaque cum hunc ſcirem, fama hoc vulgante, neci deſtinatum, Reginam quæ mihi hoc mutui thalami veſtri pignus commiſerat, abſque mora conveni, & totius tragœdiæ ſcenam illi explicui, ne ambo eſſetis parricidii labe inquinati.

Obtorpebat interim Rex ad tot monſtra una concurrentia, dolebatque gaudebatque, & pugnantes invicem motus ſibi mutuis eluctationibus ſuccedebant. Nondum tamen ſat firma fides erat villici ſermonibus. Quod ille cum præſentiret, certiſſimo eam argumento aſſeruit, ſubjecit enim ceraſum ſub cubito ſibi à Regina, dum porrigebatur puer, fuiſſe demonſtratum, quæres non arduo labore poſſet revelari. Meminit Rex genitalis hujus in puero notæ, in quo advertebat pariter avi virtutem, & lineamenta oris, haud abſimilia, & frontis parem majeſtatem.

Ergo Archondorix mandat Hipponactem è turri detrahi, & ſe coram illico ſiſti; ſubitoque videt Galateam ad ſe prodeuntem, & velut ab aſpectu inſequentis Sigoveſi fugientem. Adeo mentem ejus Hipponactis amor domabat, ut alienum admittens, adulteram ſe reputaret. Admiſſi ſunt tamen ambo in conſpectum

Regis:

Regis: captiva autem tanquam honoraria puella lateri Galateæ adhærebat ſpecie officii. Dumque varlis ſermonibus hora fallebatur, educebatur è cuſtodia Hipponax qui ſe ad mortem rapi æſtimabat, immutato tamen vultu animi conſtantiam indicans, eaque qua ſolebat Reginam ſibi propitiare frontis ſerenitate coram Rege ſiſtitur. Perculſit illico præcordia conjugum occultus quidam affectus, qui vix diuturniorem moram eſt paſſus: cocirca paululum à reliquis ſeductum juvenem dum Rex intentiori luminum acie intuetur, hæretque in hoc obtutu defixus, & ſimilis vaticinanti, Regina jam quaſi materno affectu eum proſequuta & affata liberiori genio auſa eſt manum ejus contrectando ſintheſim tantillum reducere, & quaſi perfunctoria familiaritate ſub ejus brachii cubitum manu irrepens, Dii Deæque! Ceraſum paululum prominens contingere. Tactui manus fidem oculorum adjicere voluit; probatoque augurio, Regina vix ſui compos Regem ad intuendum cubiti ſui impulſu ſollicitavit, & diutius maternos æſtus cohibere non valens, juvenis ſatis ſtupeſcentis in collum irrupit, etſi præ gaudio per intimas ſerpente medullas hactenus muta, irrupit mox & Rex de prole ambigua jam nihil dubitans, & ſtrictiſſimis ligatum amplexibus ſæpius progeniem ſuam, unicum ſuum jam reviviſcentem appellavit; bis vitam ſibi ab eo redditam exclamans. Tum Regina rurſum hunc maternis ulnis complecti, & pene uſque ad livorem oſculis premere. Stupor interim non minus præcordia juvenis quam Galateæ, Sigoveſi, & captivæ honorariæ invaſerat. Aderat & villicus qui rem geſtam penitus elucidans, noctem hanc quæ tot animos obnubeſcebat confeſtim excuteret. Monſtrata pariter ſigna genitalia, ceraſum, ancipites animos confirmavit. Jam Galatea pudore ſuffuſa ad fratrem tamen accurrere, & mollioribus impetere

oſculis nec non caſtiſſimis vincire amplexibus. Neque leviori rubore Sigoveſus perfundebatur ſuæ jam legationis memor, cujus oblivionem indomitus in Galateam amor quaſi guſtata Loto, inſeverat. Hipponax ad conſpectus Sigoveſi muto ſtupore captus erat: ſed Legatus excuſationes prætexens quaſi abeſſe hunc putaſſet, lætitiæ communis participem ſe monſtrare. Una captiva ſupererat, quæ tùm pudore modeſtior, tùm contrariis turbata motibus, & velut in luce adhuc caligans, ſpemque inter & metum poſita totius ſcenæ ſpectatrix erat exitum expectans. Sed Hipponax receptis animis jam conſtantior, ad pudibundam virginem advolavit, & arctiſſimis illam amplexibus, oſculiſque exhilarans hæc auribus illius inſuſurrabat, jam es mea, chara Olinthia, jam es mea; neque tibi æmula, neque mihi æmulus ultra poteſt eſſe.

Tunc Regi ſcire placuit, unde tanta illa in captivam benevolentia: unde illa ſibi nota eſſet quam ex mulieribus Syris filia Galatea redemerat, & cujus ignotum genus eſſet? Hipponax Regi ut ſatisfaceret, raptim de ea diſſeruit, quam mutuo ſcilicet affectu primam ætatem in aula Regis Hæduorum ſimul traduxerant ambo adoptitii, ambo pene pares ætate, ambo fraternis moribus una converſati, imo ad nuptias ſimul ineundas à Rege Reginaque deſtinati: denique ut illa dum inter coævas puellas colluderet circa Elizam amnem à Syris mulieribus rapta nuſquam ſibi ex illo viſa fuerat, ita ut irriti forent exploratorum vicina loca ſcrutantium conatus vanique labores; eam porro vocari Olynthiam ex aviæ Reginæ cognomine: patrem ſe orare ut non antiquas illas neceſſitudines, & à teneris pene unguiculis enutritum amorem mutuum ullo conſilio frangeret.

Verum longe alia cura Regem ſollicitabat; dum reſtituit nimirum gemmam patrocinii præmium Hipponacti

posfacti filio (sic eum Hæduorum Rex ex nomine unici filii qui è cunis vix egressus, forte cum in solario nutrix ambulabat, & puer primos gradus conabatur, impingens in offendiculum ex alto in humum incauta nutrice præcipitatus fuerat, voluit appellatum,) ecquæ causæ eum impulissent ad se contra grassatorum manum defendendum, maximè cum ei non esset dubium quam hostiles essent suæ in eum inimicitiæ, quam avidus ultionis animus.

Ergo Hipponax totam conjurationis seriem à capite orsus edocebat uti ipse hospes in diversorio audisset Auxonates quosdam qui inter Cyphorum harmoniam post jactatas ultro, querelas in necem principis omnes consentientibus animis conspirassent, ut frustra à se deterriti ad conjurationem se accinxissent, ut ipse insidens & insidiis armatos opperiens, in eos demum numero fortes impetum fecisset, & propitio Jove victor Rege spectante factus esset.

CAP. X.

Olinthia asseritur filia Regis Hæduorum, & Hipponacti traditur conjugio Galatea vero Sigovesо. Et hinc fœderibus & perpetuæ paci ansa præbetur. Completa narratione cœpit invidere Theopompus tantæ virtuti quam amulari non detrectat.

Archondorix Sequanorum Rex ex conjugis sententia nil movendum ratus, donec Hæduorum Rex qui Hipponactem & impendio amabat, & hæredem Regni dixerat, de omnibus certior factus esset, Legatum remittendum censuit. Itaque Sigovesum accersens postquam Galateam jam non renuentem nuptias, ei spopondisset cum donis, & promissis ad Regem Hæduorum remisit, rogans ut de tota tragœdia nihil prætermissum vellet; cum autem luberet, se & Hipponactem communem filium, & Olinthiam redditurum asseverans.

Et jam Hæduorum regiam Sigoveſus attigérat; cum Rex tam prolixa mora ſtupefactus cœpit percontari, unde moræ tam diutinæ? Sigoveſus cuncta ordine ediſſerens & Regem & Reginam adeo ſtupefecit, ut uterque vano præcinctum ſe inſomnio crederet: neque ſatis ſermonibus fidem adhibuiſſent, quin potius verba dare Sigoveſum, tegendi cauſa exitus legationis crederent; niſi dona regia à principibus Sequanorum, ab Hipponacte, atque Olinthia, eaque nota recepiſſent. Reliquum lucis cum nocte vix ſuffecit gaudio per intimas medullas inſolitum in morem ſerpenti; neque vox, neque conſilium ebriis gaudio animis ſuppetebat, donec elapſa nocte, & poſtera luce reducta Rex Reginam ita alloquitur: Dii bene qui omni ſpe dejectos jubent reſpirare: ecce revixit gemina proles adoptitia, & nobis pariter vivendi copiam unâ cum illis Dii concedunt. Quid ſupereſt niſi ut fœdera iciantur? retulit Regina; legitimus fuit ergo ille amor quo Hipponactem & Olinthiam deperibas, ego cum os videbam, cum frontem intuebar, conjiciebam indolem minime ruſticam in noſtro adoptivo. Neque puta, Rex & conjux, Olinthiam magis degenerem: quid enim in illa non regium, & dignum Hipponacte? imo quid indignum in ea tuo genere? tua eſt mihi crede, tua inquam eſt Olinthia; hanc tibi & ex te peperi, neque jam ibo inficias. Excitatus ad hanc vocem Rex ſubito interfatus excepit: nimirum? nimirum, retulit Regina, dum expeditionem in Teutones proſequebare, ſic me gravidam reliquiſti, ut poſt nonum tantummodo menſem fœtum hunc in lucem ediderim: timui ſcilicet ne violátos thoros mihi objiceres, unde illam puellam in mapalibus tandiu enutritam volui, donec paulo grandior à nobis ejus veneribus captis in regiam abducta eſt, & filiæ loco habita. Sed & ipſæ vultus lineamenta fidem hujus rei facient: quam enim à me, quam

à te

à te vix diſpar. Quod non expectas ex tranſverſo fit, & ſuper nos fortuna negotium curat. Apes ideo pungunt, quia ubicunque dulce eſt, ibi & acidum invenies. Quod hodie non eſt, cras erit, ſic vita truditur.

Excepit Rex; nequaquam recte faciet qui cyto credit. Sed interim cum ventis litigamus: nos magis luce craſtina, ubi aurora diem revocaverit quid prohibet quin viæ nos committamus, dumque rheda vehemur ad Sequanorum fines, Sigoveſus frater legationi coronidem poſiturus, curſore equo antecedens Regem Archondorigem adeat, hunc invitet ad fœdera.

Non hæc ſæpe Sigoveſo repetere oportuit, utpote qui Galateæ amore jam pene elanguerat. Itaque craſtinam lucem non expectavit; ſed dicto cytius equos Aſturcones jubet adornari. Demum poſteræ diei aurora enaſcente Rex è ſtrato corpus proripit, expeditoque jentaculo Gallico, dum Regina mundum muliebrem induit, regiaque pompa raptim comparatur, ineunte pene luce Rex & Regina cum aulico comitatu viæ ſe committunt, & intra dies paucos in villam inter Matronæ & Sequanæ fontes ſitam perveniunt, necdum effluxerat biduum cum Rex & Regina Sequanorum comitante purpuratorum grege quaſi ad condictum præſto ſunt: itaque Reges mutua ſalutatione perfunguntur. Sed ad primos congreſſus Hipponactis, & Olinthiæ cum Rege & Regina Hæduorum pene omnis conſtantia excidit attonitis. Mox ſtupore levato proceſſum ad oſcula & amplexus uſque ad livorem repetitos.

Tunc de fœderibus pacis actum eſt, quorum multiplex Hymenæus aſſertor eſſet. Ideo multiplicata auſpicia & victimæ, quarum in extiſpicio abunde litatum cum eſſet, annuentibus Regibus, conſpirantibus omnium votis Galatea Sigoveſo in conjugium data eſt, pro dote autem vaſtiſſimum Belgarum imperium,

Digitized by Google

quod à patre jam annis gravi accipiebat, à Rege vero Sequanorum centies mille talenta aurea. Accepit autem Hipponax Olinthiam pacto in dotem utrimque regno Hæduorum, & Sequanorum. Jamque decennium totum (inquit Astioristes) ex illo effluxit, & qui tibi Equum hunc gesticulatorium dono misit ipse ille est Hipponax Hæduorum, & Sequanorum Rex, virtute sane, præstantia, fortitudine, elegantia morum, sed imprimis liberalitate, quæ regiæ dotes sunt, nulli inferior.

Theopompus ad narrationem parentis non illepidam gestiit, & gloriæ suæ æmulo cœpit invidere tantum decus, patrique Astioristi retulit, cum adultus fuerit Theopompus, nullam Hipponactis vel Sigovesi superfuturam memoriam; priscorum Heroum se æmulum fore, nihilque fuisse tam augustum quod ad splendorem suum (uti ad Solis radios minora sidera) non conniveat. Delectatus Astioristes ea spe quam de se non levem puer concitabat, simul accumbenti Theandro arrisit, omnibus convivis uno consensu Theopompi virtuti intiatæ gratulantibus.

CAP. XI.

Inter convivandum carmen cecinit puer non ingratum, audiitque Theop. canendi cupidus Regium esse audire canentes, non vero canere.

Deductum erat ad bellaria convivium, cum prodiit puer honorarius, & concentu gratissimo cytharæ junctæ voci & mensis condimento fuit, & convivas recreavit. Inter alia autem argumenta placuit illa Musa quæ raptum Nymphæ Araris à Centauro Rhodano ita explicuit:

Qua nitidis Sol exit aquis, qua Sequana matrem,
Seque fugit, niveis Nais taciturna Sororum-

Tentat

Digitized by Google

Tentat abire choris molli pede : namque latentes
Occultura dolos greſſu jam fertur inerti
Naias, & patrios gaudet liquiſſe penates
Longinquas viſura plagas. Aſt ecce citatum
Centaurus greſſum, per ſaxa minantia præceps
Conglomerat Rhodanus : librato pondere corpus
Nempe gigantæos artus & robur adæquat.
Eſt Ixionidi craſſum caput, oſque furentum
More boans ; quadrupes reliquum facit ; aſperat ingens
Criſta caput : villoſi armi ; cervixque jubarum
Turgeſcens horrore riget ; ſed pectora ſetis
In Lapithas ſæviſſe putes, nam pulvere Martis.
Oblitus imbutas multa fert cæde ſagittas.
Haud tamen incolumis manſit, nam læſa ſiniſtra
Vix dum flexibilem l ixatis funibus arcum
Suſtinet, at dextro manet hæc imixa lacerto.
Hoc habitu per iter reboans (dum voce viator
Horriſona latitat fractus) properabat ad arces
Lugdunenſis agri pedibus ſuſſultus equinis.
Huc utriuſque fuit curſus. Centaurus ad albam
Cervicem ſtupuit Nymphæ : ſtupuitque viciſſim
Naias, immenſam Centauri in corpore molem.
Titanum, veterumne putet genus eſſe gigantum ?
Quippe videt capitis molem, duplicemque figuram,
Brachia & effuſis horrentic corpora villis.
Sic præceps fugit ex Lemano. Tanto obvia monſtro
Nais Arar placuit : Rhodano tamen una furenti
Occurſare timet, quamvis onerata ſagittis,
Temodonteæ pharetrâ, parmâque caterva
Impar Centauro retro veſtigia torquet
Cæruleis aſſueta choris ; verecunda pudori
Nempe cavet ; paulumque hæſit conterrita Nais,
Continuitque gradum : Rhodanuſque hæc intonat ore ;
Serviles depone metus ô Nympha, ſororum
Dilectus ſum namque choro ditiſſimus amnis

Navigio, Rhodanuſque vocor; Centaurea mentem
Forma, nec hirſutum deterreat illa corpus
Perge age, nympha precor, vanos ſeclude timores,
Da tantum da nympha mihi quibus orbis ab oris
Veneris, & quo te ducit via? Lentior hæret,
Namque repentinus vocem præcluſerat horror,
Donec depoſita demum formidine fatur:
Lingonicis oriunda plagis, Centaure, receſſi
Thetydos inviſura domos; udiſque ſororum
Naiadum ſecreta choris ſum lenta decoraſ
Cum glaucis Nerei natis actura choreas,
Auditura ſonos dulces, Tritona canoro
Ludentem lituo, dum ſe ſuſtollere crebro
Ad numerum ſaltu geſtit; quem deinde ſequuntur
Nereidumque chorus, Phorcique exercitus omnis.
Nomine dicor Arar; ſed quam gravis intima rodit
Corda dolor dum ſponte ſinu diſtracta ſororum,
Sola per ignotos erro mœſtiſſima campos
Tarda gradu, defeſſa viâ: non Matrona ſola eſt,
Fit comes Alba, comes caſtæ ſit Sequana nymphæ.
Excipit hanc Nympham Rhodanus Centaurus, & ore
Blandiloquo teneros inſpirat in aure ſuſurros:
Ne fuge, Nympha, meos affatus: vocibus aurem
Porrige, quæſo, meis: Alpinis montibus ultro
Delapſus, propero per Saxa citatus eodem
Tramite, fluctivagas dum luſtro Thetydos arces.
Iſthuc præcipiti greſſu feror; ampla nec uſquam
Me liquidis Lemani retinere palatia campis,
Non lepidæ potuere urbes. Te quando viarum
Longa fatigavit ſeries; attingere pigro
Vix potes inceſſu metam: mea (namque licebit)
Terga ſubi; poteris (nec te ſpes irrita fallet)
Paucos ante dies portus ſpectare cupitos.
Aſſentitur Arar Rhodano; mox terga rogantis,
Scandit Nubigenæ, raptum meditantis ad arces

The-

Thetydos; hinc rapido glomerat vestigia gressu:
Nempe amor est nymphan thalamo sociare jugali:
Sed cum semifera consortia jungere vita
Nympha timet: rapiturque tamen qua tardior ante
Ad juga, virgineos in montibus egerat annos.
Vix aliter pulchra trux perfida terga marita
Obtulit invitans Nessus: trajecerat amnem
Centaurus, raptumque dolis jam plenus iniquum
Mente coquit: rapit invitam, ferit ungula campum,
Conglomeratque gradum: sensit tamen Herculis iras.

Sane suavior omnibus bellariis concentus ille cum carmine visus est convivis, imprimis vero Theopompo qui tam suavi melodia non mediocriter delectatus, & modulandi pariter, atque ludendi desiderio cum teneretur, hunc Astioristes pater ita arguit. Symphoniacos pueros alere, atque audire regium est quidem, fili; modulari autem, ac ludere, abhorret à sceptro: Regum est enim regere civitates, leges populis dare, frænis cohibere vitia, virtutibus præmia indicere: tuendis regni finibus, aut protegendis subditis, justisque de causis prælia decernere; alias ad pacis consilia mentem convertere. Neque plura loquutus est donec mensæ quisquiliis, & linguis volatilium unâ congregatis, & in ignem projectis Mercurio libatum est, & vina quisque coronans Deos iterum quisque salutavit Galliarum præsides, nec non indigetes heroësque, & quotquot virtus cœlo consecraverat.

CAP. XII.

Quæritur utrum satius sit domi, an publicis in scholis rudimenta artium liberalium ponere.

Soluto convivio, remotisque mensis Rex Astior, consessum talibus verbis aggressus est: ne vos ultra lateat causa, quæ vos ad convivium & consilium hoc

Digitized by Google

evocavit, paucis nunc dicam quod ſentio, & reor faciundum. Non ignoratis, mei proceres, priſcam apud Gallos ſemper invaluiſſe conſuetudinem, ut pueros ſuos procul à ſe alendos, ingenuiſque moribus atque artibus inſtituendos mitterent ſtatim atque infantiam exuiſſent; nec niſi cum adoleviſſent, quo munus militiæ poſſent ſuſtinere, palam ad ſe redire paterentur: nam filium in puerili ætate in publico conſpectu patris adſiſtere turpe ducebant. Ab illo more herclè laudatiſſimo degeneri eſſe mihi non placet, nec optantem ullo modo deceret; & quamvis jam ab anno avulſum è materno ſinu communem filium, & unicum genialis thalami pignus Theandro noſtro commiſerimus educandum, rariuſque ad oculos noſtros ſecretus à nobis puer admittatur, tamen, quia mollior illa principis educatio videretur, in alienas & longinquas provincias hunc dimittendum operæ pretium duco, donec grandior atque robuſtior in conſpectu parentum ſiſti dignus habeatur. Tu quid cenſes, mea Argenis?

Et illa perorantem ita excepit: Mihi neque probabitur unquam mollior ille quam par eſt, parentum affectus in liberos quos à ſe diſtrahi non ferunt, non mecaſtor, dilecte conjux, non ſi à parentibus fato præcoce raptis nunquam videantur. Scilicet affectus ille quo ſtrictiſſime liberos ſuos nullius virtutis compotes ſed adhuc brutos parentes amplectuntur ab ipſa ratione quæ naturam debet vincere, prorſus deſciſcit, quare nec egomet à more majorum vel lato ungue diſcedendum rata; cum amor ille mihi legitimus videatur, Theopompum noſtrum ſemoveri à me libenter patiar, donec promendi ingenii capax, aliquod virtutis ſpecimen poſſit exprimere: veri & paterni amoris argumentum eſt, ſibi hac in re crudelem eſſe, neque ingenito hoc affectu abripi: amor autem legitimus fuerit, ubi dignos qui amentur, eos agnoſcimus, tunc eos

amplecti, & veluti dignam parentibus virtutem in eis revereri, atque ſuſpicere: tunc duce ratione liceat ferri ad paternam in eos pietatem, cum ſuis facinoribus, & ſua virtute genus ſuum illuſtrant. Numquid inſulſum eſt parentes nugis puerorum, & ludicris geſtis delectari, vel cum eis in arundine longa equitare, & inſtar illorum qui ſimiorum gannientium ſpectaculo ſummam capiunt voluptatem, ſic in his puerilibus liberorum nugis ſummum votorum poſuiſſe. Juvat itaque pro avito more liberos è paterna domo removere donec & maturior ætas, & diſciplina prolixior probandæ parentibus ſuis induſtriæ capaces eos, & ad arma, regendoſve populos effecerint præceptorum manu excultos, & cum tempore ad ſumma eruditis, ne paternis in focis molli otio langueſcant, & fœmineum in morem emolliti vel infamiæ labem familiis inferant, vel omni mollitie diffluentes ſe ipſos cæteris mortalibus deridendos propinent. Eſt enim otium omnium liberalium artium atque virtutum noverca, vitii fomes, fatale hominis exitium, ita ut quotquot mala in eum inundant, atque depluunt, pene omnia ab otio tanquam à proprio fonte ſcaturiant: quemadmodum enim ferrum quod non tractatur rubiginem contrahit; & ſicut aqua torpens tetram mephitim exhalat; & ſic animus labore non excultus, torpore languido diſſolvi ſolet atque deficere. Hæc Argenis animo ſane minime muliebri.

Tum Aneroëſtus qui ad id conſilii fuerat à Rege invitatus rogante Rege tertias ita tenuit: certum eſt & citra omne ambiguum in ſcholarum publicarum umbraculis longe à parentum blanditiis, magis quam domi, & paternis in focis utilius eſſe ſtudium litterarum, aut cujuſcunque diſciplinæ, majoreſque in pueros fructus emanare jam olim à majoribus animadverſum. Non eſt tamen diſſimulandum eſſe nonnullos, qui ab hoc prope publico more privata quadam perſuaſione

ſione cum diſſentiant, ad eam duplici ratione ferantur ſententiam, alterâ quidem quaſi moribus liberorum magis conſulentes, ne hi ſcilicet pellecti coævorum lenociniis per abrupta vitiorum abrepti expectationem de ſe concitatam fallant. Altera vero, quod longe liberalius tempora ſua præceptor uni ſit impenſurus, quam ſi in plures partiatur. Et plane prior cauſa gravis illa eſt ſi liberalibus quidem diſciplinis ſcholas prodeſſe, moribus autem nocere conſtaret: ſed iſta nequicquam maxime in principe qui præter communes magiſtros, aliquos alios etiam ſibi addictos, & non ſolum ſtudiorum provectores, verum etiam morum cuſtodes, demum Argos & Chirones habiturus eſt. Corrumpi mores in ſcholis putant; ſed domi quoque; cujus rei plura ſunt exempla quam conſervatæ ſanctitatis: nam & poteſt eſſe turpis domeſticus ille præceptor. Adde parentum ſocordiam aut incuriam circa mores liberorum, adde otium & inſanum parentum amorem, adde vernularum illecebras & perverſum comitatum: porro quid non adultus concupiſcat qui in purpura enutritur? mollis illa educatio quam multos transverſos egit! aſſueſcendum à puero ei cui in media luce vivendum non illa ſolitaria, & umbratili vita palleſcere. Verum excitanda æmulatio, nam etſi ambitio vitium videatur, attamen plerumque ſemen virtutis eſſe ſolet. Deinde cum proferenda ſunt ſtudia, caligat in Sole, & omnia nova offendit qui ſolus didicerit quod inter multos evulgandum eſt: in ſcholis audiet multa in dies probari, multa corrigi: proderit alicujus objurgata deſidia; proderit laudata induſtria: turpe ducet cedere pari, pulchrum ſuperaſſe majores. Et ſic paulatim accreſcere puer, & exire de gremio, ac diſcere ſerio incipiet.

CAP.

CAP. XIII.

Quæritur an pluribus, & quibus maxime disciplinis Regius puer debeat institui.

Consplrantibus in eandem sententiam omnium animis quæsitum deinde quibus maxime ingenuis artibus & qua in plaga vacare principem oporteret. Optabat enim Rex filium in omni arte liberali esse perquam apprimè versatum & excultum, neque solum callere linguarum omnium quas alit Europa varietates, non modo suasoriâ excellere; verum etiam Siderum cursus atque defectus; situs, intervalla locorum, moresque populorum, ac principum potentiam & affinitates nosse; in omni palæstræ certamine primas tenere. Et quoniam apud Phocenses nostrates vigent Academiæ in quibus omnes artes excoluntur, ibi Theopompo nostro rudimenta veræ lucis, & justi regininis ponenda esse autumo.

Ad hæc Theander recte mones, Rex augustissime, verum quis omnes simul artes complecti possit, & diversis mentem astringere? numquid timendum ne confundatur animus, ac fatigetur tot disciplinis, variisque studiis; ad quæ nec mens, nec corpus, nec dies sufficiat? & quamvis hæc omnia patiatur ætas robustior, tamen annos pueriles onerare quis æquum putet?

Imo retulit Rex: quis non obtundatur ingenio, si per totum diem magistrum unicum audiat? mutatione recreamur in artibus ingenuis non secus ac in cibis quorum varietate stomachus gestit, & pluribus minori fastidio alitur. Tuo tamen judicio, mi Theander, cuncta remitto.

At Gobrias non ita probabat ut princeps in scholarum umbra in nescio quibus argutiis superflui acuminis consenescceret, adeo ut in cæteris ingenia caligarent,

Digitized by Google

rent, ſed augurandi in populis motus, & tempeſtivis remediis eos occupandi ſcientiam prævalere docebat.

Reſumit Theander : qui principes ſine litterarum præſidio vivunt, ſæpe ad alterius nutum regnum coguntur adminiſtrare. Equidem hunc principem abſolutum putabo, qui ad rempublicam ſcientiaſque natus ſit, & formatus, non tamen inſtitutus in argutiis umbratilis ludi, aut argumentis Philoſophiæ ſe ipſam torquentis, neque in poëſeos numeris ; ſed in veterum monumentis, condendis legibus, regendis in pace populis, denique principum & populorum moribus quatenus ex variis eventibus diſcat ſapere : dum enim in ritus peregrinos intuebitur, quæ inde placuerunt, in ſuos evehet, quo poſſit condere civium mores, & patriam firmare conſiliis. Prudentia ſcilicet virtus unica eſt qua conſtituuntur, augenturque reſp. Illa autem ab eventu rerum procedit, & eventus non niſi ab hiſtoria, aut ab uſu dijudicatur, ſed brevior vita eſt ; igitur hiſtoria pervolvenda, quam non ſolum ut teſtem temporum, & magiſtram vitæ ; ſed velut coacervatam ex omni parte ſapientiam ſummi Reges filiis ſuis impenſe commendarunt.

Sed quoniam non ſolo litterarum uſu fulcitur æternitas, quaſi ab omni oblivionis injuria ad publicam lucem uni veterum codices res dignas memoria vendicent : imaginibus etiam artes, molibuſque viguere, quarum uſus à cunis orbis hactenus invaluit : Neque melius de humana gente Mercurius, Cadmus, Palamedes olim meruere, quod ſonos vocis innumeros paucis litterarum notis terminarunt, ad viros illuſtres conſecrandos, quos ſuas virtus in faſtis deſcripſerit. Neque majus ſibi apud poſteros decus peperere illi qui grammaticæ implicatos canones ad certiorem annalium notitiam ſunt auſpicati, quam primi illi mortalium, qui ignoto communis ſtyli uſu hieroglyficis, & columnis lapi-

lapides rerum geſtarum, inventarumque diſciplinarum compendia inſculpſere ad poſteritatis nunquam perituram memoriam traducenda.

Placuit coronæ ediſcendæ, & puerorum animus facilius inſerendæ hiſtoriæ ejuſmodi formula per tabellas: hoc enim artificio memoriam putavere non mediocriter adjuvandam. Rogavit autem Rex enixè Theandrum ut hujus ſuæ artis periculum faceret.

Imo, retulit Theander, ipſe Theopompus tabellas atrii illius quo aſſuetus eſt, ſi lubet, Regi, totique conſeſſui, elucidet, & excidio Ilii repetito quaſi ab ovo, ex cineribus illis maximorum imperiorum ducat origines. Datur hæc antiquitati venia, ut miſcendo humana divinis primordia imperiorum auguſtiora faciat. Itaque facta poteſtate loquendi Theopompus cœpit ea quæ à chariſſimo præceptore audierat propoſitis tabellis ſcitè, dilucideque enarrare.

CAP. XIV.

Trojani excidii hiſtoria ab ovo explicatur in Tabellis.

Has quando jubes aug. Rex, quas artificis manus genuinis corloribus adumbravit, diſpoſitas in atrio domus tabulas ordine profero, & docto penicillo deſcriptas hiſtorias ex Theandri noſtri diſciplina ſic expono. Sit ergo

Tabella Prima.

In qua Æſonis frater Pelias, qui quondam in Theſſalia principatum tenuit docta manu exprimitur: nam is veritus ne ab Jaſone Æſonis filio, clientelis potente, ſolio deturbetur, rapiendi apud Colchos velleris aurei vehemens ei deſiderium impreſſit. Quod ille conſilium minimè detrectavit, ſatis gnarus in eo vellere quod Phrixus Helleſponto trajecto eo loci traduxerat, latere

tere arcanam Philoſophorum ſapientiam, & theſauros innumeros auri. Extructa ab Argo artifice ſolertiſſimo digna tanta fortuna navi, totam Græciam rumor iſte invaſit. Confluxere ad expeditionis ſocietatem Theſſali principes, & Ahaici, expeditamque armamentis navim ad Simoënta admoventes Deos adoravere Phrygiæ indigetes. Perculſus eo rumore Rex Ilii Laomedon, qui commercium nullum cum Græcis admittebat, ad portum delegat qui à ſuis finibus illos arceant: ſi ſecus faxint, Regem adfore qui valida manu compeſcat prædonum audaciam. Argonautæ potentioribus cedendum rati ſolvunt è littore, Colchos quærunt, expugnatiſque cuſtodibus Jaſon (ope Medeæ) latens in Campo Martio vellus obtinet. Præda dives curſum remetitur in patriam, comite itineris Medea, & fruſtra reclamante patre illius Aëta.

Tabella Secunda.

Hercules unus ex Argonautis iniqua mente ferens inuſtam ſibi, ſociiſque contumeliam, Caſtorem & Pollucem, Telamonem & Neſtorem, alioſque principes dictis aggreditur communis expoſtulator injuriæ, & ad ultionem accendit, utpote eodem vulnere laceſſitos. Scribuntur copiæ, claſſis comparatur quam ad Sigæum per noctis illuſtris ſilentium applicant: penetrante regiam famâ ſuccinctus celeri equitum ala Laomedon à fronte obvios adoritur, dum Alcides incauto Rege expugnat Ilium, qui mox gradum reflectens Regem cædit. Telamon vero quia in urbem per ruinam muri adrepentibus anteſignanus fuerat Heſionem Laomedontis prolem præmium virtutis ſuæ retulit. Coacto Priami conſilio legatur Antenor in Græciam repetendæ cauſa Heſionæ: quod cum in irrita cecidiſſet Alexander Paris ultro legationi ſe obtulit obeundæ, & quidem cum fœnore. Is cum olim funeſto portento

ter,

Digitized by Google

territis parentibus imperio Priami esset expositus, Hecubæ vero infantis emollitæ veneribus maternâ curâ inter agrestes educaretur, indicto Agonali certamine, omnium, atque ipsius invicti Hectoris victor extitit; qui dum indignabundus in palmarem ferrum stringit; Alexandrum Paridem præferentem illico crepundia & germanum agnoscit, & in imperii partem recipit, facem futuram Imperii.

Tabella Tertia.

Hic Alex. Paris cum esset mollis ac Phrygiæ indolis, Helenæque forma pellectus, revocat in mentem promissum Veneris, & coactis in consilium principibus ad repetendam Hesionem ita explicuit.

Dum pastoritiam in monte Ida vitam agerem paterna extorris domo; & per Solis æstum gregem in supercilium montis subduxissem, quem Apollo inter homines si rursum viveret ipsi Parnasso prætulisset, (nam ibi Zephyri gratissime errantes placide manantis rivi loquacitatem levi murmure interrumpebant) ego sub Myrto quæ in immensa spatia ramos porrexerat, Jovis & Thetydos amores meditabar, aqua tamen abstinui, & tam leni concordia ad vocem pulsabam resonantes Cytharæ nervos, ut levem somnum concitarem mihi ipse Mercurius; tum demum defatigato brachio cytharam demisi in terram; connexisque pedibus & dextero cubito genibus impresso sopore victus sum.

Videbam in somnis coactam Deorum turbam ad Pelei Thetydosque nuptias, nuptias utique fortunatas si una discordia abfuisset. Verum hæc Dea non invitata solerter irrepens aureum malum quod inter Hesperidum pometa selegerat, in medium cœtum projecit, tot contentionum argumentum. Hujus enim pomi fulgore captas, Junonem, Palladem, & Venerem, sed ipso imprimis titulo, *Detur Pulcherrimæ*, judice

Jove inter ſe committet. Jovem ergo arbitrum adorſa Juno ſic perorare mihi viſa eſt.

Orta inter me, nataſque tuas lite de præmio formæ (maxime Deum atque hominum Rex) ad tuum tribunal advolo, ut quod tam impenſe efflagito, abs te eliciam; quod mihi non denegaveris illæſa virtutis tuæ fama. Temere audeant illæ Deæ ſollicitare venuſtatis præmium. Atqui ſi neminem præter te addecet in thalami ſociæ delectu non aberrare, quæ politior aut elegantior tua Junone eſſe poſſit? quid ſi jactabo me ſororem & conjugem tuam? quæ duo extra communem vulgi Deorum ſortem mirum quantum me attollunt. Neque Pallas, aut Venus de pulchritudine poteſt contendere, niſi officiendo honori tuo, ac meo; neque tu alterutri lauream cedere, niſi conjugi tuæ earum formam prætuleris, quam ſtatim in miraculum trahent.

Mox aſſurgens Pallas vultu inter blanditias & fortitudinem medio, ſi me amas, inſit, optime pater, nullam Dearum augebis hoc formæ præmio, mei merentis injuria. Honos enim iſte me addecet æquiori jure quam Junonem ſeu Venerem, quæ pudorem virgineum, verum & ſolum decus faſtidioſo deſpicientes nutu, ſibi etiam arrogant quod plures Deos ſuis partibus ſtudentes habeant. Sit tibi Juno & ſoror & conjux: Venus titulos gnatæ, & thalami tui furta jactitet; ego vero nullius unquam adulteri ſerviſſe libidini; ſed ultimo Deorum ſaramento votum pudicitiæ firmaſſe glorior. Merum commentum eſt, & inuſtum honeſtæ fronti meæ convitium claudi Erictonii me eſſe matrem, aut loripedis Mulciberi infame ſcortum. Virgo ſum & hanc pudoris gemmam illibatam ſervabo, quæ me intus & foris præſtantem forma efficit. Si commendatur generis claritas? Quæ uſquam Dearum juxta mecum de cerebro tuo, abſque ullo muliebri conſortio cataphracta, & adulta

adulta emerſit? aliæ quidem infantiæ ſordibus fuere pollutæ; ego vero eâ corporis elegantia qua nunc polleo, primam lucem hauſi. Mitto cætera ſapientiæ, militiæque decora. Si Juno ſupercilium erigit, quod altaria ſua apud Argos, & Carthaginem thure adoleant, ſi Venus de ſua Cypro ſibi devota ſeſe effert, & magnifice circumſpicit, nunquid meæ ſunt Athenæ? Quamobrem, inclite Rex, non eſt quod diu in præſtantiſſima fluctues: mihi jam alias jus urbis nominandæ vel tuo fratre patruo meo adverſante conceſſiſti. Quidni æquiori jure aſpirem ad præmium in quo plus eſt mihi juris, quam in ea lite famoſiſſima?

Pallas paternæ dextetæ oſculum ponens perorandi finem fecit, cum Venus ſurrexit obfirmato ſupercilio; oculiſque nunc inſitas blanditias, nunc in invidiam flexis ita orſa eſt.

De præmio formæ quod nemo mihi detrahit, nequicquam dimico, ſereniſſime, cum thalamos meos Junoni ipſi prætuleris. Sileat conjux tua, quam Ledæ, Calliſtus, Inachidis, Danaës amori poſtponis: Pallas in caſtris ſuis laudem ſibi conciliet, ubi arma decus oris inficiunt non perficiunt. Me quidem tot artibus Dii pelliciunt, rapti veneribus meis, ut niſi is eſſes quem cæteris præverterem tot mihi forent ſocii thori genialis, quot numinibus cœlum auxiſti. Quæ autem minus eſt idonea ad litandum amori, quam illa cujus bellatrix indoles vix ullis blanditiis expugnantur. Sin ex arbore fructum colligimus prodeat Mulciber, gratioſa illa Junonis ſoboles, cujus terribiles aſpectus ſic exhorruiſti, eum ut procul ab oculis tuis in Inſulam Lemnon amandaris. Sed quod œſtrum amoris Palladis tuæ pudorem ita perculit, ut Vulcano corporis ſui copiam faceret, pareretque claudo claudum Erictonium. Tum Cupidinem ſuum indigitans, eccè, ſubjicit, amoris mutui, & tuæ, meæque formæ certiſſima

pignora; ecce communis utrique progenies, Deus amorum, & omnium illecebrarum compendium.

Tabella Quarta.

In ea Jovi inopi consiliis placuit, ne Dearum in offensam incurreret, solito Judicum uti artificio, & Idæo pastori in dirimendis controversiis æquissimo totius litis summam committere. Mox oculorum nutu obsequium jubente accivit Mercurium, cui porrigens malum aureum, i, nate, inquit & Deabus esto dux ad Alex. Paridem Idæ montis incolam: is totius contentionis sit arbiter. Nec dicta res remorata. Ermes impiger alas galero, & calcibus aptat, caduceumque altera manu, altera formæ præmium librans in sublime rapitur eo instanti quo currus Deabus admoti. Juno ubi vexatam ferro comam Hebes, Iridisque ministerio torsisset ad speculum, ubi & vestes induisset, in quibus acus Phrygia illius gesta præclara descripserat, emicare hanc vidisses ex curru, ubi jugati pavones Argi oculis conspicui suam Reginam implebant spe futuræ victoriæ. Pallas ægide & galea positis, ascititio lepore, & aurea palla refulgens feralem sortem Arachnes exhibente arte Palladia, sublimis in curru à noctuis per aëra nocte vehebatur. Verum Cypris palmam cæteris præripiebat cæruleæ vestis pretio & illiciis oris, quibus internitebat suavitas purpuræ. Hæc alis columbarum, quas moderabatur Deus armiger, rapiebatur in argenteo curru cui fabricando Mulciber, & Brontes, Steropesque insudaverant.

Tabella Quinta

Tam splendida turba cum summum minacis Idæ supercilium attigisset Deæ Paridem inveniunt molli otiosaque securitate diffluentem; sed assiduis carminibus solitarium rumpentem silentium, atque ad fidium pulsum

pulſum voce accommodata Jovis & Thetydos amores ſuaviſſimo concentu modulantem. Ermes ubi malum aureum porrexit, exiliens curru Juno ſic prior alloquitur. O pulcherrime, & æquiſſime mortalium, ipſo dignior Ganymede, qui Jovi ambroſiam adminiſtrat, en tota tibi ſubjicitur Aſia, ſi æquus æſtimator fueris meæ formæ; ſi ſecus tibi, tuiſque catervæ ærumnarum author eris.

Perorantem Deam Pallas excipit: unâ ſapientiâ quæ Deorum eſt donum potes in virum evadere hoc ſæculo majorem, ſi dignum dotibus meis præmium mihi ceſſeris. Denique Venus cultu, vultuque ad laſciviam & mollitiem nato, præmiſſis illecebris, & nati artibus ſic cœpit Paridem ſibi propitiare: ô venuſtiſſime paſtorum Phrygiæ, & nympha digne orbe toto emendatiſſima, ſcias mihi eſſe apud Mycenas Pandoram & politiorem omnibus Dædali aut Phidiæ ſimulachris nympham, cujus forma & decor omnia Junonis & Palladis dona excedat, hanc tibi in conjugem dicavi, modo ne alteri debitum meæ formæ præmium dederis.

Concluſit Alexander Paris ea ſpe ſe fretrum Veneri præmium formæ obtuliſſe, atque ex illo vehementi iſtius muneris promiſſæque nymphæ deſiderio exarſiſſe.

Tabella Sexta.

Hic gratulantur Alexandro fratres, euntque in idem conſilium præter Helenum & Caſſandram qui vaticinantur everſutos Ilium Græcos, interituramque hoſtili manu cum Rege Priamo regiam, ſi è Græcis mulieribus Paris conjugem acciperet. Addebat tot portentis Hecuba ſuum inſomnium, quo buſtum patriæ in utero ſe geſtare ex conjectoribus audierat. Alexander nihilominus optimæ prædæ ſpe allectus, cum Regia claſſe Spartam ſe contulit ſpecie repetendæ Heſio-

nes. Ibi non indigno acceptus hoſpitio, indigniſſimum auſus eſt facinus, raptum Helenæ. Hæc Ledæ filia à Jove compreſſæ in Cycnum (ut fingunt) tranſverſa, ex eodem ovo quo Pollux, educta fuerat, id eſt, ex eodem partu.

Concuſſit totam Cherſoneſum, moxque aures Menelai atrox nuntium. Sed cum animadverteret Palamedes Regem Menelaum ira atque indignatione torpentem conſilio penitus excidiſſe, naves armamentis onerat. cogitque manu ſtrenuiſſimos totius Græciæ duces, quos quanquam facti atrocitas ad vindictam urgebat præcipites, his tamen legatos Trojam mittendi conſilium eſt: quod cum incaſſum cecidiſſet, bellum adornant. Aderat cum Pelopis tota ſtirpe Præantis filius Philoctetes, comes, & hæres Herculis: Phereus quoque, cujus pater Admetus quondam vicaria morte conjugis fata prorogarat. Præmiſſiſque à Calchante libis Imperatorem in templo Junonis Argivæ declarari placuit. Ibi Agamemnon conſentientibus votis ſummam belli in ſe ſuſcipit.

Tabella Septima.

Agamemnon longius paulo ab exercitu progreſſus forte circa lucum Dianæ paſcentem capream adverterat; hanc religionis hujuſce loci neſcius jaculo incautam transfigit; neque multo poſt irâ-ne cœleſti, an aëris mutatione? corporibus irrumpit lues, quæ in dies magis magiſque ſæviens promiſcuè per exercitum pecudeſque graſſabatur. Nullus funeri modus. Sollicitis ducibus Pythoniſſa Dianæ iras denuntiat, & eam ob necem capreæ qua maxime lætabatur ſacrilegi facinoris pœnam ab exercitu repetere, nec poſſe leniri priuſquam author tanti ſceleris filiam natu maximam immolaſſet. Recuſante Agamemnone profectus Mycenas Ulyſſes epiſtolam adulteratam Agamemnonis ſyngraphe ſcri-

ſcribit ad Clytemneſtram, quatenus illa Iphigeniam deſponſatam Achilli committeret Ulyſſi. Neque moram res paritur; ſtatim emicat in luco Dianæ cum victima. A Calchante ſacrificium adornabatur, dum parens ſcelus averſatus deflexit in regiam, ſolitarium dolorem paſcens. Ceſſata lue Agamemnon claſſem adornat nondum tamen deterſo mœrore de morte Iphigeniæ ſuæ. Hæc vulgante fama per veſtram Phrygiam, Trojanos metus invaſit: copiæ ab eis auxiliares arceſſuntur.

Agamemnone ad profectionem tepeſcente, & mœſto luctu obſito, inſinuatis quæ circa Iphigeniam evenerant ſic animum Regis nuntius reformavit: erant inquit in procinctu popæ, falſis frugibus reſperſa virgo ultimum carmen recitabat, cum ecce dies ſtipari nebulis cœpit; ſuccedunt coruſca fulmina, tonitruum fragores inſoliti, terra & mari ingentes motus, donec confuſione aëris tenebræ lucem eriperent, erumperetque magna vis imbrium, & grandinis. Tam ſubita permutatione aëris Menelaus cæterique ſacra parantes in diverſas mentes, ſententiaſque diſtrahi, terroreque concuti ad monſtrum inſuetum. Mox exaudiri voces crudele ſacrificium abominatæ. Deliberantibus cunctis cerva eximiæ formæ ob omnium noſtrum oculos ſe ſtitit. dum Iphigenia Scytharum Regi à me credita eſt. Quanto tunc gaudio Agamemnon geſtiit, quanta ſe alacritate ad bellum Trojanum accinxit cùm præſens, tùm ſequens pictura notabit.

Tabella Octava.

Jam caſtra ultra Sygæum in gemini collis confinio metabantur, cum recens caſus Græcorum duces diviſit: quippe oraculo juſſus eſt Palamedes Sminthio Apollini operari. Placuit non paucis id negotii, irritamentum futurum atrocis invidiæ inter principes.

Nam Hecatombe dum comparatur præeunte Chryſe, conſilium eſt Diomedem inter & Ulyſſem veterum memorem injuriarum Palamedi necis adornandæ. Itaque jactant in vulgus Palmedem ingens auri pondus in abdito domus incluſiſſe proditionis præmium; conſilia Græcorum Priamo ab eodem delata: hunc præterea detrectare Agamemnonis imperium. Ementito dolis argumento fidem auget aurum inventum, obruiturque ſaxorum grandine inclitus Imperator.

Tabella Nona.

In hac tabella Rheſus eſt qui cum validis Thracum copiis adventans; ſuoque & Phrygum fato iniquo incidente veſpera moras trahens in peninſula quæ eſt adverſa civitati, ſecundaque circiter vigilia campos Trojanos ingreſſus ſub pellibus pernoctavit. Diomedes & Ulyſſes rati exploratores eſſe gradum eo præcipitant, labore, ſomnoque fractos mactant, currus cum bigis avehunt. Quæ res nonnihil Trojanam labefactavit gentem; ſiquidem erat in fatis victorem fore Græcorum exercitum, ſi Rheſi

Ardentes avertat equos in caſtra, priuſquam
Pabula guſtaſſent Troja, Xanthumque bibiſſent.

Tabella Decima.

Sed quam concinne ſingulares pugnas artificis manus hic adumbravit! negabat ſe pugnaturum Achilles donec ſibi virgo Briſeis ab Agamemnone redderetur. Cedit tamen exoratus arma ſua Patroclo cum Myrmidonum exercitu. Adverſus procedit Hector, conſertiſque manibus hic victor extat, ille vincitur. Ut plangit Achilles charum in ultimis, ut ſuperbo extollit funere, placatque manes hoſtium captorum cruore; ut ad ultionem ſe proripit; ut ſuperbus inſtat: pugnamque depoſcit; ut remoratur irrumpentem Hectorem

Andro-

Digitized by Google

Andromache territa in ſomnis implacida imagine mariti necis, qui nihilominus proſilit in aciem, necem circumfert, quacunque gradum: congreditur, cæditur, & trajectis veſtigiis pomœrium urbis ab hoſte triumphante circumtrahitur. Ibi Priamus impetrato cadaveri dat inferias: hinc ulturus fratris necem Troilus in arenam deſcendit, in Achillem arietat, excuſſus equo mactatur: inde inde indignata Hecuba de geminæ prolis invicta fortitudine ab Achille domita, incendit ad vindictam Alexandrum Paridem.

Ergo fœderis ineundi in fano Timbræi Apollinis, & Hymenæi Achillem inter & Polyxenam contrahendi fucato conſilio, ſubſidente in inſidiis pro foribus templi cum valida manu Paride, telorum imbre Achilles nequicquam fortiter dimicans obruitur. Succeſſit in locum patris Pyrrhus Neoptolemus, cui minax occurrit Penteſilea, ſed Jove minime propitio. Interea cenſent Antenor, Æneas, & alii remittendam cum præda Helenam & reluctante Amphimaco ad proditionem ſe comparant Sinone iniqui fœderis ſequeſtre, quod utique exhibet.

Tabella Undecima.

Argivis reditum in patriam ſimulantibus, ſed iis latentibus in convalle montis, in equi dorſum ſeſe porrigentis (unde locus fabulæ) nocte concubia ad Scæam portam cum facibus ultro confluunt, excipiuntque ſuccinctum forti milite Neoptolemum, qui tot auſpiciis ferox vim parat, ſimilis debacchanti, & ante Jovis aram confectum ſenio Priamum ſuo furori immolat. Ubique funeſta ſtrages & infeſta nox. Gladius in cives, ſubjectus ignis in templa, ædeſque graſſatur. Quod autem reliquum fecit ignis, ferrum abſumpſit.

Coacto in arce Minervæ ab Agamemnone conſilio dividuntur manubiæ: Æneas, Antenor, in partem

Digitized by Google

Academiam florentiſſimam te, mi Theander, una cum filio meo mittere, ut in ipſis fontibus defæcatioris ſcientiæ aquas tu illi propinas; nihil ut eum ſcientiarum illarum lateat, quibus principes ſolio digni, & ad regendos populos idonei fiunt: ibique exacto anni unius curriculo, cum de ſuaſoria tantùm acceperit, quantùm neceſſe principi fuerit, in Siciliam ad avum Meleandrum, quò pulcherrimam ac florentem ejus ſenectutem exhilaret magis, tranſmigrabit. Novi enim quam vehemens ſit Theopompi videndi in eo deſiderium, poſſit in hac aula per artes regias excurrere, & omni nobilioris palæſtræ certamine exerceri: ubi enim gentium majori ſtudio, & ſplendore ſacri ludi floruere? quam multos Erix cœſtu, luĉta, curſu, jaculatione, Trojæ ludo ſuperavit, donec ipſe demum provocato Hercule, quo fortior, ſeu ſolertior alter nuſquam viſus, ab eodem victus, & cæſus eſſet. Idcirco mittendus erit poſt elapſum hunc annum Gobrias iſte noſter, per omnem palæſtram jam olim exercitatus, qui Theopompo dux, & tecum pariter comes, hanc à qua abhorres, palæſtram & nobilioris pulveris exercitamenta eum edoceat. Tu vero, mi Theander, moribus iſtius pueri ſic invigila, nihil ut indignum gerat purpura, nihil quod à ſceptri majeſtate abhorreat, donec ut annis maturioribus, ſic & virtutibus omnibuſque regiis dotibus floreat.

Interfata Argenis Regem ſic excepit: ubi gentium iſti Phocenſes poſiti ſunt, qui mores illorum, & quæ religio? Cui Rex Aſtioriſtes volens ſatisfacere ſic eſt orſus: quo tempore à Medis ad Perſas imperium transferebatur, Phocæi Aſiæ populi aſſiduis Perſarum bellis exagitati conſentientibus opinionibus natale ſolum verterunt, diris omnibus ſe devoventes, ſi quando reditum molirentur. Varia deinde fortuna uſi in Galliam noſtram delati ſunt, & poſt levia aliquot cum Salyis

eſt ingenuique pulveris Gymnaſium quod Theopompo noſtro deſtinatum eſt.

Annuente Argenide, captatiſque aſtantium auſpiciis, & circumſpectis opinionibus iter ſuadet Theandro maturius adornandum, & Phocenſium exercitationibus ingenuis principem imbuendum; deinde mandavit ducto in Siciliam Theopompo avi Meleandri vota expleret, tum natu grandiorem, dignumque parentum oculis, & populi admiratione reduceret in Galliam: caveret tamen ne exculto ingenio parceret gymnaſiorum glorioſiſſimo pulveri, ſed maxime domandis equis, emittendo jaculo eum ſatis exercitum in patriam reduceret: neque defuturos in Sicilia, perinde atque in Gallia magiſtros, qui perficiendis & expoliendis dotibus quas natura naſcenti implantavit, inſudarent: ſaltaret etiam ex Andronis Siculi diſciplina, neque luctam, diſcum, & cœſtum, ſi pares poſſet invenire, negligeret, quibus exercitationibus olim Siculi ſub Ericis auſpiciis primas inter cæteros tenuere.

Promiſit Theander nil ſe prætermiſſurum quod expoliendo principi conduceret, neque ultra moras nexurum: ſed poſtera luce comparatis ſarcinulis & præmiſſa Hebe, ſeu Deæ juventæ libatione iter aggreſſurum. Itaque mandavit Rex Gobriæ ut mediam viæ partem unâ conficeret, ne quid inauſpicati contingeret puero, è vernis quantum eſſet neceſſe expediret, relictiſque duobus ad pueri miniſterium deſtinatis, reliqui mox reditum in aulam adornarent. Sic præmunitus Theander ad extremam ſalutem ſe comparabat, cum Argenidis Reginæ quaſſata præcordia ad lachrymas tunc eam adegere; verum ubi primus ille imber detonuit, cœpit ad conſtantiores vultus ſe componere, & deterſis fletibus extremis amplexibus natum ligare vel uſque ad livorem: puer autem Regis ad manus demiſſus, ad paternum etiam oſculum admiſſus eſt.

AR-

ARCHOMBROTI ET THEOPOMPI
SIVE
TERTIÆ PARTIS
ARGENIDIS
DE
EDUCATIONE PRINCIPIS
LIBER TERTIUS.

CAPUT I.

ARGUMENTUM.

Theop. comite Theandro, & Gobria viam ingreditur, eumque ad metam pervenit Theander discipulo persuadere conatur quibus potest argumentis jucundam esse litterarum culturam.

ADERAT postera lux, & aurora lucis prævia per vitrea ludens specularia proximum esse ortum solis admonebat. Itaque Gobrias membra adhuc somno gravia simul excitat, simul è stratis corripit, & ad cuncta ad longum iter procuranda mentem appellit: neque longa mora abfuit, quin Theander Theopompum excitaret, qui complosis gaudio manibus dixit Herculi se fore æqualem, qui à pueritia longis se peregrinationibus olim addixerat, votisque præmissis, ipse se ad viam expedivit pluribus diebus conficiendam nisi sumpta Rhodani amnis occasione (id enim consilii subito Theopompi animum incessit cùm propter iniquam grassatorum famam, frequentissimasque excursiones, tùm propter ripæ amœnitatem) navigationem subornassent. Tunc ergo conducto navigio, & omissis equis arena fervere cœpit

cœpit miniſtrantium, & nautarum officiis; onuſtaque ſarcinulis, & vario commeatu ad ſtomachi refectionem navicula: ſumptoque jentaculo Theopompus, Theander, Gobrias, cum famulorum comitatu ſolvunt è littore, & ſecundo amne delabuntur.

Interim Theopompum Theander ad ſtudia litterarum qua poterat arte invitabat, monens ne pulcherrimum curſum ſineret contrariis ventis perverti, improbo labore Muſas conciliari: quas cum in ſecretum ſæpe admiſiſſet, ſic fore ſubdebat, ut inde ſaniora præcepta haurire poſſet regendis aliquando populis, his aſſueſcendum eſſe à puero ei cui in media luce vivendum, & habenæ regni regendæ: adſcititia hac ſapientia rationem ingenitam perfici, latiuſque pervagari: eſſe hanc mentis lumen clariſſimum quod non minori ſtudio quam lucem oculorum cæcus, deberet expetere: neque ex illis eſſe bonis quæ vel à nocturnis prædonibus diripi poſſunt, vel fortunæ aleæ exponuntur, ſed illius æternam fore poſſeſſionem; è converſo ignorantiâ & inertiâ in principe regendis populis nato nihil eſſe turpius; & ubi princeps ingenitæ imperitiæ relictus eſt, vix majus eſſe in rep. malum; inde enim diſſolutam mollitiem, ignavumque tumorem faſtidioſo nutu cuncta deſpicientem naſci. Subjiciebat oculis ejus viros clariſſimos qui ſe ſcientiarum ſtudio quia tradidiſſent, qui majoribus ſuis illuſtri forma regiminis longe anteiſſent, quia prudentia & ſagacitas illa quæ ex frequenti lectione imbibitur, fax eſt prævia inter civiles imperii Syrtes qua duce à recto tramite vix aberrent.

Nec eſt, fili, inquit, quod labore deterrearis, maxime ſi jucundam eſſe & delectabilem illius ſcientiæ liberalioris culturam ipſa luce Solis clarius tibi demonſtravero. Loquor autem de honeſta illa oblectatione animi, quam quidem ſequacibus ſuis uſus & exercitationes

tiones ubertim refundunt litterarum : refundunt, inquam, non in perfruitione modo ſcientiæ, in qua cum acquievit animus hominis aliquando, certe in partem fœlicitatis venit : verum etiam in operoſa ejuſdem inveſtigatione, in tyrociniorum ſalebris, in primo illo contendentium animorum angiportu, ubi ſuo ſe crepuſculo earundem ſcientiarum fulgor explicat, non parum jucunditatis creant.

Placuit Theopompo, & Gobriæ propoſitum ejuſmodi argumentum; nam etſi Theopompus vix ac ne vix quidem provectus eſſet in litteris, ad eas tamen inſitos quoſdam habebat aculeos, Gobrias vero litterarum non omnino expers erat. Itaque Theander utroque audiente ſermonem inſinuatum ſic proſequutus eſt. Cum primum exploro paulo accuratius quidnam jucunde afficiat hominem, reperio vel illud eſſe cujus habeat à natura ſemen, & igniculos, & in quod congenita ſibi propenſione ſponte deſcendat : vel id cujus aliquam obtinuerit aſſuetudinem : ſeu tandem illud ex cujus contubernio bene illi, beateque habere concedatur.

Et quod ad primum illud naturæ invitamentum, ita conſtat mi Theopompe, ſciendi cupiditatem tanquam aliquod veritatis comparandæ ſemen cum mente pariter è cœlo fluxiſſe in homines, ut res oculorum potius quam rationis, & argumentorum eſſe videatur. Nam in quas terrarum horas abeundum erit, ut hujuſmodi hominem reperiamus, cui ſic parum hominis inſit, & quem tam ſtupidum tam avara natura in lucem exceperit, ut non rerum novarum eruditione delectetur? tam incurioſum ut cauſas, & principia eorum quæ ſubjecta ſunt oculis, nolit habere explorata, tam alienum ab humanorum conſuetudine, ut non auribus jucunde teneatur quoties inſtituitur narratio de exterarum gentium ingeniis, & ritibus ſive babarica feritate incultis,

Digitized by Google

cultis ſive politiori rerum agendarum diſciplina informatis. At vero iſtud unde ſit, niſi ex eo quod univerſi à natura ſcire deſiderant? & revera præterquam quod nihil eſt diſſentaneum magis à nobilitate hominis quam earundem rerum quibus à Deo præficitur, ignoratio, contra ejuſdem bonum graviter à natura peccatum eſſet, ſi principem illum orbis hominem in claſſem brutarum animantium proxime dejectum eſſe voluiſſet, atque adeo ſcientiarum luce prælata in ſimilitudinem familiaritatemque divinam illius intellectum minime traduxiſſet.

Sed quid ajo tum peccatum fuiſſe in hominem à natura, cum illum cupiditate ſciendi nulla ſtimulaſſet? hominem nunquam molita eſſet, cum id duntaxat confeciſſet, quod ſeipſum perficere nequiviſſet. Unde prope eſt ut mallem alicujus Phidiæ aut Pygmalionis conformatus eſſe in ſtatuam, unde eſſet mihi ſtatuæ commendatio, quam eſſe Phidias, aut Pygmalio, quem natura ſine ullo artium incentivo finxiſſet. Quid enim finxiſſet? nunquam non futurum ignoratem: ſi autem ignorantem, & ſepultum, cum ſit ignorantia vivi hominis ſepultura: ſi ſepultum; profecto extinctum, & proinde jam non hominem.

Atque ex iis velim pro ſtatuto apud te eſſe, fili, præcipuam jucunditatis partem è litteris, tanquam ab aliquo ſolo, quod natura hortatrice proponitur, unicuique excolendum efflorescere. Naturæ quiſque ſuæ ſemina ſequitur. Sequitur, non trahitur; non vi, non machinis, non impreſſione data urgetur: quid enim natura facilius, quid benignius? te in litteras invitat; audi libere, tuarumque ſecurus rerum adi ultro. Quid ſuſpicioſus reformidas? vocantur à natura rivi, & quotquot amnes terram alluunt, vide quam exultanter, & quaſi ludibundo fluctuum agmine ad Oceanum decurrunt.

Digitized by Google

Venio nunc ad ſecundam ingenuarum voluptatum ſcatebram, nempe conſuetudinem agendi. Scilicet omne conſuetum eſt delectabile: eſt enim id munus conſuetudinis & moris ſuorum ut repetitione actuum quaſi quodam bipalio difficultatum omnium ſpinas averruncent, complanent ſalebras, & quidquid acerbum & inamœnum eſt, ſuavitate contemperent. Cujus veritatis tam luculenta quotidie verſantur ante oculos teſtimonia, ut jam non admiremur ad uſtrinam malleatores ſcommatis dictiſque jocularibus paſſim uti quam hilariſſimo animo: metallorum etiam foſſores; & quod niſi ex oculorum fide perſuaderi fortaſſe minime potuiſſet, ipſos in tranſtris remiges in perpetuo illo adductu, reductuque remorum proſulcantium mare cantantes exaudimus. Ita nempe ferrum in uſtrina, in fodina marmor, remi denique in inclementiſſimo elemento jucunde ex conſuetudine pertractantur. Et litterarum coronarii pulvini, Muſarum delicioſiſſima tempe, humanitatum pigmenta pluſquam Arabica ſuavitate ſpirantia ſingularem præ omnibus illis voluptatem non parturient? Tertium bene & fœliciter habet in litteris quiſquis honeſto librorum ocio defungens, veræ ſapientiæ nomen dedit, dixitque ſtudio virtutis ſacramentum. Quis amabo beatior homine undequaque imperturbato? quis imperturbatior evecto ſupra humanum faſtigium, de ſublimiori rerum pulverem & ludibria temporum deſpectante; cujus una familiaritas librorum, ſapientumque monumenta, cujus unum ſodalitium ſcientiæ, una ſollicitudo, veritas?

Obruere aures facile poſſem myriadibus exemplorum: proferrem in medium ab omni ſeculo factos hujuſmodi homines, qui admodum pauca cum ruſticatione conferrent, & ſeducta è forenſibus rebus vita, cum litterarum contubernio, nihil qui coronas & ſceptra Regum orbi prælata quidem agnoſcerent; diſciplinas

vero

vero liberales diadematis, & ſceptris anteponerent.

Et poſt hæc ſubdubitabit quiſpiam utrum ex litteris jucunditas proficiſcatur, & litterariæ voluptatis buccinatores falſitatis inſimulabit? Nunquid fungi illi, quidquid contingit parari jucundius in vita, ex nugis ita definient, ut laborem omnem proſcriptum velint; & conflatam ex ludis, excurſitationibus, fabulis, libertate ſenſuum, ſquallore, ſituque ingenii, fœlicitatem Epicuri de grege porci unam & ſolam approbent? ſiccine terrentem Gorgone Palladem, non Palladem oliviferam, & obarmatam; non armatam ſibi, ſuæque ipſorum utilitati reſpiciunt? Tu liberalioris ingenii juvenis pro hac indole fœliciori ſpem longe florentiorem concitaſti. Neque enim erit ea contumacia tua ut invitationi naturæ reluctēris; neque is torpor pectus obliquat, ut pigeat conſueſcere litteris, & ad elegantiam morum vocare ſcientias: neque ita denique videris mihi degenerante in proletarios animo, ut non ad illuſtriorem ſcientiæ & ſapientiæ gloriam diligentia velificante aſpires. Tantum oro periculum facias hujus veritatis, nimirum plus in otio inertium diſcruciantis animi, quam in litterarum negotio, quod re vera in jucunditate totum eſt, reperiri. Neque dixeris cum ignavorum & fucorum examine: O litterarum importunitatem! ô moleſtam circuitionem in iiſdem ſemper Euripis æſtuantem, quin hos ipſos reprimens exclama: ô pergratum, ô nobilem recurſum ad Palladias concertationes, ad ingenuum pulverem, ad operam plane homine dignam!

CAP. II.

Occaſione Rhodani dictum eſt de fontium fluviorumque originibus, & Gobria patriam revertente Theopompus Arelatam pervenit, audivitque quam cruenta eſſent Dianæ ſacra.

Hac invitatione accenſus Theopomp., nullum, inquit, ætatis meæ tempus interverſurum me ſcias

ſine jucundiſſimo illo litterarum ocio, nilque impoſterum gratius mihi fore neque ſanctius Muſarum conſortio, quarum ego familiari commercio quantum per ſeria licuerit, ſemper utar quam liberaliſſimè. Applauſerant dicenti Theander & Gobrias, cum princeps ſciendi avidus & advertens quam ſecundo amne navis laberetur, jamque latiore alveo præcipitaret aquas ad oſtia, percontari ſciſcitatione diligentiſſima cœpit, quæ fluminum eſſent origines. Ad quæ liberali vultu Theander. De originibus fontium, fluviorum, & lacuum, quando is tibi animus eſt ſciſcitandi, raptim dicam quod cenſeo. Hæc ex triplici cauſa poſſunt oriri, primum ex aëre, cum per poros terræ permeans, & nimio frigore condenſatus humor in aquas reſolvitur, ſervaturque in cavis rupibus dum plenus refluit. Deinde oriri poſſunt ex pluviis quæ ſuperficiem terræ excurrentes ad ima tendunt, fonteſque generant. Denique à mari per ſecretas terræ partes profluentes aquæ erumpunt nonnunquam, & terræ ſinu poſtquam per ejus viſcera diſcurrere: imo vidimus ſub vicinis Alpibus aliquos amnes ſe in ſubterraneos lacus horrendum in morem immergentes; in Bœtica vero immergentem ſe, & rurſum emergentem amnem quis non novit, unde Anas illi nomen. Quid de Arethuſa, & Alphœo dicam qui amnes juxta Piſas defluentes longo curſu in Achaiam, & ibi terra abſorpti, & ſubter mare decurrentes in eundem tandem alveum apud Syracuſas coëunt? unde poëtarum fabulis locus datus.

Ad eam Rhodani partem, dum navigationis laborem variis ſermonibus fraudant, labendo pervenerant, ubi iſte amnis omnium rapidiſſimus in duo ſectus cornua eodem impetu fluendi aquas ad mare præcipitat, & urbem, Thelinam nuper, hodie dictam à particula aræ Dianæ Epheſo iſtuc tranſlata, Arelatam dividit. Conſilium eſt igitur ad portum proximum appellendi,

di, & quod ſupereat viæ uſque Phocaidem equis comparatis emetiendi; nec enim in ea urbe quæ nationum omnium emporium erat tota Europa celeberrimum, deerant conductitii. Placuit tamen ex Regis mandato ſortem impoſterum ementiri propter neſcio quas factioſorum à civili bello vix ſatis quietorum reliquias. Tunc ad Gobriam Theopompi vernaculus, audiens pervertendum eſſe habitum, & diſſimulandam patriam, quid ergo? an circumcidemur ut Judæi videamur, aut pertundentur aures noſtræ, ut imitemur Arabes? neque ultra increta facies erit, ne ſuos Gallia cives notet? imo retulit Gobrias nos Belgas mentiemur per Ararim in Rhodanum devolutos.

Itaque Theander poſtquam Deos indigetes adoravit è navi deſcendit in arenam: Gobrias autem mox è portu ad urbem traductus eſt cum paucis, ut in diverſorio prandium juberet adornari, aliis aliquo intervallo, ne qua ſuſpicio in mentes civium poſſet irrepere, quaſi perfunctorie ſequentibus. Mirabatur princeps duplicis urbis miracula, quam venuſtiorem interlabens Rhodanus ea ætate faciebat: ſpectabat ædificiorum non vulgarem elegantiam. In ſuperiori urbis regione erat Lycæum quod & juvenum frequentia, & ædium magnificentia celebrabat: cujus inter cætera miracula columnæ ab Hercule poſitæ grandem in molem aſſurgebant. Sed his omnibus obiter viſis ad diverſorium iter proſequuti accubuere triclinio, & exhauſti navigio ſtomachi ruinas lautiſſimo prandio reparārunt. Quo ſoluto Gobrias relictis cum principe atque Theandro duobus famulis, reliquos vernas ſecum abduxit Theopompo in ſpeciem longiſſimæ abſentiæ ſalutato, & equis in reliquam principis peregrinationem comparatis, & ære conductis.

Theopompus ſalutanti ſe Gobriæ mutuam ſalutem referens reſpondit non exiturum biennium donec

Digitized by Google

Phocais utrumque rurſus conjungeret: non enim ſe alium velle comitem navigationis ſuæ in Siciliam, quo negabat Theander ſe poſſe proficiſci, nam & Druydæ rariſſime ſolent ſolum patrium vertere, & clauſtris imperii egredi. Itaque datis ad Regem Aſtioriſtem, & Reginam Argenidem commendatitiis litteris Gobriæ, ab invicem diſtracti ſunt; & Gobrias quidem ad navigium ſe recepit remeaturus in patrios portus: princeps autem quod erat reliquum diei, cætera urbis miracula ſpeculando conſumpſit. Obſtupeſcebat in primis ad templorum magnificentiam pene Epheſinas moles æquantium; pompamque ſacerdotum qui indefeſſo miniſterio operabantur Dianæ. Ibi adumbrata videbantur quæcunque Deæ triformi tribuuntur: nam & hinc venatrix cum grege canum per opaca ſylvæ, anfractuſque obliquos divagantium, cum arcu & pharetra, ſuccinctis circa lumbos veſtibus pingitur: inde fuſco vultu Hecate, & terribili majeſtate terret intuentes: tum lucido nitens ore partum edentibus favet. Juxta autem cruentæ aræ, putes humano adhuc madentes ſanguine: quarum ad conſpectum Th[illegible]pompus cohorruit, altaque repetens memoria tum ea quæ de puerorum nuper ad has aras mactatorum nefanda ſorte, tùm de Tauricæ Dianæ hoſpitum ſanguinem ſitientis funeſtis ſacris, & fugam adornans ait, cum hoſpitibus & pueris hic inique agitur, mi Theander, quare ſolum vertamus, & cruentas aras deferentes clementiorem ſi me amas plagam cito requiramus. Interimque gradum reducebat ad limen, & inde ad diverſorium, ubi curato corpore in lectulo quiſque ſuo jacuit donec Aurora ſignum exeundi daret.

CAP.

Digitized by Goo

CAP. III.

Relicta Arelata per campum lapideum transiere Theop. & Theander, hic discipulum quærentem monet unde ita appellatus ager, nec multo post salutata Phocais, actumque de situ & moribus civitatis.

Posteram lucem reduxerat Aurora, nec mora Theopompus stratis exiliit, accensisque ad profectionem cæteris jubet illico equos adornari, & jentaculum Gallicum instrui, velletque ex urbe pedem extulisse, adeo à nefandis aris abhorret. Jamque equorum pernici raptu ad agrum pervenerant quem ob lapidum coacervatas moles, lapideum vulgus appellabat, cum stupèns Theop. ad immensa spatia campi, qui tanta lapidum segete inhorrebat, monstri insoliti causam præceptorem fidissimum rogavit; & ille; cum Albion & Bergion Neptuni filii Alcidem cum turmis suis cuncta vastantem adverterent, sibique viam trajiciendo Rhodanum sternentem in Hesperiam ultimam, ubi trifrontem Gerionem tres spirantem animas triplici fato mactaret, furentem inhibere voluere. Conatus irriti; quamvis imparibus non sat confisi viribus, ingentibus copiis campum onerassent. Tunc enim Hercules improviso circumsessus milite Jovis patris numen imploravit, tantusque repente lapidum imber cœlo depluit, ut gigantum Neptunigenarum temeritas cœlitus vindicaretur: atque inde tanta lapidum quavis agri partre disperforum seges.

Delectatus ea narratione princeps incœptum iter prosequebatur, cum ad agros vicinos Phocensium coloniæ devenit; agros hercle & triticea messe, & vini præstantissimi copia exuberantes, moxque apparuere moles turrium, & fastigia templorum eminus; denique ad urbem rerum à civibus gestarum gloria conspicuam, & opibus, omnique genere disciplinæ

præcipuam lætus Theop. acceſſit: eamque procul poſitus ſalutavit; ſed ipſum imprimis Apollinem hujus Parnaſſi quem ipſis Theſſaliæ agris ac jugis antetuliſſet, aſſiduum incolam & præſidem, verbiſque conceptiſſimis, præeunte Druyda Theandro, hunc ita devotus cliens compellavit.

Qui ſacra Gorgonei moderaris numina Pindi
Phœbe pater, cujus Xanthi ſacra flumina numen,
Et Lyciæ venerantur agri: cui Delphica tellus,
Et Claros, & Tenedos, Patareaque templa miniſtrant,
Qui tua famoſis profers oracula Delphis
Sortibus ambiguis: qui læta fronte ſerenas,
Dive fave, & mentem fatis melioribus afflans,
Ad ſublime novum perducito limen alumnum.
Non ego Baſſaridum thyrſos, quibus origia Bacchi
Lymphatas celebraſſe canunt. non Buxa requiro
Dardana, quæ fama eſt ſolitos adhibere prophanis
Inſtrumenta ſacris Gallos: taciturna faceſſant
Tempora queis ſeſe non pura volutat Eleuſis
Tartareos raptus imitata, faceſque Pelaſgas;
Non ego quas famoſa fovet Dodona columbas
Invoco, non nigri fatalia Memnonis ara:
Non Jovis Ammonis fanum penetrabo, nec aras
Cecropias, fauſto præſit licet omine Pallas.
Tu ſolus mihi numen eris, tu gloria ſceptri,
Tu qui Pierio cingi das tempora lauro,
Qui tactu aptare potes nova carmina nervis.

Phocais Gallica triplici latere maritimis fluctibus verberatur in morem peninſulæ ad continentem uno latere petinens: tertium tamen in portum toto mari Herculeo celeberrimum ſe inſinuat. Qua in valle urbs ſubſidet caſtrum poſitum eſt quod perfunctoria nequit obſidione expugnari. Iſtius urbis diſciplina ea eſt, ut non Græciæ modo laudem adæquet, at ut etiam totius orbis ſit facile princeps. Si ad leges, inſtituta, & politi-

politicam rationem reſpexero, perpetua reip. adminiſtratio ſexcentis ſenatoribus, magiſtratu nunquam amovendis deferri ſolet: è quibus quindecim-viri ſelecti naſcentia jurgia dirimunt. Præterea adeo ſibi, & urbis ſuæ ſaluti conſulunt: ſed nec ipſos minus tuenda mœnia ſollicitant: cuſtodiæ enim indefeſſo famulatu excubiis adſtant, qui & venientes explorent, & nemini nili prius interrogato ingrediendi poteſtatem faciant. Imo ſi quæ feriæ ſuccurrerint portas urbis obſervant, quam tranquillis rebus, ut bello turbatis aſſiduis excubiis ſervant, & mœnia non neceſſario quidem, ſed laudabili more perpetua ſtatione tutantur. Adde nocturnas luſtrationes, & ſpeculatorum diligentiam. Accedit gravitati Saliorum quam ſibi adſcivere, Græca urbanitas, morumque comitas, lepor, & elegantia qua ſui nominis famam longè lateque propagarunt. Quid de fortitudine, tantâ medius fidius, ut Carthaginenſes, atque finitimos olim ſibi infeſtiſſimos multiplici prælio fuderint: quid de ſervorum manumiſſione, de ſpectaculorum funerumque pompa, de hoſpitii liberalitate humaniſſimâ, de religionum ſollicito cultu, & numinum obſervantia? Inter alia hoc unum de illis referam: peſtilenti aliquo Sidere afflati, graviterque laborantes mendicum aliquem ſponte ſeſe offerentem, publicis ac purioribus cibis ex priſco more integro anno ſolent alere, qui exeunte hoc intervallo eductus, & verbena ornatus circumire civitatem cum diris & execrationibus, ut in eum populi mala recidant, ut ſacer in mare demum projicitur. Hunc qui occiderit, parricidii non damnatur; tanta eſt apud illos religio. Verum nihil magis ad hujus populi gloriam contulit, quàm inſignis illa univerſarum linguarum, omniſque liberalioris litteraturæ Academia, quâ illuſtriorem orbis non habet, & in quam quaſi Athenas Gallicas pubes Hiſpana, &

Itala quacunque ſolet confluere.

Ad hanc urbem Theopompus accedens, gradum ab excubitoribus ſiſtere jubetur; interrogatuſque unde gentium, & cujas? patriam, nomen, & genus mentitus non tamen dubitavit cauſam profectionis explicare. Itaque exceptus intra pomœrium diverſorium inquiri quamprimum imperavit, dum aliqua viæ intercapedine ſequutus ſub Theandri ſui auſpiciis, aſſumpto etiam ad indicium uno ex ſtatione dum magnificentiam ædium admirabundus circunſpicit, culto ſuo convenientem in domum penetravit, partemque illius ſubito conduxit. Nox dominus ædium menſas epulis mandat inſtrui, invitans hoſpites ad curandum corpus, & ruinas ſtomachi ſarciendas. Quo munere Theopompus utcunque perfunctus, patronum etiam humaniſſime rogavit ut infra Theandrum juxta ſecum ad menſam accumberet.

Acquievit hoſpes præcipienti, & poſt aliquot calices liberaliter propinatos, & ad unguem exſiccatos, de civium moribus, alias florentibus, ſermo in medium inter ova pomumque injectus eſt. Multaque rogante ea de re Theandro, plura Theopompo ſic hoſpes. Nihil eſt tam ſanctum quod non corrumpat diuturnitas temporis, multaque probe à majoribus inſtituta uno demum vitio ſenectutis deflectunt in turpiſſimos ritus. Ajunt enim, & conſtans hæc communiſque fama adhuc viget, olim nobilitatem à plebe non aliter quam virtutis nota diſcriminatam. Hinc magnates conſtituti, hinc honores, & cultus ab ipſis delati qui ad ſanctum hunc ſplendorem obſtupeſcebant. Hoc priſcis temporibus unicum remedium erat emergendi è pulvere vulgi, cum omnes initio pares eſſe natura juſſiſſet: ſi quis ſuæ virtutis, aut ſcientiæ monimenta, vel alicujus ſpecimen artis edere potuerit, aut prudentia ſua populorum motus augurari & ſedare; illis meritæ nobilitatis inſi-

Inſignia deferebantur. Hinc etiam eorum filiis qui de rep. vel de re militari, de Rege, & regno, de litteratorum Academiis optime meruerant, virtutemque, in qua vera nobilitas ſita eſt, ſibi adjunctam habuerant, delati iidem honores qui parentes extulerant, quod in eis ſemina paternæ claritudinis ineſſe plerumque creditum eſt, foreque ſtimulum quod incitarentur ad æmulandas paternas dotes. Verum jam non eſt novum filios degenerare à paternis inſtitutis: nam cum luxuriantes copias avita induſtria peperiſſet, obſtupuere paulatim virtutis ſtimuli, & aliquid remiſerunt nepotes de paterna contentione ad gloriam; hodieque vix aliud habent ad nominis ſui commendationem, quam inanem & prope fugitivam authorum ſuorum memoriam. Raræ ſunt itaque hac ætate primæ illius, & ſinceræ nobilitatis reliquiæ: ſed fucata plerumque illa eſt, & antiquæ virtutis inane ſimulachrum, & levis umbra. Imo in gentilitio ſtemmate, & majorum fumoſis imaginibus tantum poſita via eſt, ad ſolvendas cupiditates, ad violandum jus omne, abutendum titulis, alendum animi tumorem, & faſtus pluſquam Arſacios, ad opprimendos clientes, ad diſſolute vivendum, ad contemnendos ipſos Deos, quibus pares ſe propemodum exiſtimant, & queis parere, aut ſervire timiditas eſt, & muliebris negotiatio: ſcilicet his eſſe ſolent Deorum munera meræ nugæ, & fabulæ inanes. Putant ſe ſupra ſortem vulgi elatos alio modo ſentire oportere, dum inferiora quaſi pulverem ac lutum deſpiciunt, & ſuo faſtu pene Jovis ſolium ambiunt, ejuſdem fulmen Typhœi, Enceladi, & Salmonis inſtar plerumque experturi. Quotuſquiſque autem eſt quem avi ſui pudeat? qui è ſutrina vel latomiis ad purpuram, & aulam evectus eſt: pace veſtra dixero, hoſpites mei, ſæpe de ſterquilinio ſurgunt, & vixdum lotis manibus rerum publicarum negotia tractant. Rara ſunt,

& val-

& valde incerta veſtigia quæ ducunt ad auguſtas majorum ſtirpes. Pleroſque intruſit vel in familias caſus, vel error in cognomina: imo virtutis opus ſæpe jam agunt nummi, ita ut jam poſſit ille ſuum nomen eruere de plebis tabula, qui pecunias quà jure, quà injuria, per fas & nefas ſibi compararit: unde venalis nunc eſt nobilitas ad quam olim non aureis gradibus, ſed meritis optimus quiſque promovebatur. Quam multi emptis faſcibus obſervantur vel indigno conjugio ſuperbientes illuſtrem ſanguinem fœda ruſticitate & morum inſolentia maculant? Cum hæc hoſpes in patria vita effudiſſet, ſubito dolor, aut timor vocem illius compreſſit, & locum hoſpitibus ſuis hactenus utraque aure attentis colloquendi dedit, ita ut ad decimam diei horam ſibi indulgerent longo itinere ſatis defeſſi.

CAP. IV.

Inita familiaritate cum hoſpitii domino, cujus ope Theopompus Mimica choreæ adfuit, in qua Pſyche argumentum dedit, & capta occaſione actum de inviſibilibus.

Cum deinde benignior aura, & via facilior præcedentem laborem mulceret, cumque Solem ſub veſperam minus ſævientem leviores nebulæ temperarent, ventuſque præterea mediocri ſuſurro delectaret euntes, & extremis alis afflaret, jam Theopompo, jam Theandro cum diverſitore ſuo liberius agentibus; ſed & ipſo in eorum familiaritatem altiori ſpe tùm augendæ rei familiaris, tùm jucundiſſimæ conſuetudinis immerſo prodeundi foras occaſio etiamnum nata eſt, audituſque in via ſtrepitus ad res novas animos cupidos excitavit. Jam ad limen acceſſerant levis deambulationis cauſa digerendis cibis inſtituendæ, cum pantomimicæ ſpecies magnum quid polliceri ſpectantibus videbantur. Sequuti ſunt Lydios duce & auſpice diverſitore novi hoſpites, donec in theatrum ingentis ampli-

Digitized by Google

amplitudinis ingreſſus patuit: ſucceſſere paritet hi, & cum populo promiſcue ſederunt in cavea quæ totum vulgus poſſet capere: ſenatores ex orcheſtra ſpectabant ludos, quos vix diutius quam per duplicem aquam homines mimici protraxere.

Poſtquam indictum eſt manu ſilentium, duo Cupidines proſcenium levi ſaltu ad præſcriptum Barbitorum excurrentes excuſſis certiſſimo ictu ad numerum ſagittis argumentum hoc meditati cothurni in turbam diſperſere.

Virgo inſons jactata odiis Cytheridis iniquæ
Audet inacceſſas deſerta accedere rupes
Multa gemens, donec Zephyris ſublata ſecundis
Labitur, & ſeſe ſtupet altæ in margine ſylvæ.
Regia Numidicis apparet fulta columnis;
Ingreditur, vocique Dei mox porrigit aurem.
Si ſervare tuos, virgo, mens ardet honores,
Hoc ſupereſt, animo penitus depone propinquos:
Jam nunc & patriam, & patrem obliviſcere; jam nunc
Unum oculis ſpecta; unum animo complectere Regem
Quem decorat lepor, & roſeis aſflata labellis
Gratia; qui paſſim Syrios exhalat odores.
Te virgo, te pompa frequens clamore ſecundo
Inſequitur, plauſuque ſtrepens, hilariſque chorea
Cantibus auguſtam ſponſi deducit ad aulam.
Ipſa tibi dulcem patriſque, & matris amorem
Leniet adnaſcens Sobolis divina propago.
Poſteritas te ſera canet; dumque aurea volvet
Aſtra polus, memori, virgo; celebrabere fama.

Ad expoſitionem mimi nemo non accendebatur, quippe quod ab eo non acroamatis induſtria, non magnificentia apparatus, non ſcena verſatilis, aut umbratilis abeſſet. Pſyche autem choreæ mimicæ (nam colloquia tripudiis, tripudia colloquiis erant interpolata) argumentum dabat. Theopompus audita Pſyche aures por-

porrigere, & de ea ab fido præceptore ſciſcitari. Cui Theander: erat inter tres ſorores forma non degenere, ſed omni ſimulachro emendatior Pſyche: nam illius oculi ſtellis clariores extra lunam fulgentibus ad certamen uſque vibrabant: genis nive candidioribus internitebat ſuavitas purpuræ: cervicum, manuumque candor Parium marmor extinxiſſet. Quare œſtro zelotypiæ lancinata Venus illius nauſeam omnibus procis impertiit. Miſertus Apollo vicem illius, eam jubet in vertice rupis exponi. Dixiſſes virginem pene cum ſaxo obrigere, niſi quando in fontis præterlabentis aquas pene liqueſcebat lachrymis; cum leni flatu ſpirans Favonius in imam rupem molliter eam ſubduxit, crines ingenio ſuo flexos per cervicem nive candidiorem effundens. E regione ſylva grandibus opaca arboribus aſſurgebat. Ibi ſolitarium dolorem virgo dum paſcit, ſtupet ad regiæ pompam domus: nec ſtupuiſſe ſatis eſt, juvat ingredi, & inquilinos ſi qui ſint, affari. Verum hactenus nemo. Secretis tamen vocibus admonetur oblatis frui deliciis, limpidiſſimis aquis ex ſcaturiente ibidem fonte ſe abluere, & paratis dapibus ad arbitrium veſci. Nam ecce derepente menſæ à famulis nequaquam ſe prodentibus invidioſa etiam ipſi Jovi ambroſia onerari, & pene Apollineo concentu aula perſonare. In his deliciis dies aliquot incredibili virginis gaudio abſumuntur, cum vox ad aures illius allapſa ancipitem animum dedit:

Si ſervare tuos, virgo, mens ardet honores
Hoc ſupereſt, animo penitus depone propinquos,
Unum oculis ſpecta, unum animo complectere ſponſum.

Cœpit tamen aliquanto poſt tempore Pſychen tædere ſororum abſentiæ, earumque indomito deſiderio uri, & tanto deſiderio ut auderet præſidem palatii illius Deum amorum ea de re enixius rogare. Annuit quamvis ægre importunis votis Deus ille, modo ne illa

illa conſcias tantæ fortunæ ſuæ ſorores faceret. Itaque adſunt illæ pernicibus Zephyri alis in hanc aulam deductæ. Tum Pſyche gaudio amens, oblitaque imperii tacere neſcit, nam ſecretiora amicitiæ cum Deo mutuæ arcana imprudens Virgo revelat. Tantam fortunam ſorores liventibus oculis intuentur, & quibus poſſunt illiciis regreſſum in paternos focos ei perſuadent. Ibat illa in ſororum majorum natu ſententiam. Tandem piget paruiſſe. Via una placandi numinis ſupereſt, nempe ſi penetrata Styge fucum Proſerpinæ inde afferre, & offerre Veneri poſſit. Verum quî ſuperet Acherontem? ſuperat tamen, & ſoſpes Pſyche inde revertens tandem voto potitur.

Hactenus Theander lepida narratione aures principis demulcebat, cum ecce Venus geſtu ad indignationem compoſito ſcenam excurrere ſubſultans, & ipſa Pſyche flexo ad mœſtitiam ore poſt aliquod tripudium iram Deæ deprecari. Mox putabant fere Virginem cum Saxo rigeſcere, vel liqueſcere in fontem antiquo Cyaneæ prodigio: tum Favonius ſuſurro pene Muſico eam ſuſtollebat ad numeros, & in ſylvam fictiam leni ſaltu ſubducebat. Hinc exaudiri voces viſo nemine, & magnificæ regiæ aulas aperiri; inſtrui menſas & nullum videri.

Subductis aulæis dum ſingulis catervatim è theatro diffluentibus, hoſpites reditum in diverſorium adornant ſub diverſitoris auſpiciis, laudabat princeps choreæ intermixtæ inſuetam induſtriam, ludiorumque qui ex urbana juventute collecti fuerant, ad laudabilem ætatis exercitationem, commendabat eruditam elegantiam, corporiſque decores ac flexibiles motus. Sed dum iter faciunt, de modo exhibito acroamate diſſertandi locus fuit; & quia varietate ædificiorum diſtrahebantur animi, non ſerio actum eſt donec in privatos lares omnes ſeſe recepere, tunc enim

Thean-

Theander locum ita occupavit. In hoc argumento ædepol non illepido multa poſſem diſquirere: ſed hoc unum erit mihi inſtar omnium. Iſtud argumentum, mi Theopompe, aut verum putes; aut ſi commentum eſt, habet veriſimilitudinis umbram non levem. Sed unde illæ voces quarum organa neque palpantur, neque cernuntur? ſi ſpiritus non aërios, ut plerique; ſed aëris incolas dixero, ego neque à religione, neque ab antiqua philoſophia crediderim aberraſſe: etenim in antiquis myſteriis exploratum habetur à Jove Dæmonas inferiores ad inferiora loca fuiſſe deturbatos: ita ut jam in illis quæ terras inter lunamque interjacent ſpatiis vagi ac palantes impleant aërem, & deſerta loca incolant: ſed neque id à communi noſtra doctrina videtur abhorrere dum fractis alis animam labi è cœlo docemus, & eam in novem gradus diſtribuimus. Ipſe Miteleſigenes ſuis poëmatis nunquidnam Oëtei nomine, quod detrimentum deſignat, hujuſce lapſus è cœlo, & ex eminentioris naturæ ſublimitate meminit aſſerens Dæmones è ſuperûm ſede fugatos, & datos in præceps varias formas induere. Atque alii aërios, igneos alii, alii terrenos, nonnulli aqueos eſſe voluere, inter cœlum terramque habitare, eoſdem inviſibiles eſſe; ſed ſub ſpecie boni fallere: attamen bonorum geniorum conſpectum ſubito fugere, & ab eis virum religioſum haudquaquam poſſe decipi. Hos aliqui appellant idola aëre grandia, inter ſe emittentia voces: proinde Dæmoniacas animas idcirco ad corpora procliviores exiſtere, quoniam in eis materia quædam regnet intelligibilis. Dæmones, inquit alius, animalia ſunt ingenio rationabilia, animo paſſiva, corpore aëria, tempore æterna. Ideo quidquid à Luna ad terram interſtitii eſt, Plutonis imperio aſcribitur, qui inde Summanus dictus eſt quaſi ſummus Deorum manium; ſed & lunam in vicinia conſtitutam

tutam Proſerpinam appellarunt. Et ipſi Philoſophi in parte ſublunari præſcripta putant eſſe loca iis ſpiritibus, quos ob ſcientiæ magnitudinem priſci vocavere Dæmonas, quales in Africa atque Perſide ajunt reperieri, quos & Nereidas Orpheus appellavit. Adjiciunt eos præter aqueos vapores quod igne etiam abundent, in Eois, nec non auſtralibus plagis dominari. Dæmonas Septentrionales protervos & noxios eſſe ferunt nonnulli, idipſum & Caldæorum aſtronomi comprobant, dum Martios, & noxios ad Septentrionem; Jovios ſeu propitios ad Meridiem trudunt. Denique Dæmones eſſe perturbationibus, doloribus, affectibus humanis obnoxios, & infimos ex terræ vicinia terrena etiamnum libidine titillari, & amare ſylvas, quanquam recentiores diſſentiant eo quod hi ſint appetitus ſenſitivi expertes, quæ virtus in organo corporeo poſita eſt, niſi forte in quantum actus voluntatis exiſtunt.

Dum Theander ita diſputat ſatis applaudente dicenti Theopompo, ſubiit in idem cubiculum veteranus quidam ſapientiæ nomine commendatus, qui propter antiquas neceſſitudines diverſitoris parentibus conjunctiſſimus fuerat. Ingreſſus ille conclave comeſſabundos cum hoſpites reperiſſet, gradum illico reduxit: verum cum patronus domicilii ſapientiam hominis raptim prædicaſſet, ad ſerotinam hanc refectionem invitatus eſt, & ſatis primum reluctans, demum manus dedit.

CAP. V.

Sermonem de inviſibilibus inſtitutum Theander proſequitur, quem confirmat Endimion.

Tum Theander rogatus filum ſermonis repetere unde aberraverat ita reſumpſit: colloquio de inviſibilibus inſtituto adjiciam pauca, quæ de Scythiæ magnæ Dæmonibus miranda ab incolis referuntur:

nam quid magis opinionem omnem ſuperet? Docent aërios ibi Spiritus eſſe ad cujuſvis obſequium paratos, & eos conductitios ſeſe cuilibet in famulatum offerre, juſſaque Domini ſui ad amuſſim gnaviterque exequi. Vocis quidem diſtinctæ ſonos audias, ſed ne umbellam quidem loquentis apprehendes; & quoniam ad domeſtica miniſteria ſunt habiles, hos majorum religio lares appellavit.

In extrema Britannica inſula auditi ſæpe ejulatus in ſylvis quaſi mulierum plangentium, ſi quando tractus, vel domus patronus illic, vel in remotiſſima quavis plaga quocunque fato obiiſſet. Novi nonnullos qui Dæmones ſibi familiares, & venerabiles habuerint, & de arcanis ſupra mundanæ ſapientiæ nodis cum eis diſſerere ſoliti ſint; qui Pana ruſticum carmen modulantem audierint: qui Caſtorem & Pollucem cultu inviſibili; imo & Æſculapium hoſpitio ſe excepiſſe putaverint. Neque me prætereat quod uni ex Gallorum Regibus noſtris venationi intento nuper contigit. Eo ſiquidem in ſylvas penetrante exauditi ſunt clangores cornuum concitantium canes, & oblatrantium canum manipuli. Ea res inſolita Regis animum ita permovit, ut aulico mandaret obviam ire, & venantium inſolentiam coërcere, qui Rege, & præſente, & inconſulto auderent huic exercitationi vacare. Moram nullam paſſum eſt imperium. Sed nihil hactenus viſum. Quin ipſi clangores, & latratus canum propius audiri: ſed neque cornu canentes viri, neque latrantes canes apparent. Poſſem & addere plura de familiaribus quibuſdam Dæmonibus, & inviſibilibus ſic appellatis, eorumque miris artibus: ſed vela contraho.

Tot illuſtribus authoritatibus conceſſus totus applaudebat cum homo iſte adventitius, nomine Storgas, magorum præſtigiis oculos aureſque faſcinantium, has

has Dæmonum larvas tribuendas eſſe docebat. Subridens diverſitor peritus in mathematicis in quibus maximam ætatis ſuæ partem conſumpſerat, Endimionque vocabatur, neque id præſtigiis Dæmonum, neque magorum artibus ſed naturalibus mediis fieri aſſerebat: ſcilicet ait Theand. per fiſtulas, & ſpecula mathematica audiri voces vel remotiſſimas. Et Endimion, neque per inſtrumenta mathematica, verum per interpoſitionem tertii; ſic enim referebat Æneam contra Diomedem à Venere matre fuiſſe ſervatum, & ſubſtractum evanuiſſe; & eundem nube involutum coram Didone ſtetiſſe, cum

Hunc multo nebulæ circum Dea fundit amictu
Cernere ne quis eos, neu quis contingere poſſet.

Sed ecce miraculum fidem omnem ſuperans: Gyges frequentium imbrium cauſa ſolum vertere coactus in hiatum terræ deſcendit, ubi æneum equum animadvertit, cujus in lateribus fores eſſent, quibus reſeratis hominis mortui corpus vidit ſaturâ vulgarem excedente cum annulo aureo & gemmato in digito; quam ubi detraxit, atque ipſe induit, in paſtorum cætum (erat enim regius paſtor) illico ſe recepit. Quoties autem hujus annuli palam in palmam converterat, tantus nitor ex gemma in Gygen inundabat ut à nullo cerni poſſet, dum omnes cerneret. Poterat tamen tunc videri Gyges, cum in ſolitum locum annulum ſuum inverterat. Hac ille uſus opportunitate annuli, cum Candaules Lydiæ Rex uxorem ſuam nudam ipſi revelaſſet, Gyges incauto Rege ſtuprum Reginæ intulit, eademque adjutrice & conſcia, Regem interemit: & quotquot conſilia occupandi ſimul & ſolii & thalami regii obſtitiſſent, hos annuli beneficio ipſe à nemine diſcretus de medio ſuſtulit, regnique habenas invaſit. Sed nec minus mirandum videtur quod confirmavit antiquitas, ait ſcilicet uſu priſco comprobatum & receptum, ſi

ſiniſter pes Chameleontis ferro igne calefacto aduratur, & cum herba quæ eodem vocatur nomine admiſceatur, & utrumque maceretur unguento, colligaturque in paſtilli modum, & in vas ligneum immittatur, eum quī vaſculum geſtaverit, etiamſi in media luce poſitus ſit, à nullo tamen poſſe diſcerni.

Lepida iſthæc argumenta plauſu excepere Theopompus & alii, ſed quoniam fidem omnem ſuperabant, vix ea porterant fidem invenire. Tunc Endimion advertens ſeria hæc in jocum verti, an inquit me fide minori dignum æſtimabitis illo qui aſſerere non dubitavit, aves eſſe quaſdam certis vocabulis, & earum avium confuſo ſanguine gigni ſerpentem, quem ſi quis comederit, linguas & colloquia avium nullo negotio interpretabitur.

Excepit dicentem Storgas: verum quo pacto factum dicam haud ſcio, quod à paucis annis audio contigiſſe. In quadam Galliæ noſtræ Academia in qua pubes ingenua iis erudiebatur artibus quæ animos ſupra vulgi ignaviam ſolent attollere, duo erant adoleſcentes ut claritate generis, ſic & ingenii perſpicacitate non impares. Hos illa ingeniorum atque ſtudiorum par fœlicitas ſimul ita conjunxerat ut Piladem & Oreſtem non putaſſet nemo. Forte tertius, ſed ipſe diſcinctus nepos ex urbe in hoc juventutis eruditæ ſeminarium frequenter accedens occultis artibus in eam dictorum ſodalium ſocietatem ſeſe inſinuavit. Accidit vero quadam ut luce geniali dum ludicris intenti eſſent & jocis, iſte advena neminem ex aliis poſſe, quod poſſet ipſe, decertaret: neque enim iſtinc ſe abſceſſurum, & tamen oculos ſpectantium eluſurum ſe affirmabat. His jactabundum hominem cachinno multo excipientibus, repente ex oculis iſte evanuit, neque longo poſt temporis intervallo iterum viſendum ſe obtulit, adoleſcentibus pari ſtupore torpentibus. Ne-

que

Digitized by Google

que ſemel artis ſuæ periculum fecit, donec in utriuſque animis illius rei deſiderium accendiſſet. Ergo illi rogare hominem ut arcani tanti conſcios ambos vellet; neque hercle fore ſe aliquando accepti muneris immemores. Ergo non ægrè votis illorum obtemperat: mox & illi edocti nullo negotio clepere ſeſe, & ſuffurari omnium oculis potuere. Hinc multorum origo vitiorum in adoleſcentibus, qui quoquo impelleret cupido, eò facillimo labore abruptis pudicitiæ frænis inviſibiles facti ſe conferre poterant, nemine callidita-tem animadvertente, donec effuſæ palam libidines in lucem venere, & prodidere aſtutiam. Denique complevit jocoſa narratione inſtitutum ſermonem ſimilis ludenti: an vos latet, inſit, uti nuper hyeme ſæviente, coactâ ad nundinas multitudine, emiſſa crepitantibus buccis verba concreſcentia gelu in ipſo aëris, labiorumque confinio ſuſpenderat aër, donec poſtera luce foro jam vacuo cum cœlum prius conſtrictum frigore, tandem intepuiſſet, ſolutarum vocum quas frigidus aër ſuſpenderat, confuſus per inane tumultus omnium aures obtunderet,

Ut durata gelu denſa inter nubila grando
Cogitur, & teretem immitis concreſcit in orbem,
Solvitur ad Solis radios, velut unda liqueſcit:
Sic voces compreßit hyems; ſi forte tepentes
Senſerit æthra nothos, ſubito ſulvuntur, & altum
Dant ſonitum, mixtiſque forum ſonat uſque loquelis.

Quis non putaſſet ab inviſibili turba tantos tumultus excitari: audiebantur quidem voces, at nullus videbatur.

Hæc animi gratia differenti ſubjecit Theander, ætate noſtra evanuiſſe quaſdam inſulas: ſed alias quidem Oceani vorticibus fuiſſe exhauſtas, ſicut olim Atlantidi contigit; alias vero factas mobiles una noctu ab occaſu ad ortum demigraſſe. Obſtupeſcente corona quaſi

ad rem factu minime possibilem, manu ad fidem composita cœpit Theander affirmare non se commenta, non fabulas, non logos eloqui, sed verissima, testesque oculos vocabat suos. Nam cum ego adolescens alias, infit, absoluto studiorum cursu per Belgium exerrarem, forte in pastores incidi qui mobiles ejusmodi insulas ad nutum quasi grandem aliquam navim ad littus ingentis lacus fune attraherent, quo greges suos in pinguia nobilis insulæ pascua agerent, tum eas insulas à littore removerent: sic enim fieri ut greges à militum & latronum rapinis immunes, & securi nocte ut die esse soleant.

Porro quâ ratione id fiat raptim doceo. Insulæ illæ nobiles frequentibus consitæ sunt arboribus, quarum radices inter se connexæ totam terram sustinent; cumque arborum radicibus sustineantur, non est mirandum quod in profundum suo pondere non possint deprimi: sed magis super aquas enatent. Quod quidem in lacu si possit fieri, quid ni possit in mari? Ita ut jam non vanissimæ fabulæ loco habeatur quod de insula Delo pariter mobili antiquitas traduxit ad posteros. Sic autem narrabatur: cum Juno pellici suæ Latonæ invideret quod uno partu geminam prolem edidisset, immisso Pythone serpente pellicem quacunque persecuta est. Illa omni spe reperiundi effugii dejecta dum per littus Ægei maris erraret, forte vidit vagam insulam ad se enatantem; captaque subito opportunitate in ea se immisit, quæ sensim errando Cycladibus se adjunxit, & ex illo immobilis facta est. Quid dicam de Athlantide insula, quæ quidem cum capacitate sua Asiam, & Europam æquaret, nescio quo aquarum cataclysmo, aut qua concussione terrarum quasi repente evanuit, & innabilem Oceanum Athlanticum reliquit. Sed de California & aliquot aliis subjectis alias Polo insulis vasis quam multa referunt quæ fidem omnem superant; ajunt scilicet

Digitized by Google

licet alias quidem totum pene trajeciſſe Oceanum, & Æquatorem tranſiiſſe; alias vero ad Polum acceſſiſſe.

Ad hæc inaudita hactenus monſtra Theopompi obſtupeſcebat animus, neque minus obtorpebat quam ipſi inſulares qui ſe una nocte in remotiſſima climata transmiſſos ſenſere. Sed Theander ad hæc per Jovem huic ſermoni vix libentius aſſentiar quam narrationi de Lunæ incolis, vel alteri quem circumferunt de illo Mathematico qui ab extremis Sauromatis ad Teutones uſque multa milliaria in machina volatili confecerit. Lepidis hiſce ſermonibus condita eſt illa comeſſatio, ſed quia jam ſpiſſiores ſe intendebant tenebræ, quſque ſalutatione mutua perfunctus aut penates ſuos reviſit, aut in thalamum urgente ſomno ſe conjecit.

CAP. VI.

Theopompus in Lycæum productus ab uno Druyda ſapientiſſimo exceptus eſt liberaliſſimè. Is damnare adoleſcentum ſocordiam, & inſanum amorem parentum in liberos; ſimul hortari ad ſtrenuum laborem. At Theopompus artis ſuæ facturus periculum latentes in tabellis explicat hiſtorias.

Sequente luce placuit litterariæ exercitationi præludere, & Academiorum pertentare doctrinam. Itaque Theander aſſumpto in ſocietatem & auſpicium Endimione, Theopompum ad Gymnaſia volentem perduxit.

In ſuperiore urbis parte Lycæum eſt, ingentis & capacis ambitus, marmoreis etiam fultum columnis, & faſtigio orbiculato coronatum. Verum ſelecti è Druydis doctiſſimi nobilitatem ejus longe magis adaugent, & propter commercium litterarum ibi ingenua pubes undique gentium convolans nobiliori pulvere amat exerceri. Veſtibulum & area capacia curruum crebri ordines columnarum limen decorant, ſuſtinentque Parnaſſum, ex quo novem Muſæ cum muſicis inſtru-

Digitized by Google

mentis deſcendunt: hinc & inde Mercurii & Minervæ effigies nutu oculorum, & manuum geſtu ad gymnaſium quaſi invitantium appenſo hoc carmine quod duo Paniſci quaſi in devoluto cortice indigitant.

Pierides Helicona petunt, properato juventus
Muſarum quam flamma rapit, ſtimuluſque ſciendi.
Ecce viam tentant, de monte bivertice greſſus
Eripiunt, cunctoſque modis hortantur amœnis.
Luminibus quæ flamma micat, quæ gratia fronte?
Agnoſco terris quoties ſe Suada recepit,
Hoc vultu ſolet illa tegi.

Nam ſubjecta carmini erat imago eloquentiæ, & ipſa ſimilis invitanti, & oculorum nutibus quaſi ad amorem ſui pelliciens: hinc & inde cæteris artibus atque ſcientiis ſua erat effigies, ſeu Poëſeos, ſive Grammaticæ, aut Philoſophiæ; denique Mathematicæ diſciplinarum introëuntibus patentes ædium valvæ ingrediendi copiam fecere. Porro omnia confuſo adoleſcentum tumultu ſtrepebant. Utrimque porticus & aulæ, in quarum præcipuam ſubeuntibus illis Theopompus in inſignium tabellarum contemplatione defixus hæſit.

In ea contemplatione hærentibus ſuccurrit è Druydis unus penes quem erat Academiæ regimen, novumque tyronem adeſſe conjiciens liberaliter ſalutatos ſic eſt alloquutus: quanto præconio digni ſunt parentes qui liberos ſuos volunt optimis diſciplinis informari, ut non ſolum ignaviam omnem omneque veternum à ſeſe expellant, verum etiam ad perfectam viri conditionem aſſurgant; tantam objurgationem merebuntur illi qui natos ſuos nolunt ſevera lege proficere, dum ſpem ſuam inani ambitione donantes aut eos volunt omnino litterarii pulveris eſſe immunes, aut tam ſalubres aquas primoribus tantummodo labris deguſtare: unde fit ut cruda adhuc ſtudia in forum propellant, & elo-

eloquentiam, qua nihil majus esse potest pueris induant adhuc nascentibus. Quod si paterentur laborum gradus fieri, ut studiosi juvenes lectione severa mitigarentur, ut sapientiæ præceptis animos componerent, & quod vellent imitari diu audirent; jam grandis illa oratio haberet majestatis suæ pondus. Aliis placet nonnullos artis literariæ canones, atque ipsa tantum præludia delibasse, ut omnino rudes non videantur, & ad primum sese offerentes spinas velut ad necem exhorrent, langueſcunt in iis studiis unde messem uberrimam jure possint expectare. Habent, neque ibo inficias, studia litterarum molestiæ nonnihil; tamen & assuetudine dulcescunt, nedum progressu, cum nempe eorum fructus qui toti sunt mellei, incipimus delibare. Ego aliam artem non novi proficiendi in litteris quam assiduitatem illam quæ omnia frangit: Dii scilicet laboribus omnia vendunt. Mox conversus ad Theopompum ita pergit; te dignæ sunt Musæ, & tu pariter iisdem dignus es, clarissime adolescens, maximumque futuræ sunt in ea fortuna, & genere decus, ignosce amori in te meo; sic sum studiorum tuorum studiosus, ut te velim super omnia, & secundum Deos solos Musas amare, imo supra maternas delicias, & te ab illis perinde amari. Ille etsi genus & nomen Theopompi nesciret, non dubitabat tamen eum communem vulgi sortem excedere, maxime cum videret Theandrum è Druydis non ignobilis famæ ejus lateri adhærentem.

Theander vero ut periculum artis & ingenii in puero faceret, & puerilem industriam Druydæ sapientissimo approbaret, cœpit illum ad enodationem tabellarum excitare illarum quæ aulam exornabant.

Tunc ergo Theopompus ita orsus est: imperiorum primordia digestis in ordinem tabellis exhibentur. Et primus ille quidem fronte subtorva, & scintillantibus oculis Vexores Ægyptius est, qui extra suos fines arma

Digitized by Google

circunferendo præivit cæteris. Is plurimarum gentium potitus victoria, cum in Pontum deveniſſet, bellum Scythis indicere auſus eſt, legatis priſco de more in eam terram prius miſſis; qui leges pacis, ſi imperata facerent; bellum vero, ſi ſecus, univerſæ genti indicerent. Nec mora ulla interpoſita Scythæ armati obviam ire hoſtibus audent. Vexores tot gentium, terrarumque ad hanc uſque diem victor, ubi primum Scythæ collatis ſignis pugnam popoſcere, ipſe florentiſſimo exercitu cum omni bellico apparatu relicto, paucis comitatus in Ægyptum fugit. Scythæ victoriam ſecuti ſpoliaſſent haud dubie hoſtem regno, niſi paluſtri difficilique aditu Ægypti fines tranſcendere prohibiti, impetum alio avertiſſent. Itaque victoriæ curſu in alias gentes deflexo, bella bellis ſerendo non prius quievere quam omnem Aſiam armis domitam ſibi feciſſent vectigalem.

Habetis in ſequente tabella uti Ninus Rex Aſſyriorum pendendi finem tributi fecit. Is rem non umbram rei ſecutus cum omnem belli cardinem in eo verti arbitraretur, ſi pluribus poſſet dominari, primus omnium quas armis domuit gentes ſuæ fecit ditionis vir ferox, militaris gloriæ cupidus, longaque armorum exercitatione inter finitimos potens. Hinc Syros Euphratis accolas bello adortus modico negotio ſubegit. Fuit victoria illa eò minus cruenta quo ſecurior ſtatus imperii, majoraque otia. Attamen bello Regem captum cum filiis obtruncat Ninus, tributum victis imperat, inde Armeniam ingreſſus ſubita vi oppida expugnat, Barzani ſupplici, ſeque & fortunas ſuas offerenti regnum reſtituit. In Mediam tranſeunti occurrit Rex nomine Pharnus, qui commiſſo prælio cum ſeptem filiis qui ſimul in acie ſteterant, victus occubuit. Præſidio Medis relicto vir ingentis animi, ſed qui præſenti rerum ſucceſſu adhuc majores ſpiritus imbibiſſet, ad bellum

Digitized by Google

lum longe difficillimum accingitur: unde præter Indos & Bactrianos, domita Asia tota victor in patriam remeavit. Noviſſimus autem labor cum Zoroaſtre Bactrianorum Rege illo, quem fama eſt ſubito natum riſiſſe, manifeſto futuræ artis magicæ & aſtronomiæ præſagio. Porro illa urbs ibidem adumbrata ipſa eſt Ninive quæ Ninum conditorem agnoſcit, mille & quingentas turres in orbem complectens; tanta vero amplitudine, & altitudine, ut ad centenos pene cubitos faſtigia murorum ternis plauſtris pervia cœlo attolleret.

Proxima tabella Semiramidos geſta recludit. Hæc è Nympha ſtagni in Syria, adoleſcente indigena, à quo projecta in crepidinem avium aquatilium ope enutrita (has Syri Semiramides appellant) à paſtoribus ad tantum prodigium obſtupentibus excepta, ut educata eſt. At magiſter regii pecoris Menon cum luſtraret ſtabula, ejus amore ſic exarſit, ut in conjugem eam acciperet, neque multo poſt geminam prolem Japetem, & Idaſpem ex ea tolleret. Minervam putaſſetis aliquam quæ è Jovis cerebro cum adulta, & cataphracta emerſiſſet, juxta Tritonidem paludem primum viſa militaribus exercitationibus haud parum delectata eſt. Semiramis ad bellum nata ingenitæ artis ſuæ primum fecit periculum, cum in caſtris occupandæ arcis Bactrianæ conſilium viro dedit per abruptam vallem nullo præſidio obfirmatam. Conſilio eventus minime defuit, dum obrepens per hæc loca arcem cepit. Itaque Rex ingenium mulieris admiratus, invito marito qui mox vitam ſibi laqueo abrupit, eam in violentum rapit conjugium. Brevique interjecto tempore cum filium Niniam ex ea tuliſſet, imperio eidem uxori tradito vitam clauſit. Semiramis vero vita & imperio defuncto cœpit agitare qua poſſet arte tantam regni molem tuto adminiſtrare: nam qua ratione ſub muliebri impe-

imperio tot ferociſſimæ gentes quieſcerent? anceps primum & inops conſilii, tandem inauditum hactenus commenta eſt facînus: filium pro matre affimulat, & filii perſonam mentita adoleſcentem agit. Frons eadem, idem luminum vigor, & pares utrique genæ omne ſexus diſcrimen, omnem ſuſpicionis anſam removerant. Illa membra novo occulit amictu, caputque tyara obvelat præcipiens ut eodem veſtium cultu Aſſyrii uterentur. Urbs Babylon quam ipſa triplici muro, orbis miraculo, cinxit, ibi adumbrata viſebatur juxta autem appenſum carmen quod Theopompus & prælegit & explicuit, eſto, hoc aliqui Reginæ Nitocri tribuant.

Cum ſibi conſtrueret Regina Semiramis urnam,
Hæc voluit duro marmore pauca legi:
Argento tu quiſquis eges, fulvoque metallo
Evertens tumulum quod placet accipito.
Darius indomito gazarum cæcus amore
Everit tumulum, munera nulla videt.
Attamen hoc ſcriptum reperit; niſi raptor avarus
Eſſes; rupta tibi non mea crypta foret.

Demum illa victoria de Arabe, Æthiope, Syro, aliiſque multis ſine accepta injura laceſſitis ſibi parta, cum expeditionem Indicam aggredi auſa eſſet, Scaurobate numeroſo exercitui terra marique reſiſtente, ſagitta & jaculo à Rege ſauciatur. Illico fugere Semiramis, Aſſyrii vero perſequi fugientem, & cædere terga. Secuta ſtrages horrenda Aſſyriorum ab Indis facta, donec ſuperato ac reſciſo ponte Rex ab inſectatione deſtitit. Nec multo poſt Semiramis inſidiis à filio petita cum hunc inceſti appellare auſa eſſet, tentati ſceleris odio tandem interfecta eſt.

Sequitur fortiſſimæ mulieris indignus filius Ninus ille, qui ſublata de medio matre nihil parentum veſtigia ſecutus, omni abjecto ſtudio armorum ad ocium & vo-

& voluptatem animum appulit. Attamen in eo ſi non fortiter, callide ſaltem præſenti fortunæ conſuluit, ut ad populos in fide retinendos, quotannis ex toto regno accuratiorem haberet delectum, nova communiret caſtra, quaſi ſubitum aliquod bellum moliretur, & juventutem ratus ad obeunda munera militaria fieri promptiorem, ſi frequenti delectu ad ſigna revocaretur, & ſi qua defectionis conſilia occulte in populis mota eſſent, præſentium copiarum turbine ſubito premerentur. Verum iſthæc dum Ninus non per ſeipſum, ſed per legatos præfectoſque molitur, ipſe omni ſcorto corruptior inter Eunuchos, & puellarum cœtus omni voluptatum cœno ſe volutabat; quibus emollitus in his etiam turpiſſimo poſterorum exemplo nihilo fama præſtantiorum conſenuit: unde tam fœdum in morem regnante Sardanapalo tranſlatum eſt per Arbacem præfectum ad Medos imperium.

CAP. VII.

Cætera tabellæ à Theopompo explicantur, quibus omnibus ſolerter expoſitis longe intricatior ſe obtulit pictura (ænigma vocant) quæ à Doctore reſoluta eſt.

Hactenus memoriæ nec non eruditionis ſuæ Theopompus periculum fecerat, & omnium auditorum exceptus erat plauſu cum in alteram partem converſus: en, ait, Cres ille qui primus inſulæ Cretæ leges & jura tradidit, à quo & inſulæ Ecatompoli nomen eſt impoſitum. Hunc porro è Corybantibus unum fuiſſe memorant, quorum in tutela Juppiter infans olim fuit.

Nec procul erat Cecropis, quem biformem appellant, genuinis adumbrata coloribus imago. Hunc, inquit princeps, quia maris & fœminæ jugale vinculum invenit in Attica, Græcia biformem fabulata eſt. Cæteras tabellas implent labores Herculis atque Threſei; Atlan-

Atlantiſque ad revelatam parmam metamorphoſis. Neque aberant inhumana Buſiridis hoſpitia: Triptolemi peregrinationes, & artes; Minois, Æaci, & Radamanthi æqua judicia; inceſtuoſi Paſiphaës amores, & artificium inextricabile Dædali. Quibus à Theopompo cum communi omnium plauſu enodatis longe intricatior tabella oculis ſeſe obtulit, quæ cum intuentium animos ſatis torſiſſet, cœpit Druyda nodum hunc quaſi Gordium acie ſui ingenii ſolvere, & noctem omnem propoſita face ad unguem eluctari.

Sphinx, inquit, quia familiaris docto Muſarum choro olim fuit, non eſt quod miremini, ſi hanc Parnaſſum noſtrum celebrantem videatis, humaniſſimi hoſpites: illa quidem ſolertioribus geniis ſolet materiem gloriæ ſuggerere. Tot ambages variis picturis adumbratas Ænigma vocamus; iſtud autem in ſolemni Archombroti atque Cyrtheæ Hymenæo qui toti pene Europæ pacem attulit, publice expoſitum atque ſolutum eſt. Ænigma erat: Minerva ramum oleæ præferens ſymbolum pacis diviſos antea bellis atrocibus principes cùm pacis, tùm connubii legibus firmiſſimis religans. Hinc ara cui victima parata neci, & jamjam immolanda imminet: inde erectæ ad hæc fœdera copiæ paulo ante hoſtiles. Porro penſilis tabernaculi quod & Deam, & conjugum par involvit, Ephebi duo qui tædas geſtant nuptiales anteriora recludunt. Denique navim conſpicitis plenis velis ad portum appelli. In apice tabernaculi hoc hemiſtichon legitur, *Ego quoque Pronuba Pacis*: & in infima ora tabellæ hoc diſtichon,

Pacem ſancit Hymen, Hymenæum pronuba Pallas:
Rex Sponſus, Princeps Sponſa. Quid iſtud erit?

Tum rogante cœtu doctor ita expoſitionem proſequutus eſt: quando in unum omnium veſtrum conſpirant vota, ut arcanis ſenſibus ſub hoc involucro latentibus, aliquid lucis afferam, vobis utcunque ſatisfacio.

Ita-

Itaque ut bellum egeſtatem, ita numos pax ominabitur:

Soliumque domanti
Imperioſa jugo regina pecunia regnat.

Duplex emendi uſus apud gentes fuit: primus, & antiquiſſimus per commutationem: alter per pecuniam ſignatam. Uſus autem commutandi varius, ut merces mercibus; ſed maxime pecudes, quas deinde imprimendi metallo mos fuit: & ex illo pecunia à pecudibus [1] dicta: hinc ille aries adumbratus: ſæpe etiam ex corio bovino ſtemmate, aut effigie principis inſignito numus effictus: unde ille bos. Verum apud Orientales granis ſalis, unionibus, aureo pulvere, & [2] conchis commutatio frequentior. Cæterum principes, & primores civitatum ſignata utentes pecunia varias huic impreſſere formas. Nam Athenis numus eſt, cujus in altera parte Minerva, in altera vero noctua inciſa eſt, ita ut Noctua apud illos cederet in pecuniæ nomen: hinc à Gilippi ſervo dictum, multas ſub domini ſui tegulis noctuas habitare. Gilippus enim cum ex ingenti pecunia quam Lacedæmone aſportare juſſus erat, partem intervertiſſet, eam ſub ædium ſuarum tegulis occultaverat. Cumque ſervorum teſtimonia contra dominos non admitterentur ex lege, & irritum facerent indicium, callide admodum ille commentus eſt eam aperire ſub eo verborum involucro, ut indicio pecuniarum facto neque ille accuſaſſe dominum videretur, neque jus ullum violaſſe, & tamen reip. conſuluiſſe. Ideo caſſidi, quæ ex metallo eſt, noctua inſidet; ideo & Minerva iſthæc eodem obducta eſt metallo: quod vero in ea album cernitur, argenteum metallum deſignat, purpura vero æs fuſile arguit. Effigies autem Minervæ, ut & noctuæ numis inci-

1. *Et noſtra ætate vulgo dictus nummus, mouton à la grande laine.*
2. *Forte inde natum proverbium, allés vendre ailleurs vos coquilles.*

Digitized by Google

incidendæ apud Atticos non invaluit, uti apud noſtrates Regis & Reginæ, aut cujuſcunque ſymboli; nam alioqui nummus adulter eſt: ſic eſt prætioſa pecunia ſigno. Addam & his ubique receptum morem, quo utrique ſponſo moneta quædam quaſi mutui, & æterni amoris teſſera traderetur. Demum inſcriptio ad oram tabernaculi inſertum nummis lemma ſignificat. Quod ad oleam, quam Minerva manu geſtat, neque à conſuetudine abhorret, quandoquidem oleam circum numos inſculpendi nonnunquam uſus invaleſcit.

Sed in ſacris quid faciat aurum? quid hæc jamjam mactanda hoſtia à Popa ſuccincto? Athenienſes quo frugali labori gratias referrent, bovis effigie numiſmata etiam donavere, & illud didrachmum, unde tritum eſt, [1]Bos per linguam inambulat, de his qui accepta pecunia prævaricati ſuſceptas cauſas deſerunt. Cudendi [2]Bovem in altera parte nummi aurei, altera effigie Regis honeſtata apud eoſdem uſus invaluit, putem ob taurum Marathonium à Theſeo domitum. Præterquam quod ſcorteas pecunias ante aureum nummum in uſu fuiſſe ſatis conſtet rei pecuniariæ inopia. Sunt & qui numos cudi juſſere cum ara & victima, qui cum navibus, cum duplici manu circum adjecta gnome. Denique nervos eſſe belli pecuniam nemo eſt qui ambigat: hinc illæ procul directæ acies. Sed hæc raptim jam forte nauſeantibus. Ecce arcana ſub hoc involucro latentia: hoc ſcilicet notant hæc fœdera quæ pacem divitem & perennem confirmabunt cujus ope & arcæ nummis implebuntur, & aurea ætas revocabitur.

Completo ſermone quo plurimum geſtiit Theopompi animus, ſalutato in breve ſpatium temporis Druy-

1 Βῦς ἐπὶ γλώσσῃ βίβηκε.

2 *Bearnani noſtra ætate duos boves ſtemma provinciæ illius in nummis cuderunt.*

Druyda quia & hora ſerior, & curandi corporis neceſſitas urgebat, ad proprios quiſque lares iter eſt remenſus. At Theopompus per viam ea omnia & animo & ore repetebat quæ à doctore audiverat, ne qua dies ſine aliquo profectu ſcientiæ laberetur: multaque ſuper his Theandrum rogabat, qui ardentem ſcitari adoleſcentioris principis mentem & ſtupebat, & laudabat, ne ſuus virtuti, & ſcientiæ ſtimulus uſquam deeſſet; mirabaturque genium ad magna; & digna ſupremo faſtigio aſſurgentem, ex levioribus longe graviora ominans, & ex ungue Leonem.

CAP. VIII.

Mores civium, cùm nobilium tùm plebejorum, Druydarum Bardorum, imo & Pontificum deſcribuntur. Viri autem & vidua virtus & religio celebrantur.

Repetita domo, & curato corpore de Druydarum doctrina, nec non virtute multa in medium jactata quod reliquum erat lucis non injucunde fraudavere. Ea eſt, inquit, Storgas, in eo Lycæo diſciplina, nemo ut adoleſcentum audeat obſcænitatem in verbis, nedum in actibus præ ſe ferre; pietatem autem, & in ſuperos obſervantiam colere ſummum votorum eſt, deinde ſcientias & artes quas Druydæ poſt religionis officia ſtrenue amplectuntur. Eſt & alterum in infima urbe gymnaſium Bardorum qui & ipſi Muſarum amorem diſcipulis quidem ſuis inſinuant; ſed ex adytis ſuis religionem penitus antiquarunt. Ubi vero religio non eſt quæ poteſt eſſe virtus, aut quæ diſciplina? iſti tamen more Sycophantarum invehuntur in mores aliorum, prætextam inſcitiam carpunt, nullumque non movent lapidem quò in eorum famam ſuccedant. Verum irriti fiunt illorum conatus, & quamvis optimates auro multo emerint, ſua tandem ſpe miſeri dejecti

ſunt: nam præfectus urbis quem tùm promiſſis tùm muneribus vincere conati ſunt, & ipſe operam, ſudoremque perdidit. Adeo virtus quantumvis afflicta tamen potiorem locum obtinet, quippe qua ſordidæ repulſæ neſcia intaminatis honoribus præfulget, neque arbitrio impiorum ſecures ponit vel tollit.

Indignatus eſt Theopompus primates urbium à virtute diffidere, favere vitio, & ne Dii ſinant, inquit, noſtram oram tali peſte inquinari. Imo crederes ſuaviſſime puer, retulit patronus, in urbe nobis vicina, eaque tanti nominis, ipſi Pontifices quorum munus eſt ſacra procurare, promovere religionem, vitiumque abrogare, & è ſacrario penitus eliminare faſtuoſam illam Bardorum nationem pietati Druydarum præferendam cenſuere, collectis etiam Flaminum ſuorum quos emerant, ſuffragiis, ut impietatem ſuam religionis velo obtegerent. Adeo tranſverſos agit pontifices ambitio, Flamines libido, Bardos omne vitium. Dumque emuntur ſacræ dignitates, aureis gradibus, non ſuffragio virtutis ad eas impuri homines, & ſeculi moribus aſſentientes, mentienteſque morum pravitate religionis quos ambiunt titulos, provehuntur.

Obrigebant alii ad eorum callidam impietatem, & ſacrilegos ambitus, quorum munus erat fovere virtutem, & religioſos viros ſummo loco attolere. Sed reſumens diverſitor, unde iſtud fiat, ignoratis? Putate ex principum vecordia qui homines curiales, & omni mollitie diffluentes ad cathedras attollunt nullo ſuo merito, & ſanctiſſimos Druydarum quos nuper ad has evehebant dignitas neglectos ita relinquunt, ut Druydarum clariſſimum quondam nomen deſpicatui & vituperio omnes illi vertere ſoleant quotquot fuere in aulæ deliciis enutriti. Et tamen hi ab omni ſeculi commercio, & inutili fluxarum opum cura ſejuncti cœlum rapiunt, dum iſti libidinum ſuarum cœno volutantur.

An

Annuebat his sermonibus Theander, & ipse à seculi pompis ad securiora animi gaudia traductis & moribus Druydarum institutus: solo enim amore Theopompi, & reverentia majestatis cum nuncium aulis antea remisisset, è sacro religiosoque hoc cœtu distrahi potuerat. Concluditque hoc pacto & congressum & diem: quid poprius accedit ad insaniam quam ut calcatas pompas rursus amplectantur Bardi isti, cumque veram & certam fœlicitatem in hoc secessu toto studio quæsierint, ad fluxas iterum cupiditates in quibus nemo potest esse beatus, inanibus illecebris deliniti, & specie boni aliquando decepti miserum in modum delabantur? O frustra susceptos tot labores! ô vanum Philosophiæ nomen! hi scilicet relictis opibus, prædiisque contemptis deinde ardentes ad easdem opes, ad fastum, ad voluptates per fas & nefas diteſcere annituntur, ut in hunc usum coacervatas in immensum pecunias malorum irritamenta convertant, pernicioſissimoque exemplo omnis moderationis & temperantiæ cancellos perfringant. At frugalis paucis contentus est, non tenax quidem, sed potius abstinens à superfluis, & priscorum retinens morum rectam consuetudinem. Pudendum ædepol pontificibus ut in se, sic & in aliis virtutem ferre non posse. Pudendum Bardis, & Flaminibus in supercilio, & superfluis opibus magnitudinem animi constituere, & eos inertes, & infimos omnium reputare, qui spontanea abjectione fastus Arsacios damnant. Sed hi nobilem inter Heroas locum digni sunt assequi, cum eis supremum diem fata clauserint; illi vero digni qui in turpissimum aliquod animal commigrent, & ex fastis eorundem nomen deleatur, æternas tenebras meriti: nisi si ad eluendas notas infamiæ in vimineis thecis contexti subjectis flammis mactentur Mercurio. Ad hunc supremum sermonem immotus hærebat Theo-

pompus, pene Gallico gelu frigidior: & devotis sacrilegorum libidinibus plenus irarum in thalamum abscessit. Admonuit tamen Storgas Theandrum non in cunctis regnare vitium, esse enim ex optimatibus, esse ex civibus viros, & mulieres, etsi pauciores essent ipsis Musis, qui quamvis sacris minime initiati, sacerdotibus tamen exemplis virtutum præeant, unus est, inquit, ex optimatibus qui quamvis in ipso ætatis flore, & conjugi alligatus vix strata reliquit cum libat penatibus, mox in templa succedens in mactandis victimis intentus est. Tum si quos infirmos, aut vinculis ingratis oneratos audierit, sine mora in Xenodochia, in carcerem, in privatas egenorum domos discurrit, & quemlibet bonis verbis levatum etiam ære signato donat egestati subveniens. Nullus tamen in familiari congressu aut humilior est, aut eo humanior: ideo ut infructuosam arborem, & inutilem Deorum servum se reputare soleat. Quid de matrona nobili referam, quæ ipso ætatis vere orbata marito, cum quo familiarissimas, castas autem à puero aluerat necessitudines quæ progressu annorum increverant, viduam & gratissimam superis nunc vitam agit, assiduis intenta litationibus, & piis actibus strenuam navans operam. Et quamvis formæ venustate, & majestate frontis cæteras urbanas mulieres & virgines antecellat, ipsisque nymphis potiori jure quam Andromeda possit insultare, & oris jactare veneres, tamen omnes Procos generosa despicit omni Penelope fœlicior, & immortalibus magis quam mortalibus placere gestiens aut intra domesticos recluſa parietes assidue accedit ad Deos, aut eorum jussu foras evocata miserorum, pauperum, incarceratorum, infirmorum consulit inopiæ: defuncti vero si qui in urbe, non mora procurrit ut ultimum sepulturæ munus eis impertiat. Quid loquar jejunia, quibus quo plus insontem cutem macerat, eo majo-

and to the Use of the Corporation of the Governor and Company of the Bank of England, their Successors and Assigns, for ever.

Provided always, That nothing herein contained shall extend to prejudice the Right of any Person or Persons, Body Politick or Corporate, other than the Corporation of the Governor and Company of the Bank of England, their Successors and Assigns, or any Person claiming by, from or under them, or any of them, in or to the said Premises, or any Part thereof.

CAP. IX.

An Act for the Relief of Insolvent Debtors in England.

Chapter the Ninth. Whereas many Persons have been and are now detained in Prison for Debts which they are unable to discharge, and which Imprisonment does frequently prevent such Persons from following their Employments, whereby they and their Families may get their Bread, and also deters others from trusting them, whereby they may be enabled to pay their Debts and Duties; and whereas the Creditors of such Persons have frequently agreed to accept Compositions from them, and to release them from Imprisonment, and it is just and reasonable that Provision should be made for the Payment of such Compositions, and for the Discharge of such Persons out of Prison; and whereas it is just and reasonable that Provision should be made for the Relief of such Persons as shall be willing to make a Discovery and Surrender of their Estates and Effects for the Benefit of their Creditors, and that such Persons should be discharged from Imprisonment, and from their Debts, upon such Discovery and Surrender; and whereas it is just and reasonable that Provision should be made for the Relief of such Persons as shall be willing to make a Discovery and Surrender of their Estates and Effects for the Benefit of their Creditors, and that such Persons should be discharged from Imprisonment, and from their Debts, upon such Discovery and Surrender;

Academiæ nonnullos ſibi in paucis familiares devinxiſſet non alio quam paritatis morum, & nobilitatis vinculo, circa ſextam egreſſus, matutinas enim horas Muſarum conſuetudo conſumpſerat, dum extra limen ſolitaria deambulatione animus remittit incidit in adoleſcentem ingenuum ut litteratum, nomine Ariſtonem, Malacophili domos adeuntem. Theopomp. ſollicitabat eum ut in hortos ſuccederet: ſed ille hunc invitabat una ſecum ad Malacophilum iret. Theop. referebat poſſe in ſubjecto ædibus horto ſe tantiſper animos recreare, dum Malacophilus ſomnum penitus excuſſiſſet, gnarus eum noctem inſomnem uſque ad tertiam vigiliam traduxiſſe. Ille inſtabat nihilominus jucundiorem fore hac luce geniali trium ſocietatem, ſcilicet numero Deus impare gaudet, & in trium conſortio conſuetudo jucundior. Imo, retulit Theop. potior eſt duorum ſocietas: quando enim amicitiæ nexus inter plures quam duos repertus? Damon & Pythias hoc animo inter ſe fuere ut cum eorum alteri Tyrannus necis diem deſtinaſſet, iſque inducias ad rem familiarem diſponendam, ſponſorem ac vadem ſe offerente altero, obtinuiſſet, & ad diem conſtitutum moriturus revertiſſet, admiratus mutuam fidem Tyrannus petierit ut ſe ad amicitiam tertium aſcriberet.

Ariſto jocanti colludens ſubito riſu Theopompum excepit; Ergo, inſit, & inter tres amicitiæ nexus potuit intercedere: at ille, ſed ecce Pylades cum Oreſte ſic arcto conjunctis vinculo, ut quamvis ob matrem peremptam Oreſtes furiis ageretur, ejus tamen peregrinationum, atque diſcriminum individuus comes ei ſemper adhæreret, neque mortem pro eo ſubeundam recuſaret. Sed Caſtoris & Pollucis auſpicia nunquid nautis fauſtiſſima ſunt? quibus tamen ſi Helenæ infauſtum Sidus ſe adjunxerit, quam periculoſa navigatio. Atque ut Herculem & Pythoum miſſum faciam,

num

Digitized by Google

num ipſe Juppiter in utroque mundo parvo & magno binarium amavit numerum? quid enim duæ illæ faces lucis ac noctis? marem & fœminam nonne creavit hominem? num eis geminos oculos, totidem aures, brachia, manus, & pedes totidem indidit? num feras animantes aut alis, aut cornibus binis armavit?

Fraudata talibus jocis via ad limen Malacophili deveniunt. Ad fores pulſantibus adfuit vernula vix ſatis compto cultu, quæ adhuc jacere adoleſcentem admonuit: intromiſit tamen eos in atrium, inde in cubiculum Malacophili docens quantæ fortunæ hæres eſſet futurus. Quod ſi prolem alteram virilem parem illius, quæ tum geſtabat ventrem, in lucem daret, ampliſſimum annuo cenſu ſacerdotium ille fore: ſi plures hos in collegia Bardorum aut Flaminum intrudendos. Si filias, etiamſi tot ſint futuræ, quot Danao, velint nolint, ſortem eandem inter Veſtales accepturas.

Reponit Ariſto; quî ſcis ampliſſimum fore ſacerdotium? Et illa; Mecaſtor, ampliſſimum: quod interim unus è vernaculis noſtris tantilla mercede conductus dum exercet, eo reditu emuntur equi generoſiſſimi, eoque numero, quo in Diomedis ſtabulis venatici canes aluntur ea frequentia qua quondam ab Actæone; denique aucupium maximo ſumptu procuratur. Sacra autem negliguntur, victimarum numerus minuitur, & vitium pro virtute, & cana fide inolevit.

Ariſto quamvis compoſito ad humanitatem vultu videretur annuere, vix tamen coërcebat fletum, intelligens templorum donaria alendis Flaminibus inſtituta in avibus, equis, canibus, ingrato miniſterio ſic impendi, nihil ut ſacrorum miniſtris reliquum eſſet. Succurrebat Diomedis perinde atque Actæonis infauſtus exitus, ſiquidem alter comedendus equis objectus eſt ab Hercule, quos ipſe prior ſuorum civium & hoſpitum ſubſtantia paverat; alter à ſuis canibus vindice

Digitized by Google

Dea tandem diſcerptus eſt. Neque procul erant ab adoleſcentis cubiculo cum ancilla eadem in ſubjectam culinam abſceſſit, ut exceptum ex vitulina juſculum Domino ad æſtus internos temperandos promeret, & aſininum lac dominæ ad nivem cuti inducendam compararet. Hic Ariſto converſus ad ſocium, quam multi, inquit, in flammis nunquam extinguendis areſcentes æterna ſiti cum Tantalo, Saronidarum jejunnia fœdis gulæ vitiis præverterent; & quam nunc olera ſufficerent his qui pluſquam Eriſichtonis fame in Barathro cruciantur.

Ubi ſucceſſere in cubiculum, ambo jocari, & dicteriis carpere ſtertentem Malacophilum, utpote qui eſſet

Doctus ſpectare lacunar,
Doctus & in calices vigilanti ſtertere naſo.

Dum Malacophilus ſtratis exilit jentaculi officium à vernulis inſtruitur: remotiſque menſis ad Lycæum iſte à ſociis compellitur, ubi exhibendam fabulam è ſcena audierat. Lycæi aulam ingreſſis adfuit moderator, & ipſe humaniſſimus, & vultu liberali excepit intrantes: dumque ſedilia offeruntur, Theopompus interea omnes aulæ tabellas luſtrabat oculis. Hæſit autem imprimis in tabellarum operis non vulgaris contemplatione. Quod cum moderator animadverteret totam picturæ ſeriem ab ovo evolvit, & Demades, inſit, pictori argumentum dedit. Quærentibus quis ille Demades, ſic ille: Natus eſt generoſis parentibus poſthumus unum matris delicium, tandem ſupplicium. Relictis nucibus jam puberi virtutis amor, & cultus litterarum citra invidiam quidem, non vero citra gloriam fuit. Habuit tamen ſequens ætas moribus corruptiorem, dum tam fœlicibus initiis ſpem parentum prævertentem maturarunt demum ad ſcelus neceſſitudines Ganeorum, non quidem continuo, ſed

per

per temporum ſpiramenta, nec ſine atroci matris dolore: cui, nedum ſuperis Helluonum obſequium anteponens, aris & focis abducitur, & ad graſſatores deflectit prædæ inhians. Non enim tam acriter mordent ea mala quibus ſtipamur in lucem prodeuntes tanquam naturali ſatellitio, quam quæ florentem, intactamque vitam affligunt. Nunc ad ſequentem tabellam oculos mentemque convertite.

Opimis ſpoliis dives alcâ, cætaroque luxu ſic incaluit, ut non alea ſine rixa, non rixa abſque irarum certamine fuerit; ex quo pene ad cædem quiſque convertitur; ſed manibus æquis diſceſſum eſt. Pubes cerea in vitium, ſi quando jugum excuſſerit in quæ vada non alliditur. Quæ ſi intempeſtivo parentum amore fovetur, in lubrico eſt, & cum vitio adoleſcit. Mater interim querelis aſſiduis exanimari, quod ad pernicioſa æqualium contubernia quaſi ad metas ſic hæſerit uteri pignus, ut in nondum adulta ætate, jam provecta fruge nequitiæ nihil præter improviſum exitum, aut publicam infamiam expectaret Sed dum ætatis candor extinguitur, dum interit pudor, excidit penitus reverentia matris. Sæpe conqueritur mater eo doloris ſenſu, quo incendium videret façultatum: ſæpe & ipſe Demades poſt furta & cædes angi conſcientia, & reverentia matriſque dolore tangi videtur: adeo naturæ ſemina nemo repente opprimit. Pœnitet deſertæ matris; ſcelus admiſſum premit eum domi, pungit foris, aſſidet ſedenti, fugientem ſequitur. Sed mene traduci per ora civium, ait, lucemque pati? Idemum ſpe indulgentiæ in proprios lares atque in gratiam matris revocatur, quæ inſperato nati reditu reviviſcit.

Redditus parenti natus meliorem primum frugem concipit: ſed tardiora remedia, quam mala ſunt, ingeniaque oppreſſeris facilius quam revocaveris. Tantæ molis erat in veteri mente nova meditari. Iſte enim

vix apparet ſuis, cum peſtifera gregalium conſuetudo eum à matre avellit; dumque audit congerrones ſuos, ſe & ganeis, & moribus reddit priſtinis cereus nimium in vitium flecti, moxque à matre quidquid corraſit, in aleam effundit. Ex alea in arenam deſcendere colluſorem cogit, jactis, ut plerumque fit, inter ludendum rixarum ſeminibus. Quod ſupereſt noctis ganeæ ſibi vendicant, & ſequens dies arenam utrique æmulo aperit. Jactâ pugnæ aleâ Demades colluſorem cædit: tum fuga emicat, & per furta, per latrocinia, per cædes rurſus graſſatur. Sic effrænatus juventæ furor impunitate alitur ingenti peccandi illecebra. Jam iſthuc oculos: habetis enim mimicæ vitæ tragicum exitum.

Placet inſciæ certaminis atque necis matri effrænem indolem premere cuſtodiæ repagulis. Neque moram conſilium patitur: ſed illico præter ſpem matris accuſatores confluere, qui horrendis ardent in juvenem criminationibus: emicare in forum prætor qui ultimo ſupplicio reum damnat; totaque curia fervere teſtibus, obrigente jam veluti revelata Perſei parma ejus parente quæ nullum in cauſa nati non movet lapidem: obriguit & ipſe Gallica hyeme frigidior: & uterque omnem ſalutis viam emolitur. In partes tota civitas diſtrahi, & pro ſe quiſque opibus, gratiaque decertare. In unam nihilominus itur capitis ſententiam. Sed dum judices necem intentant: ſaluti conſulunt; perierat enim Demades niſi periiſſet. Nam interea in ſpem adductus divinæ clementiæ ad ſuperos ſe convertit, lancinatur anteactæ horrore vitæ, primoſque ægritudinis motus eluctatur: prodit ſcelus proprio cruore eluendum, & pravorum neceſſitudines lubens ejurat: demum victus horrore culparum animus vix ſufficit dolori. Stupendam periodum! Mater ore in mœſtitiam flexo gradum accelerat; aperiatur, dum opperitur nati ſupplicium. Illa necem deprecatur,

Digitized by Google

tur, quam hic ut meritam ſibi imprecatur. Mater in planctus erumpit, quos natus ut irritos abrumpit: illa rem familiarem, eamque ampliſſimam objicit; hic egenos hæredes ex aſſe relinquit. Quid pluta non contumacia necem provocat, non jactatione ferrum recipit. Defiguntur omnes ea juventæ conſtantia, nondum medio in ſpatio integræ ætatis demeſſæ. Sic inolita, neque repreſſa conſuetudo incaleſcit, & maturam ſceleri juventutem convictus improborum maturat neci. Hic exitus Demadis poſthumi, quem virtutis, bonarumque artium tædium, nec non intempeſtivus parentum amor in hanc ſcenam induxit cæteris exemplo futurum. Atque hic tabellarum ſenſus fuit; nemo autem fuit ex cœtu quem argumenti non vulgaris ſic digeſta ſeries non percelleret, quique peroranti non ingemiſceret.

Interim aulam, quanta erat, dum excurrunt, Moderator ita proſequitur: quam ſæpe illud in Academiis noſtris animadvertimus; eos inquam qui ad litterarum ſtudium pietatem non acciverunt, aut quos immodicus amor parentum remiſſius cum pueris agere nos cogit, eos in ſchola vitii plerumque adoleſcere atque ſeneſcere.

CAP. X.

Exhibet hoc caput ex ſcena Cariclea & Theagenis ſortem variam, & tripudio Cadmi atque Heſiones metamorphoſin: fallitque Ariſto reditus laborem lepida fabula, donec ad Theop. lares deveniſſent.

Interea apparatus ſcenæ adornabatur: tunc ad ſignum confluere frequens ætatis promiſcuæ turba, quæ confuſo murmure obſtrepebat. At hi oblatis antea ſedilibus incumbere dum argumentum fabulæ à quatuor adoleſcentibus in habitu ſcenico clariſſimo cuique deferebatur. Cariclea neptis Perſei & Andromedæ Dramati argumentum dabat. Hæc à Theagene paulo

paulo ante apud Delphos rapta fuerat volens, neque reluctans. Hoc graviter à graſſatoribus fauciato, dum illa à prædone qui virginem efflictim deperibat, ingratiis abducitur, nuptias laborat prorogare dum ficto ſe voto Dianæ nuncupato exolviſſet. Urit nihilominus mentitum fœdus Theagenem, ſed prædonem magis inſomnium, ex quo ad cædem convertitur. Mox favente fortuna Theagenes & Cariclea de mutuo aſpectu geſtiunt; eademque ſubito illis tantam fœlicitatem invidente, ab invicem diſtrahuntur: quanquam paulo poſt tempore Cariclea ſub panno degenere latitans redditur Theageni, quem Arſaces quibus poteſt faſcinis circumvenit: ſed iis irritis. Unde non ſolum minas intentat, imo & verbera infligit Theageni, dum Cariclea Anancæo poculo declinato in cuſtodiam compingitur, & quaſi rea necis veneficæ quæ toxicum hauſerat, igni mulctata, novo miraculo igni ſubſtrahitur. Tandem ô fatum! dum par amantium Hydaſpis imperio ad Solis aram tanquam hoſtiæ mactandæ protrahitur, Caricleam Regis filiam eſſe produnt indicia. Illa tamen percellitur indigna ſorte ſui Theagenis, qui eliſo Tauro, & gigante ad terram proſtrato ad aras mactandus protrahebatur, dum Caricles Theagenem filiæ ſuæ raptorem agnoſcit, eumque enixe petenti Caricleæ in ſponſum tradit.

Placuit argumentum ſcenæ, quod Pyrrhica non invenuſtior excepit. Cadmum vidiſſes in Draconem fera bella moventem; mox victorem dentes Draconis agro inſerentem ex quo emergebat cataphracta acies, qua repente ager inhorruit. Eundem denique una cum Hermione conjuge in ſerpentem commutatum cernere erat, cauda ſquammata crebro ictu terram ad numerum verberante. Saltatum eſt autem ex more Græco ad concentum Phrygiarum, atque Lydiarum; nilque defuit ad pompam magnifici appartus. Sparſi etiam

etiam odores pluſquam Arabici donec plauſu edito quiſque diſceſſit.

Dumque domeſticos lares repetunt juvenes multus eſt de mimo & tripudio, deque tranſmutationibus Cadmi & Heſiones ſermo, maxime vero quod cum hominis forma non exuiſſent humanum ſenſum. Cujus fabulæ veritatem Ariſto narratione alterius metamorphoſeos tentavit aſſerere. Suſpenſis itaque ſociorum animis tanquam ad aliquid inauditum ſic ille orſus eſt.

Fuere apud Tarentum conjuges regiis titulis, ſed ipſo maximo amore mutuo florentes, his minime contentus rex, ut erat de more principum in amicitias pronus, quæſivit inter aulicos quem amoris ſui, & arcanorum conſiliorum participem faceret: unus ex aulæ illuſtribus regi placuit, & in eum amorem ſuum, & conſilia & ſecreta partiebatur: ſed iſtud maxime quod quoties ipſe vellet in quodlibet animal breviſſima mora ſeipſum transformaret, & exanimato proprio corpore, in alieno viveret. Ergo rex aulicum cubiculo ſecum includens, age vero, inſit, & regem tuum ſuos ſpiritus alienis membris inſinuantem demirare. Simul occidit paſſerem, & ſupinus procumbens mortuæ avis roſtrum ori proprio inſinuat. Jacebat regis corpus exanime, & redivivus paſſer ſubſaltando aulicum repentino ſtupore perculit: nunc inſidebat mirantis humero, nunc aërem audaci alarum remigio dividebat. Dum ſpiritus illorum paſſerem inſpirabat, ad priſtinam ſedem volans rediit, iterum inſerto pallidis jam labris roſto, & regium corpus rurſus animavit. Hæſit aliquandiu ſimilis attonito aulicus, & mox ad ſe reverſus collectis animis artis regiæ periculum facere auſus eſt, demerſa eadem herba, alia impoſita pectori, nec mora inſufflans eundem paſſerem iterum animavit, factoque periculo ſuum cadaver repetiit. Aulicus cùm ambi-

ambitione regnandi, tùm libidine in reginam ardens iniqua cœpit ex illo agitare consilia; ipsique regi eadem arte illudere. Itaque forte animi mole negotiorum oppressi nervos remissurus Rex, venationem adornat. Jamque per prærupta montium, per concava vallium, per spelæa ferarum, per opaca & avia sylvarum ferebatur equi cursu, cum aulicus solus comes regis contorto spiculo fugitivam capram transfixit. Tum nactus fraudis opportunitatem, ad experientiam iterandam secretæ artis suæ ipsum regem concitavit, qui juvenili æstu equo desiliit, familiari obtemperaturus, moxque in cæsæ capræ corpus se provolvens, & solita herba in os illius spirans subito ex Rege Caper est factus, ita ut membra prius frigore torpentia receptis animis in cursum denuo prorumperent. Aulicus ansa capta fraudique intentus, regio corpori & ipse incubuit inspiravitque halitu suo exanimem. At capra spiritu rationis compote animata postquam indignata est tantum scelus amici, per nemorum devia discurrere, & sortis suæ calamitatem circunferre. Aulicus vero se recipere ad reginam, quæ nescio quo malo genii sui præsagio cœpit in corpore conjugis sui dissimilem animum experiri. Idem tamen proditori gestus, eadem vox quæ quondam conjugi, sed dissimilitudo affectuum.

Interim capra per solitudines errabat internum dolorem circumferens, cum ecce decussum ex arboris ramo & ictu recenti extinctum psittacum: nec mora regius animus quem capra spiraverat, illam pecudem deserens psittaci membris nativo calore destitutis sese inserit. Tunc avis rediviva liberiori remigio librare super aëra, & mutuatum corpus puriori cœlo credere: visisque laqueis & retibus quæ auceps instruxerat, psittacus iis sponte implicatus, moxque humanam loquelam, qui mos est psittacorum, imitatus domino charior factus est.

eſt. Illi ingentes opes promittit avis, ſi ſe Reginæ dono dediſſet: Moram nullam hoc dictum paſſa eſt, accepit illa aucupis donum. Tunc pſittacus ſolitariam Reginam alloqui, ac rei totius ſeriem edocere, non ſcelus aulici, non regis in pſittaco latentis calamitatem tacens.

Regina horrere velut ad fulmen, mox animo linqui, ac nimio mœrore pene confici. Noverat ſcilicet illa & ex conjuge legitimo, & ex ipſo aulico nova metempſychoſi in Regem transformato, quanta eſſet in herbula virtus. Rex autem repetens regiam, reperienſque Reginam eo dolore attritam, cœpit abblandiri, & cauſam mœroris percontari, id Regina primum diſſimulare, deinde fingere ſe admonitam, Regem alterius amore pellici & Reginam aſpernari. Ille ſuperos ac inferos deos teſtari, nullius ſe amore, nullius veneribus aut illiciis irretitum eſſe. Regina jam pene victrix amoris argumentum poſtulare, certe non aliud quam ut herbæ ſuæ periculum faceret, quippe ejus virtutem conjux apud ſe tam ſæpe jactaſſet: placere hoc unicum illius erga ſe amoris argumentum: ſubito ille retulit nihil in ſe moræ eſſe, modo id citra familiarium arbitrium fieret. Itaque ad nutum Reginæ abſcedere omnes qui officii cauſa utrique aderant. Remotis arbitris hic allatum gallum gallinaceum rapit, & ſuffocat, mox tota corporis mole procumbens herbæ vi cæſi galli in os animum inſpirare: nec mora pſittacus totus fabulæ teſtis erumpere ex cavea, & exanimatum cadaver ſuo habitu animare. Tum Rex redivivus ſurgere, & legitimus conjux reddi conjugi, jam mœrorem in veros gaudii ſenſus convertenti. Qui complexus & plauſus! interim totus pavore marcebat gallus, modo hunc modo alterum angulum petens, ſceleris ſui ſibi conſcius, & præſcius impendentis ſibi necis. Ergo familia tota accerſitur, totius rei ſeries exponi-

Digitized by Google

ponitur, & à quolibet juſta ſententia ſupplicii in gallum gallinaceum datur. Hic transfigendum veru & aſſandum, ille exuendum pelle & muſcis objiciendum. Demum rex Jovi Hæteridio mactandum decrevit, ut qui conjugem conjugi reddidiſſet. Projiciendum autem cadaver perfidi inſepultum, quatenus ex priſcorum ſententia, anima illius per centum annos per ripas Stygiæ paludis erraret.

Placuit lepidæ narrationis argumentum; nemoque fuit qui ſeveriſſimo ſupplicio Gallum cruciandum non cenſeret. Demum ad Theopompi limen ubi pervenere officioſo comitatu, principe in eam noctem ſalutato, ad proprios lares abſceſſere. Theopompus autem conclave repetens Theandrum ſeriis lectionibus tunc implicatum, eorum omnium quæ viderat, & quæ audierat, lepida recitatione recreavit. Gaudebat autem Theander diſcipulum in viriles, & prorſus regios animos in dies aſſurgere, tentabatque expolire domi, quod leviter inuſtum erat foris.

CAP. XI.

Theopompus Andronico ſe inviſenti carmen exhibet tunc primum elaboratum, damnaturque ab utroque luxus, & laſcivies nocturnarum chorearum, & pie caſtigatur.

Aderat poſtera lux, & aurora prævia lucis, ac Muſis amica, per vitrea ſpecularia ludens proximum eſſe ortum Solis admonebat. Itaque Theopompus corpus è ſtratis corripuit, & præmiſſis votis incaleſcente furore poëtico ad ſtrictam compoſitionem calamum torſit.

Facultatem omnem hoc œſtrum inceſſerat, cum exſonante Muſæoli oſtiolo Andronicus coram illo ſtetit. Is humaniſſimus ſalute præmiſſa, cæteriſque ſolitæ urbanitatis officiis rogare num placeret ea luce geniali deambulatio matutina? amœnitatatem aëris, & cœli cle-

Alexandrien in der Landschaft Egypten / welche in gar wunderlicher Gestalt hier
gemahlet ist.

Dieses Gebäu ist gantz rund / und hat
oben auf dem Dache einen Thurn / auf
welchem ein Spiegel gestellet / darinnen
man alle Schiffe / so auf dem Meer
kommen / sehen kan / ehe sie noch
gantz nahe sind / damit man sich
fürsehen kan / daß sie nicht an die
Felsen stossen / und Schiffbruch
leiden. Es ist auch ein Thurn
gewesen / der hat 300. Ellen hoch
gestanden / und ist von Ptolomæo
Philadelpho / dem Könige in Egypten /
gebauet worden / welcher auch
Alexandrien gebauet hat / und
Pharus genennet worden / weil
er auf einer Insul / Pharus
genannt / gestanden / welche
vor dem Hafen Alexandriæ
gelegen / und ist dieser Thurn
eines von den sieben Wunder-
Gebäuen der Welt gewesen.

Pro clangore tubæ ſinuoſus ſibilat anguis,
Atque volubilibus ſquammoſos nexibus orbes
Torquet, & immenſo ſaltu ſinuatur in arcus
Lubrica convolvens ſublato pectore terga,
Muſtellamque ſuis tentans incingere ſpiris:
Mobilitate viget Muſtella, fugitque venenum
Atque venenatos morſus; ſeu gramen amicum,
Inque venenatos præſtantia pharmaca morſus
Luſtrat, & audacis colubrum petit impete dentis.
Bellum atrox utrimque furit, duriſque cruentum
Vulneribus: ſed jam ſaltuque fugaque valebat
Serpentum fugitiva cohors, dum terga premebant
Muſtellæ urgentes hoſtem, morſuque petebant:
Hoſtia jamque tenent, colubroſque per uda paludis
Littora propulſant. Hæc meta prementibus hæc eſt.
Qualis ſæpe ratis longis erroribus acta
Æquoreas ægre fertur quaſſata per undas,
Talis erat coluber dum languida corpora totum
Vix agit ad littus, factis maledicta rependens
Sibilat, & molli ſubito ſe condit in ulva.
Ridendi tunc anſa mihi. Satis ergo jocatus
Hanc lapidem mittens totum compeſco tumultum.

Arriſit Andronicus lepido carmini, quod iter ſic fefellit, ut unius ex familiaribus ad fores jam ſe perveniſſe mirarentur, Phidias vocabatur. Subito in veſtibuli contemplatione toto obtutu defixi hæſere: etenim ad novitatis ſplendorem conſpicua domus erat, ingentique luxuriabat porticu, in qua non inutilis in varietate decor aciem oculorum ſuaviſſime fallebat, dignum medius fidius aliquo Praxitele, aut Pygmalione opus. A fronte porticus inter ſtatuarum varias formas, tres maxime eminebant. Harum prima Deum capite, pedibuſque alatum referebat; ſenem altera: denique tertia virgini tota ſimilis erat. Tria hæc animos primum dubios quaſi triplici vinculo irretitos tenebant.

Digitized by Google

bant. Sed Andronicus nihil moratus animi anxietatem ita deterſit: equidem exiſtimem, mi Theopompe, Mercurium cum Batto & Herſe hic haberi depictum, ut intelligas dolos atque libidines, inſolentiam & rapinam, luxum cum omni turpitudine in his magnatum familiis plerumque ſeneſcere. Enimvero quotuſquiſque eſt qui hæc curet infames voluptates jure etiam violato aucupari, per publicam calamitatem clareſcere, & quod turpiſſimum eſt, quot Mercurios reperias qui ut Jovem ſuum ſibi concilient, hunc in raptu nympharum & virginum, arte & conſilio juvare non dedignantur. Eſt quoddam genus hominum quos vocant Publicanos, hi ad publicam deſolationem nati, raptores ſunt omni accuſationum telo impervii, Latrones extra laqueos judicii poſiti, ne ob furta poſſint condemnari; lupi qui compotes rationis oves deglubunt; ferociſſimæ belluæ ſub humana ſpecie ferinum in morem ſævientes. Quis enim picem tetigerit, & non inquinabitur?

Hæc confabulando xiſtum perpetuo virens, objectumque veſtibulo domus excurrunt, patulis arborum ramis nexus invicem miſcentibus ita denſatum, ut inter hos ramos peritet ſplendor Solis: tum repetitis iterum iterumque pulſibus limen vexant. Nemo tamen qui laxaret oſtium, hactenus interuenit, quamvis Sol jam altior calorem intendiſſet.

Omnes ſomno ſepultos ſtertere protinus intellexere, quippe neceſſe eſt, reponit Andronicus, ut quod nocturnæ quieti detraxere, hoc matutino ſopori reſtituant. Id enim eſt moris apud divites, ut in conviviis, choreis, aut ſcenis noctem concubiam, lucem Solis cum noctuis peroſi miſere perdant: nempe Venerei vultus fulgentes minio ad facum ſplendorem gratius vibrant, & ad liberiores amores, aut blanditias amatorias nocturna tempeſtas potior & acceptior videtur

Digitized by Google

quam diurna : neque tam facili negotio Martis cum Venere furta retegere Apollo valet. Quaſi vero divinis oculis occultum quidquam eſſe poſſit qui ut die ſic & nocte perſpicax eſt, & per ſpiſſiſſimas tenebras abſtruſiſſima quæque penetrat. Vigilat ſemper divinus ille oculus, & cum dormire eum cenſes, connivet. Quid enim triplex ille Jovis oculus in templo Argivæ Palladis, quid diphthera arguit, cui oculos Argi ipſe Juppiter intexuit?

Retulit Theopompus : non in ipſis ſolum mulieribus fucum oris, & oculorum laſcivientes nutus ſe advertiſſe & damnaſſe, ſed in ipſis etiam principibus, quod apud ſuos pœna dignum eſſet, hoc tota mente adhorruiſſe: Semiviros eos, aut effœminatos eſſe magis quam viros. Quod ad ſe tantam laſciviem & fucum ſupra ſpumam Cerberi, & Hydræ tabum abominari, nihilque ſe ſpirare niſi Virtutem, & Martem.

CAP. XII.

Hic divitum, avarorum, publicanorum tumor reprimitur, laſcivientiumque morum, quibus pictura alimentum præbent, inſolentiam arguit: ſimul conſilium illuſtris fabulæ Andronicus aperit.

Dum Andronicus hunc laudabat in Theopompo generoſum animi impetum, adventus vernulæ ſermones abrumpens tædium quoque iſtorum levavit. Nam hæc oculis adhuc ſomno gravibus, & cultu tumultuarie compoſito ſatis incompta ecquem vellent? anxie rogavit. Cui Andronicus; ut ſe habet Malacophilus? hunc paucis volo. Quibus illa, adhuc jacet ſomno domitus: nox enim media vertebatur, cum ad quietem ſeceſſit, ſed ſi commodum eſt; ſuccedere licet.

Domum penetrantes atrium longe lateque porrectum eos excepit, quod opere teſſellato ſtratum erat muris, & laquearibus auro micantibus. Continuo in immenſum excurrit area, quam quadruplex ambit porti-

porticus, ubi avorum effigies cum ſubjecto ſtemmate vivorum ſpeciem referebat. Inde ad cubiculum Malacophili, quod ad dextram ſitum erat, & in quod aſcendebatur per cochleam, deflectunt.

Interea cubiculi janua reſeratur in qua ſtans velut ad inſidias, aut cuſtodiam, ſimiliſque minanti cum clava ſua Hercules erat adumbratus. Iſthuc ubi ſucceſſimus lecto, & ſomno immerſum Malacophilum Andronicus familiariter increpat, heus tu Malacophile, Solem pene Meridianum non vides ſuis radiis pigritiæ tuæ obluctantem? Dixiſſes in ſemiſopito productum ad multam lucem ſomnum cum vernantis cœli benignitate luctari.

Ergo Malacophilus gravibus adhuc ſopore oculis ad intenſæ lucis fulgorem connivens lepidum hominem, inſit, protracto à primis tenebris ſomno ſatis refectum nocturnis excubitoribus obſtrepere. Quidni ego quod ad tertiam uſque vigiliam in convivantium, & tripudiantium procerum cœtu conſumpſi, diurno ſopore reparabo? Ne vivam, retulit Andronicus, ni Parnaſſum occludis tibi qui nuper tam fœliciter Muſis litabas: quippe? ait Malacophilus. Quippe, refert Andronicus, litterarum ſtudioſis tria hæc Bacchus, Venus, & nocturna Hecate penitus domanda ſunt.

Mirabatur Theopompus altiſſimo ſtupore demerſus non totos dies ſolum, ſed integras etiam noctes aſſiduis nugis, fabulis, ſquallore ſituque ingenii, choreis & tripudiis traduci ab ingenuis; neque poterat ulla ratione pantomimicæ huic arti apud patriam gentem inuſitatæ ſubſcribere: imo Græcam proſcribebat mollitiem, affirmans ſoccum, & tripudia corruptelam morum eſſe quæ juventum libidines vix enaſcentes ſolet accendere: neque temere Galliis Mimos, ac Ludios igni & aqua interdictos eſſe: Eſto, inquit, proferant in exemplum Theſeum qui ex Creta inſula in Delum appulſus cho-

Digitized by Google

ream cum pueris iniit quæ Labyrinthi præferret erro-res, dum orbibus orbes apud aram implicaret. Profe-rant Lacones qui ex inſtituto ſui Lycurgi tricoriam ſaltationem ſenum, juventum, puerorumque agita-runt. At quis ſapientum hoc excepto tripudium per-ſuaſit? removit autem iſte à chorea omnem laſciviem. Imo frequens fuit in ore Imperatoris invicti malle ſe febri teneri, quam inconditos in motus ad modulo-rum tenorem corpus efferre. At enim voluptas eſt & ludus non ingratus elegantem corporis habitum, ur-banoſque motus ad præſcriptum fidium vel tibiarum oſtentare. Sed fugitiva hercle voluptas ea eſt, & om-nium riſu traducenda. Dixerim præludium Veneris dum Saltatrices circumferuntur laſcivum in morem, dum inſolenter urgentur, & urbanitatis ſpecie atterun-tur. Liberæ ibi manus, liberi oculi, liberæ voces, & amica ſceleruin nox. Et ludi velo tantum crimen ob-nubunt? tolle hanc artem, & libidinum ſtimulos ſuſtu-leris.

Sed ad conſpectum picturarum penitus cohorruit; & ô tempora, inquit, ô mores ſceleratos. Crimen erit imagines pingere quæ religionem accendant, & ali-quos pietatis ſenſus impertiant; placebuntque magis illa quæ perverſis moribus nutrimenta, & intempe-rantiæ flammas ſubminiſtrant. Sic, ait Andronicus, inſtituti ſumus. Et Theop. Ecquid jam reſiduum ad impietatem, & hodiernam ſcelus relictum? ô religio azylum & ara piorum, quantum à priſtina laude de-ſciviſti! ad hæc Andronicus: Revera vix religionem ubique reperio niſi fucatam; omne fas, piumque adem-ptum eſt. Vix ipſæ æræ immunes à ſcelere. Dicamne religionem fortunæ ſervire & infulas ſecuribus ſub-jici? ſed hæc, & longe plura fauces mihi præclu-dunt.

Cultu interim comparato jentaculi non illauti offi-cium

cium comparatur, obſoniiſque onerantur menſæ non recentibus modo; ſed etiam pridianis etſi ſemeſis, at illis non ingratis. Has reliquias è promptuario depromtas coquus in foco, ac lebetibus ahenis elixaverat. His adduntur artocreata, lucanicæ, botuli, pernæ, petaſones, & ſuccidiæ cum ferina. Aderat vinum Hornum, & Annotinum; ita ut tam opipare jentatis non eſſet prandio locus. Interea qua fabula, ſeu ludicro ea lux traduceretur, vacavit cogitare: multaque proferebantur in medium quaſi præludia ineundæ diſputationis: alter cenſet aliquo potius fortunæ ludo remittendos animos. Placebat alteri teſſera, aut taxillis, latrunculis, vel orbiculis.

Remoto jentaculo in ſubjectos ædibus hortos ſudo ſcilicet cœlo ſucceſſere, ubi natura cum arte adeo ad certamen uſque luxuriabat, ut compluvia ad faſtum, & elegantiam palatiorum concinne aſſurgerent. Circum autem muta venatio ex buxo in varias formas excreſcente. Hinc cervus effugiens canum morſus quaſi latrantium; inde venator buccina buxeos canes veluti accendens admotis equo calcaribus. Sed fons imprimis omnium oculos in ſe avertebat: iſthic enim in altitudinem originis aſcendentes aquæ per varios belluarum rictus, hominumque formas gratiſſime micabant, & in ſubjectum calicem ſe præcipitantes fervebant ipſo tumultu. Circum Napeæ, atque Nayades lavantem ſe Dianam circumſtabant: neque ita procul Actæon mutatus in Cervum, & venatico velut accenſorum canum grege ſtipatus: totum ex Pario marmore. In ſummo Hydrus ſeptemgeminis facibus limpidiſſimas aquas eructabat; cui Hercules Nemea obductus pelle, & clava armatus, ferientique ſimilis imminebat. In toto denique horto nihil erat quod animos non raperet.

In ora fontis poſtquam conſedere, & artificium illius haud vulgare ſatis demirati ſunt, Andronicus ſic

orſus eſt: Pridem eſt in animo in inſolentes noſtræ ætatis mores invehi, eorumque maxime quorum cum interſit cæteris prælucere, emendicata ſtipe abdomen ſaginant, genus ſuum paſſim obtrudunt, & tamen ab avita virtute deſciſcunt. Deinde animus eſt eos inſectari qui ex pulvere ad ſummos honores per fas & nefas perrepunt; ſupremæque potentiæ faſtigium æmulati ad ſceptra, aut æqualem cum Rege potentiam ſæpius anhelant; & nullum non putant ſibi licitum iter quod tentent, quatenus ad optatos exitus conſilia ſua perducant: verum hi nimio tumentes ambitu Titanum more congeſtis molibus cœlo caput æquant, jam ambroſia, jam nectare delibuti, jam radios Jovis, & Apollinis gemmarum & auri fulgores æmulati. Neque ſtili mitioris æquiſſimam aciem declinabunt ii, qui ſuo jure abutentes jus omne divinum & humanum violant.

Hi rubeant, eſto, queis fœdis frigida mens eſt
Criminibus, quorum non audeo dicere nomen.
Heu heu! quam vana eſt quæ nos ſpes paſcit inanis!
Diſcite, nobilitas ſola eſt atque unica virtus.

O te lepidum, & ſecundum ſeculum imprudentem, retulit Malacophilus: dum ludis, lædis, nec advertis quam multos in aulis etiam familiares canino dente laceras. Quem librum tuum ad oleum & piper dimittent, niſi hoc œſtrum compeſcueris. Sed liberiori Minerva perverſos ætatis noſtræ mores reſcindes plane, ſi lenocinio quodam vitia in aulis, in aris, in foco, in foro familiaria temperaveris.

Mihi vero facem præfers, inquit Andronicus, & amplum dicendi campum aperis: piget nempe reipublicæ vulnera tam aperto Marte oppugnare. Perſtringam laſciviem, & cupiditatem habendi; inſolentes tumidæ mentis æſtus reprimam; & innocentiæ poſitos laqueos aperiam. Cæteris ſceleribus etſi regno lachrimante ſuperſedeo. CAP.

CAP. XIII.

Narrationem illuſtris fabulæ Andronicus rogatus aggreditur: ut Licandro Galateæ in conjugium vel violentum aſpirante, Rex filiam in arce incluſerit. Hercules vero advena fama Galateæ adductus penetrandi in arcem conſilium inierit.

Andronicus plura parabat, cum Theopompus his eum adorſus eſt, perge Andronice, & narrationem promiſſam indefeſſo linguæ famulatu, ſodes, exequere: ſecundiſſimis auribus eloquentiam tuam nemo eſt noſtrûm qui non excipiat. Andron. perſtrictus honore verborum imperitiam in dicendo ſuam primum excuſare, orationis ſuæ filum retexens uſque ad noctis crepuſculum inſinuatum trahere ſermonem mox œſtro poëtico ſtimulatus ſic erupit:

Noſtro feretur Gallicus Hercules
Vixiſſe ſeclo; ſic Helicon tuos
Attollet, Alcides, triumphos
Unanimi ſuper aſtra plauſu.

Hoc argumento imprimis apparet *Inſolentia domita*, ſeu *laceßita virtutis triumphus*, in *Hercule Gallico* & *Galatea*.

Nondum Hydra in Lernæum lacum pedem retulerat, nondum pullulantes ejus criſtæ clava Herculea ecciderant, nondum ab axe temere occupato Tyranni deturbati fuerant, cum Lycander & ipſe Ligus quo potentiam ſuam in dies promoveret, factione populari rium ferox omnia ferro flammiſque vaſtabat, ne ipſis quidem regibus parcens quorum alios cæco Marte, alios aperto impetebat: & quoniam in Galatea Orgetorigis Tectoſagum Regis filia tota regni fortuna incumbebat, hanc ſibi conjugem etiam ingratiis, nothoque ſuo Myrtheam natu minorem deſtinabat: quæ dum Tyranni metu in Corſicam flectit, parentem orbum relinquit. At Rex unicæ proli, regnoque cavens

in munitiſſimam arcem, quam hinc prærupti montes, inde maris fluctus muniebant, cum Veſtalium grege, ne cui viro daretur ingreſſus, furtim illam intruſerat. Sed tyrannus per ſpeculatores admonitus, ſubductam ſibi prædam ut reciperet, viam ad arcem emoliebatur. Tunc temporis Hercules cognomento Lybis, deinde dictus Gallicus, filius Oſiridis iſtius quem virtus conſecravit, dum exemplo patris purgare terras populoſque tyrannorum jugo vendicare properat: toleratis Africæ arenis, fixis utrimque ad Herculeum fretum columnis, domito Antheo, Tricorpore Gerione, aliiſque Tyrannis, denique trajecto Ibero, ſuperatiſque montium jugis qui à ſylvarum incendio dicti ſunt; dum ſævire etiamnum impune Tyrannos in Galliis rumor percrebreſcit, has armis luſtrare, auſtralemque imprimis cui proximus erat, penitus animo ſedet. Jamque non pauca milliaria in Galliis emenſus erat, cum forma Galateæ, dotumque illius regiarum miracula; ſimul terrores ejuſdem, & Lycandri furioſa de invadenda arce, & rapienda virgine conſilia; nec non patris de filia ingentes curæ ad aures illius perveniunt. Mox inſtanti Galateæ diſcrimini virtute ſua Herculea fretus præſto eſſe decernit. Religio tamen à conſilio deterrebat vario interim æſtu abreptum. Itaque Euripi more reciprocatus ex Patriciis Galliarum unum elicuit, qui ſe Veſtalium quas inter erat illi ſoror; ritus moreſque edoceret. Accerſitus ille ſic interrogantem Herculem adoritur. Veſtalium domos ſub noctem ingredi, nedum apud illas immorari nefas viris ſemper fuit, tantus eſt Virginum pudor, quæ ſub ignis puriſſimi ſpecie Veſtæ faciunt: quæ ſi voto exciderint, ſolis pontificum damnatæ ſententiis ſub effoſſam humum cum lucerna & oleo, pane & aqua, pontifice næniam ſubmurmurante, capite ejuſdem velato, & fronte averſa, miſerandum in modum vivæ intruduntur. Atque

hic

hic dies conſternatæ urbi adeo feralis eſt, ut indicto juſtitio publicæ rei vacare liceat nemini. His æterni ignis in adyto Veſtæ aſſervati aſſidua cura eſt. Decedentibus faſces præeunt, ceduntque conſules, tantus eſt pudicitiæ honos. Forenſibus etiam cauſis interſunt, neque repulſam ferunt, cujuſcunque ſupplicium deprecentur. His annorum triginta caſtitas præſcripta eſt, quo exacto circulo penes emeritas eſt vel ſacerdotio ſolvi, vel eodem cultu ſacris præeſſe. Hercules interim opus ingens & inſolitum movens animo, ita ſecum: viri interdicuntur arcis aditu, quidni liceat ſexum ementiri? præiverunt exemplo viri fortiſſimi, quos inter Thebanus Hercules, alius terror orbis, ac monſtrorum domitor,

Num manibus duris apta puella fuit?

Ego ab eodem nomine victoriam auſpicabor. Ergone vivente me ac vidente Tyranni furiis Galatea ſubjacebit? mores Veſtalium doctus fingam me unam ex illis. Sic mihi uni Rex Galateam, Galatea ſalutem debebit ſuam. Sic expeditus Hercules ſe ſuorum oculis ſuffuratur.

Cæcus eſt ignis ſtimulatus ira,
Non regi curat, patiturve franos,
Haud timet mortem, cupit ire in ipſos
Obvius enſes.

CAP. XIV.

Hercules cognomento Gallicus quo facilius in arcem penetret, ſexum, & nomen diſſimulat, & Soſtratam ad ludos Iſthmicos deſcendentem tam lepido commento illudit, ut ejus ope ad arcem accedere potuerit.

Superato montium flexu Hercules non procul ab arce ſubſtitit ex Herculeo mari prominente, intentuſque ludis Iſthmicis, quos Palæmoni ſuo pubes ruſtica celebrabat, mentito ſexu in ripa ſubſedit.

Forte Soſtrata Galateæ nutrix ex arce deſcenderat, ut

ut febris diutinæ moleſtas reliquias ludorum ſpectaculo utcunque levaret. Jamque apio Gymnici donabantur, cum matrona in arcem revertente mutatus Hercules gradum præcipitat, ore quidem in mœrorem puellarem flexo, gravitatem tamen ſummæ fortunæ retinente, & ſub fœminei habitus larva, laxato capilli nodo, matronam inter dumeta ita circumvenit. Per ſi qua eſt pietas, ſuccurre Domina, neque imbellem virginem gladiatorum dimitte libidini; te per ego Deos Deaſque oro, proximæ arcis ſubſidio pudicitiam meam tuere.

Ad ſubitos conſternatæ virginis congreſſus Soſtrata defixa eſt, & patriam genuſque rogans à puella hæc audivit. Liguria mihi patria eſt, genus illuſtre, nomen Androgine. Præmaturo exitu patre ſublato, virginitatem meam Veſtæ ſacravi, dum prædones patrimonium occupant. Cum in hanc oram negotiorum cauſa veniſſem, audiens haberi Iſthmica certamina, hujus ſpectaculi ſatis avida, eo me contuli: ſed victore coronato dùm reditum molior Palæſtritarum manus ſubito advolans recedentis preſſit veſtigium. Ego dumorum latebris pudori meo conſului. At ne iterum pudicitiæ meæ periculum incurram, liceat eam proximo vallo inter ſorores meas Veſtales protegere, donec in patriam iter remetiar. Paris ſexus calamitas ulceravit matronam, honoſque frontis illam propitiavit.

Itaque per occultos denſiſque obſitos ſentibus anfractus ad caſtrum tendunt, quod prolixus præruptarum rupium ordo ambiebat. Per varios flexus collem ſuperantes mutuis colloquiis laborem fallebant itineris. Inſinuatoque ſermone iterum quærebat matrona, quid negotii in remotiſſimam plagam virginem adegiſſet? cui Androgine commento callide rurſum illudens: Jam patriam, gradum, nomen ſignificavi. Porro extincto Tyranni dolo patri gemina proles ſuperſtes fuit:

Digitized by Google

Ihr Gnaden zu Thorn zu Gaste gebeten, und ihnen zu Ehren ein Gastmahl gehalten, darin war offentlich zu sehen, daß sie Ihr Gnaden sehr hoch geehret, und ihnen alle Ehre erwiesen haben. Es ist auch Ihr Gnaden Herr Bischof zu Culm, Herr Johann Dantiscus, Ihr Gnaden Herr Bischof zu Pomesanien, Herr Tidemann Giese, Ihr Gnaden Herr Bischof zu Ermeland, Herr Martinus Cromerus, Ihr Gnaden Herr Bischof zu Kujavien, Herr Andreas Patricius, Ihr Gnaden Herr Bischof zu Posen, Herr Adam Konarski, Ihr Gnaden Herr Bischof zu Plock, Herr Andreas Noskowski, Ihr Gnaden Herr Bischof zu Lubin, Herr Johann Dantiscus, Ihr Gnaden Herr Bischof zu C

purpuratum dimiſit, qui ad promiſſum munus mox ſeſe accingit.

Jaculabatur ad palum in agreſti palæſtra puer ad imperia natus, & (ſi qua ſortibus fides) titulus Regis cum faſcis præmium erat ad ſcopum collimanti. Sodalium jaculis in vanos ictus cadentibus, puer auſpicatur à victoria Vix enim contorſerat cum aſpirans votis numen ad metam collineavit. Itaque dum à ruſtico agmine cui palmam præripuerat, Rex ſalutatur, purpurato adventanti præſagio eſt. Is puerum palmarem dum luſtrat oculis, hæret ad inceſſum ejus minime ruſticum, & notos olim vultus recognoſcit. Tunc ab incondita turba ſubductum parenti reſtituit; cujus ſinu ingratiis avulſus fuerat: ex illo puerum per obſcura noctis ad matrem reductum terrores obſeſſere & iterum ad fugam & latebras adegere: clientelis enim Tyrannus ferox eſt. Ego, ſubdit Androgine, mentita ſervitium ſubſtraxi me iſtius furori, regnum, meque ſibi conjugem ſacrilego facinore deſtinantis, donec frater ad ætatem aſſurgat regno maturam. Quod autem pudicitiæ meæ tutius propugnaculum quærerem, quam hanc arcem ubi ſororum mearum cœtus aſſiduis litationibus intenta eſt.

CAP. XV.

Hercules mutatus in Androginem cum in arcem penetraſſet, audiit quos raptus Galateæ puſſa eſſet, ſimul omnia fauſta ex inſomnio Galateæ pollicetur.

Soſtratam atque Androginem hæc fabula ad fores arcis provexerat, quas poſtquam repetitis ictibus matrona quaſſavit, prodeunt Eunuchi omnino duo conducti cùm ad ſublicium pontem ſubducendum, tùm ad procurandas excubias. Præcurrebat tamen Beroë arcis præſes. Cui Soſtrata; incolumis eſt noſtra princeps? Incolumis vero, retulit illa; tene fugit quantæ

tæ ſubjecta eſt aleæ? hoc attonita fulmine Soſtrata, quam triſti omine, inquit, maleſanam torques? aut cur abeſſe tandiu potui? Cedo quid actum Galateæ? quo ſe alumna? recentiſſimi caſus memoria crudum vulnus refricat, ſubjicit Beroë. Poſtquam heri ex arce ad ludos profecta es, non terroribus, non tumultu vacavimus: primis enim ſe intendentibus tenebris ſecus ſiniſtrum arcis propugnaculum, latrantium canum indicio ſemianimis reperta eſt, nullis certis improviſi caſus argumentis. Sed necdum illa ſibi ſic conſtitit, ut languoris cauſam expromeret. Initiatos ſermones Megiſto à ſecretis Galateæ intrantibus obvia occupat aſſeverans principem ſuam ſpiritum tandem revocaſſe, & Beroëm paucis velle: forte ut excubiis impigre incumbatur, vel patrem epiſtola certiorem ægritudinis ſuæ faciat.

Succedunt ergo thalamo, & frequenti gemitu litant patronæ dolori, dum illa ad vultus Androgines neſcio quid inauſpicati cœlantes obmuteſcit. Ubi ceſſit primus ille anxiæ mentis turbo, rogavit quamobrem hanc puellam Soſtrata ad ſe intromiſiſſet. Et illa, Quæ mens eſt tam fera (optima princeps) quam puellæ iſtius fata non emolliant, quæ compendio tibi exponam. Patria huic eſt Liguria, quæ Apennini Alpiumque jugis, Rubicone & mari Thyrreno clauditur, hic emerſus Stygè infamis prædo, factioſorum qui regnis nunquam deſunt; audacia fretus inceſſit tyrannidem extinctis regni luminibus, è quibus hujus virginis pater nefarie ſublatus, amiſſus frater incredibilem patriæ luctum reliquerunt. Hæc vero Veſtæ conſecrata cum fratris amore has oras luſtraret, virginitatem ſuam à ſceleſtis oppugnatam, his tegi mœnibus poſtulavit. Ad ſingula princeps obtorpebat, & præter favorem in miſeros pronum, præſens quoque calamitas & periculum ſigna pietatis & jam enaſcentis amicitiæ argumenta elicuit,

dum

dum illa ſe azylum & perfugium deſolatarum virginum profeſſa eſt, quippe quæ fævientis fortunæ tela etiamnum experta ſit. At Soſtrata, quoniam, inquit, nunc ſatis compos mentis videris, alumna, fare, quæ in te Eumenides debacchatæ? Cui illa jam robuſtior, & inſomnii præſagio aucta, caſum & cauſam morbi ita recenſuit.

* Intra pomœrium jam dubia luce ſolicitum dolorem paſcebam, cum ſublatis oculis geminum par præferocium gladiatorum conſpicata ſum, qui ex ſiniſtro mœnium roſtro ſcalam deprimebant. Monſtro perterritæ novum ſe obtulit, larvatus alius ex inſidiis me invadit, totoque niſu, cæteris opem ferentibus ad muri faſtigium evehit adeo reluctantem, ut ſemel atque iterum à ſummo uſque deorſum, caſu cùm mihi, tum ipſis noxio una deferremur. Tandem fracti & latratu canum territi me exanimem deferentes ſuperando muro vix pares extitere. Interim deliquium animi paſſa ſum, & ſepultis ſenſibus præſago inſomnio acta. Videbar atrociori quam Dejanira Centauro abripi, Herculem vero meum, nunc clava ferocem comprimere, nuncejus furorem ſcite eludere, donec congreſſu ſæpius repetito, extorta ſagitta contumacis Centauri cruorem haurit. Simul his oculos in vultus Androgines defixos tenebat, eo quod cum Hercule Gallico ſuo vindice ſimilem vigorem luminum, totiuſque oris conformationem advertebat. Mox totus conſeſſus principi ſuæ fœliciter ominari, imprimis Androgine, quæ interpretandi ſomnii uni ex Veſtalibus hic aſtanti officioſo certamine locum ceſſit, maxime quod ejuſmodi vaticinia ad ſacras virgines Sibyllaſque pertinuiſſent. Et quanquam excuſatione ætatis uteretur, victa tamen humanitate dedit manus, & reſume vires, inſit, ô princeps, nec amplius Centauros aut ejuſmodi monſtra reformida: habebis enim, quantum conjicio, aliquem Herculem vir-

virtutis tuæ vindicem in ſomnis tibi præſignatum, monſtrorum, qualis fuit Thebanus Hercules, domitorem: ille te tanquam Dejaniram aut Heſionem furiis eximet. Nec plura locutâ nunciata ſacrificii hora confeſſum ſalutat, & ad Veſtæ aram ſe recipit, ſapientiæ illius collaudandæ locum nobis relinquens. Porro eæ dotes in ea elucebant ut mœſtas & infructuoſas horas Galatea duceret quibus Androginem ſuam à ſe abeſſe ſentiebat.

CAP. XVI.

Dum ludo hora teritur prædones ſimul irrumpunt, ſimul ab Androgine profligantur.

Ubi licuit hora ſacrorum exacta ludicro aliquo Galateæ languorem fallere, Megiſto remittendis puellæ animis aſſidua latrunculos cum alveolis profert, Lydos aſſerens annonæ gravitate preſſos his ludis levaſſe famen alternæ lucis. Nemo peritius Androgine latrunculos dirigebat in ordines, nunc equites circa Regem in quadrum, modo in orbem; tum turres in quincunceim, poſtea in laterculum, gradu recto, obliquo, ſubſultorio explicabat. Dumque exclamat, mihi palma, Teneo Regem, ſubito quaſi tonitru nube erumpente arx tota obſtrepuit: diruto enim cuniculis aggere ingens gladiatorum globus, qua patebat ruina, proruperat: ſed incerti prædones qui locus Regis ſillam caperet, triclinia, areas, conclavia perſcrutantur.

Forte manipulus in Galateæ thalamum per angiportum eruperat, jamque Anteſignanus limen obtinebat, cum Androgine mentiti ſexus immemor, neque ſecius quam gravi ſomno excitata furias bacchantium coërcet, cæteriſque virginibus latebras captantibus, ipſa facto impetu, prædoni amplexu ligato ferrum extorquet, primamque periculi procellam ſuperſtes hæc una ſuſtinet, attonita principe ſingulari forti-

tudinis miraculo, fidemque Deûm & hominum obteſtante.

Singulis prædonibus viciſſim in anguſtiis debellatis, Amazon indignatione periculi & Martio furore calens circumfert minaciter oculos obſerataque duplici oſtio Galatea de cubiculo ſe præcipitat, Deinde unius graſſatoris quem proſtraverat armis accincta, nunc ſingulos provocat, nunc tanquam ſuperbi tyranni ſervitia his dicteriis carpit. Quæ vos (imbelles) Erynnis ad muliebria bella ſtimulavit? non pudet tot ſtipendiorum milites in unam bellare virginem? at illi in eam unam arma convertere, nec iſta minus eſt obſtinata pugnæ; nam rem auſa plus habituram famæ quam fidei apud poſteros, flexum tumuli ſuperat, in quo ingens Platanus velut ad propugnaculum aſſurgebat, cui Amazon incumbens obverſas in ſe omnium cuſpides umbone non retudit modo, ſed quot tela peritâ librabat manu tot palmas demetebat, nec à ſtrage abſtinuit donec pene omnium internecione juſtæ iræ parentatum eſſet. Verumtamen ſuperſtes unus cum imparem ſe repugnando ſatis intelligeret, genibus Androgines advolutus, dextramque tangens victricis fidem ſic implorabat. O quæcunque es, divûm è proſapia edita, nam neque tibi vultus, neque virtus mortalis, tua eſt victoria, cedo manus & arma, tantum ne me reſiduum devove manibus; ſic tibi in terra lauream geminabis dum cœlo tertia maneat: auſa es facinus virtuti divinæ reſpondens, cujus frons, ſupercilium, oculi ſunt indices. Pudebat antea cum virgine congredi, jam liceat victricibus armis tuis fatum meum credere. Tum Androgine ſuſtollens ſupplicem bene ſperare jubet dum modo perverſi facinoris conſcios aperiat.

Interim Galatea quæ è ſpecula totius certaminis arbitra fuerat thalamo exiliens ad vindicis ſuæ collum advo-

advolat; doloris & lætitiæ antiperistasi fugatis morbi reliquiis quam te memorem ait? ecquis tuæ virtuti nomenclationem respondentem impertivit, Androgine? quis te Superûm ad præsidium nostrum accivit ô columen obsessæ principis? ecquid gratiæ tibi vindici meæ referam? Deos precor virtutis tuæ testes, ut quod nequeo meritum rependere, abunde tibi dent. Tum cæteræ puellæ metu posito latebris suis emergentes cingere latus Androgines, excipere plausibus, visa in sexu degenere monstra inter se mirari, nam quæ Penthesilea vel Thomyris fortior? quæ Atalanta, vel Hyppolite robustior aut bellicosior? ut scite eludebat ictus! ut perite gæsam torquebat! quam agiles puellæ motus! quod lateri robur! & rursum oculos in victricem retorquentes admirabundo silentio obtorpebant. Sed Androgine, faceſſat inanis stupor in puellæ victoria; palmas metere Liguribus etiam impuberibus mos est; hisque dum per imbellem ætatem de præmio non licet contendere, virorum virginumque non modo, sed & belluarum & colluctantium avium spectaculis assuescunt, nam cæterarum pene nationum certamina apud nostrates etiamnum vigent, Heraclea, Musea, Demetria: Gallinaceorum vero & Coturnicum solis impuberibus relinquuntur. Mitto agoni Pelleneo inducta præmia ut de ludis virginum id asseram; quotannis ad paludem Tritonidi sacram sic esse dimicatam ut & victa censeretur adultera & victrix curru sublimis reduceretur in patriam. Præterea cursu, palæstra, saltu, jaculatione non raro viris ipsis prænitui; unde mihi uni cum Pherenice jus erat olympia celebrandi. Pater non semel oleâ patriam coronavit; avi demum in Circensibus olympionici, per diruti muri ruinam ingressa, icones in foro meruere.

Interim miles interrogatus victricem dextram stringere osculis qui perorantem ita secutus est: Testor arma

ferrumque quod evaſi, nil me loquuturum quod à vero diſſentiat. Lycander factione ſua ferox, dudum ut ſcitis, in imperia conſpiravit, nullumque non movet lapidem, quo te regiam principem (ad Galateam vultus averterat) unicam Oræ Tranſalpinæ hæredem ad invitos Hymenæos pelliceret: at Rege teque imprimis reluctante raptum cogitavit conflata natione ex Ganeis, Ergaſtulis, proletariorum fæce: hic heſterna veſpera Philarcho ſtrenuo Laniſtæ mandavit per epiſtolam, ut paucis ſuccinctus gladiatoribus per incerta tenebrarum, in arcis murum irreperet, ſed haud ſcio quo fato tum illi emiſſarii non imperfecto modo negotio, verum etiam corpore attrito ad ducem ſuum redierunt. Non procedentibus dolis mittit ſervitia ad ſubvertendum murum cuniculo, dum ipſe ſubſidens cum modico comitatu ſpectaret exitum. Itaque aperto cuniculo murus ruinam trahit, irruimus cum diſcrimine. Sed ô præſides loci indigetes! pavidæ cervæ veſtigia prementium luporum impetum repreſſit leæna ferox & uno quaſi hauſtu tot venatores abſorbuit.

Androgine audita epiſtolæ mentione ad gladiatorum ducem exanimem tendit. Hoc erat argumentum. Nobis dudum inani ſpe deluſis ultimus lapis movendus eſt, Philarche, una enim in Galatea, fortuna noſtra poſita eſt. Spem tantam invium vallum retinet: ſed macte quâ polles virtute: poſſe virginem rapi nullo ſtipatam virili ſatellitio quis inficias ibit? eris prædæ particeps ſi periculi fueris. Inter opaca noctis ſuccede in arcem, ſiniſtrum muri latus aſcenſu ſupera, aſſumptis quatuor ad ſocietatem facinoris. Nam quis pavido imbellium virginum agmini obnitendo par eſſe non poſſit? indue quem mitto annulum mutuæ fidei teſſeram nec te degenerem proba dum fortuna ridet. Ad omnia verba Androgine cohorrebat, prehenſaque prædonis lævâ detraxit annulum, in quo velut in celebri

lebri nuce excidium Ilii, Sinonis dolos, Laviniæ raptum docta manus effinxerat cum adjecta gnome *Dolus an Virtus.*

Aucta tabellis & annulo Androgine auctor est servandi extra arcem militis propter piaculum, dum Galatea patri totius negotii indicium faceret; dimissoque ad eum altero Eunucho (nam alterum obnitentem grassatores telis oppressérant.) Androgine præmissis votis trophæum appendit arbori, deinde ablutis gelidâ vulneribus, curatoque corpore, Galateam Sostratamque extra omne sermonis arbitrium summovet: Herculem illa ubi agnovit, ô fata, exclamat, vos incusem an litem nobis? quid aliud mihi tot auspiciis & insomniis portenditis? exorata tandem Galatea ut hoc tanquam Eleusinum sacrum silentio tegeret vix cœpta luce in regiam quæ uno aut altero distabat millitari, per incerta viarum declinavit.

CAP. XVII.

Ad epistolam Galateæ obtorpente Rege Hercules regiam subit, suam operam Regi adversus Lycandrum offert, qui legatos mittit de fœderibus iciendis,

Rex interim epistolam filiæ ab Eunucho recepit, linoque revoluto totam tragœdiam hausit, uno stupens Androgines nomine; sed quibus in Lycandrum stimulis agitur? quibus excitatur odiis? quanta vindictæ cupidine exardescit? Jam equo insidebat Rex, cum Hercules in virili habitu genua ejus amplectitur, operam suam offert, eductum tamen se è purpurâ dissimulat; decus oris, & insitæ virtutis indices oculi Heroëm conciliant; cui Rex dexteram supplici porrigit, deinde beneficio singulari admittit ad osculum; tandem imperio Regis admotum equum conscendens Hercules præ cæteris emicabat, nunc flexis habenis in partem omnem indomitum versans,

Digitized by Google

nunc ad curſum admota virgula præcipitans. Præmiſſis peritiæ ſuæ præludiis à Regis latere vix ac ne vix quidem abſcedebat ſpecie officii variis colloquiis laborem itineris fallens. Rex præcipue ſacrum Lycandri nomen abominabatur; & oculos fulgurantes, ſupercilium horribilem in modum aſperum, & in antrum oculorum incumbens abhorrebat. Sed quoties Androgines memoria Regis animum novo ſtupore confundit, prope eſt ut Veſtam, cui operabantur in arce, ad opem Gnatæ delapſam putet.

Hæc dum fabulantur ad caſtrum appellunt, cujus ruina nondum obductam refricat pii patris cicatricem, noviſque ulceratum accendit odiis. Galatea audito equorum ſtrepitu in occurſum properat, & madentibus genis patris genibus advoluta, feſtinat queſtus ferales in prædonem expedire. Rex deterſis unicæ oculis, quibus poteſt lenociniis eam placat, nec omittit quærere ubi illa bellatrix Amazon, ubi Androgine? quam ubi effluxiſſe per noctem virgo retulit, hic magis aſſertus, ô beatam inquit Galateam quæ Deæ conſortio & præſidio dignata es. Nunc ergo priſtinæ ſortis oblitis ad aras properandum eſt, ſuperiſque litandum.

Lycander exploſa conſilia ſua audiens repetito fulmine atteritur, diſſimulatis tamen injuriis de iciendis fœderibus oratores Regi decernit, qui in graſſatores nocturnos ſcelus refundant. Hi à fucato Tyranni dolore legationem ita auſpicantur: Proregem tuum mirum quantum lancinant inſidiæ filiæ principi comparatæ, auguſtiſſime Rex, accenditque latronum contumacia, in quos terra marique, remis velis ut inveharis author eſt, ſuam offert operam, & pro virili acturus anchoram tollit: tantum orat & obſecrat ut cùm inſtantis tùm præteriti memor officii, filiam Hymenæo ſibi jungas, gratiorem fore neminem.

His

Digitized by Google

His legatione functis cogit Rex arctioris concilii cœtum, jamque annuebat fœderibus amore pacis, reluctabatur cum Galateâ Hercules, feralis irritamentum invidiæ. Miraris, inſit, potentiſſime Rex, hoſpitem jurare in leges patrias, ſed id eſt momentum legis, ut in eam impune ſi peccetur, ſummum imperium ſusque deque ruat. Quando legum ſeveritas major quam in perduelles, niſi legum immunes ſunt, qui ſuis artibus per fas & nefas evecti ſuprema potentiæ faſtigium æmulantur: quo quid iniquius poſt homines natos auditum eſt. Ergo filiam principem non modo non cedendam prædoni, ſed in iſtum perduellem judicii legibus animadvertendum cenſeo, comprimendumque aut pœnis, aut armis inſolentem audaciam. Sententiam Rex temperavit; nam ore placido dimittens oratores inuſto ſcelere Lycandrum exemit, retulitque filiam ſui eſſe juris, tempore opus eſſe quo ad optata fœdera inducatur.

Ubi Tyrannus legationis eventum hauſit, furias omnes in unum Herculem collegit, nec plura & atrociora in Alcmenæ filium Euriſteus monſtra comparabat: denique plus ſatis matura erant necis conſilia; deerat locus, vix enim Regis latere Hercules abſcedebat, ſed feralem tragœdiam captato tempore imprudenti ſic adornat. Ad ſcribenda militum ſupplementa, profecto ex aula Hercule, ſuas artes Lycander colligit, ut duplicato facinore incautum opprimat, adulterata quippe ejus ſyngraphe & manu fictas epiſtolas ad Regem mittit, quaſi ad ſe ab Hercule furtim reſcriptas, & Tyrannidem Regis damnantes. Legatus Ecelinus gratia Orgetorigis aucupata potentiam ſuis quæſitam lenociniis non ceſſabat in caput Herois exercere, leniſſimos quoſque ſuæ gentis falſis criminibus aſtruens, & impune mentiens populares ad defectionem ab Hercule eſſe impulſos; hunc omnia cædibus, ac incendiis,

niſi mature occurratur, abſque mora vaſtaturum, funditusque patriam everſurum: ſed & ipſas virgines, ac principes fœminarum ſtupra perpeſſas, corporum deflere ludibria; Regique author eſt ut in eum celeri equitum ala invehatur. Sic iſte incenſus recente clade ſociorum artibus ſuis tentat Herculem gladio Regis perimere.

CAP. XVIII.

Herculem Lycander quibus poteſt machinis opprimit, litteraſque adulteratas Regi profert, quaſi ab eo ſcriptas in Regem qui Philarchum mittit, hunc ut adducat & ſiſtat coram Rege. Sed apertis ſtatim fraudibus Tyrannus obſtupeſcit.

Minimi eſt Lycandro extorrem fieri Herculem à regia ni pereat, aut ſaltem à clauſtris Galliæ procul amandetur nuſquam rediturus, quatenus Lycander ipſe hæredem ſceptri præter ſe circunſpiciat neminem. Ciebat incendium Philarchus, & jam pene conceptas Regis iras nutrimentis alebat. imprimis ubi artifex doli porrecto ſupercilio, & horribilem in modum aſpero litteras alias ab amanuenſi rurſus adulteratas, & horrenda mendaciorum ſerie ſcatentes Regi iterum objicit: quaſi Orgetorigi Hercules moliretur necem, & Galateæ raptum. Tunc enim Rex plus juſto credens infidis quibus Eumenidum facibus non uritur? quo ſtudio & qua celeritate in reum inſontem jubet invehi? quot ex adverſo curæ Galateam cruciant, dum Philarchus ſuis conciliatam mendaciis gratiam detorquet in caput innoxium, dum urget inviſum Hymen, & lethifera labe quemque imbuit? O fata exclamabat illa, fata plus æquo aſpera! Quid tantum in Superos commiſimus? ſi deliqui, quid ictam fulmine cum Danaidum cœtu in orcum non truditis, potius quam ad violentas nuptias trahor? Cedam fato lubens. Regni ſacra libido ſiccine inſontem Polido-

rum

rum opprimis? ſiccine Sichæum de me optime meritum furiis ſævi Pygmalionis obruis, ut ſub Lycandri tyrannide anxios annos traham?

Interim coacta ex ſumma & infima plebe concione, quibus poterat philtris Lycander ad ſuas quemque partes pelliciebat, populares quidem promiſſis demulcens; quos vero generis claritas diſcutiebat à proletariis, evehens ad honores laudata eorum apud Orgetorigem fide; quos denique moles criminum arcebat ab aula vel regno, in gratiam recipiens, nulla Siren tot demulcebat illecebris, nulla Circe tot præſtigiis, aut carminibus faſcinabat. Sic itaque excompoſito peroravit. Tandem aliquando cives optimi, hominem furentem audacia, ſceptrum anhelantem, necem Regi impie molientem, vobis ferrum & extrema omnia minitantem, extra cleuſtra imperii extorrem fecimus. Nulla jam nobis pernicies ab iſto patriæ buſto comparabitur; ſi regia domus iſta informaretur aliquo ſenſu, quantis geſtiret tripudiis? faxint Dii, voſque pro virili agite ut inter latera noſtra ſica illa nunquam verſetur.

Jam matura erant in inſontis perniciem infeſta conſilia, & fatum cujus vix inevitabilis erat ſors, appetebat. Nam coacta levis armaturæ manu, tanta celeritate Philarchus inſtitit: ut imprudentem & imparatum ad pugnam Heroëm in Camilli prædio obſideret. Ubi ab militum globo fores peſſulatim arietante, Hercules quæſitum ſe ad mortem intelligit, quid agitet vir ad gloriam, ad imperia natus? ſolum vertet, & in ſuperium ſe recipiet ſuum imperfecto negotio? at ſocordiam hanc virtus innata redarguit. Deſiſtet ab amore Galateæ? virgo Lycandri patebit furori. Vim vi propulſabit? impar eſt obluctando tam valido agmini. In illo inquietæ mentis æſtu ad Camillum converſus penetrabo, inſit, extra Solem & Sydera, & eas plagas

Digitized by Google

adire contendam, quas mortalium oculis natura ſubduxit, dum feros animos Rex poſuerit.

Cenſebant alii vim vi repulſandam; ſed Camillus in lubrico nil movendi author eſt, & tutius creditum, Regis iræ ſe credere. Non ergo multo ſanguine Philarcho victoria ſtetit, quo duce Hercules ibat, qui totum iter equorum pernicitate mox remenſus, ubi regiam ingreſſus eſt Regis Orgitorigis pedibus advolvitur, &, auguſtiſſime, culpam, inſit, excuſatione prætextam nolo; ſi crimen eſt, pœnam non deprecor; ſin admiſſum ſcelus nullum; tantum fortunæ ludibrium immeritus luo. Mox Galatea & aula tota tacitis ſtudiis favere reduci, aperire tyrannorum fraudes, innocentem animum Herculis detegere, dum Philarchus hærebat ſtuporem inter & pudorem, quem Rex intuens intortis vultibus, ergone ſecundis rebus diu inſanies? quæ te Tyſiphone ad inurendam inſonti labem accendit? perquam læti pene omnes fuere, Regis iram recidiſſe in hoc Regiæ purgamentum quod Orgetorigis aures falſis criminibus occupabat, jactabantque palam, potentiam nullam, quæſitam ſcelere, cuiquam eſſe poſſe diuturnam: at Galatea, ne Dii ſiverint, inquit, tanta ut honorum moles incumbat in Lycandri tam impares humeros. Interim Lycander alta diſſimulatione premebat conſilia, quæ longa dies fatis ſuperque recoxit. Tum Andronicus œſtro poëtico percitus in hoc carmen erupit.

Ergone ſacrilegi fiet Galatea Tyranni?
Ergone lugebit trucibus data præda moloſſis?
Quid? novus Enceladon congeſtis montibus axem
Exuperat, jam jam ſuperos truſurus in orcum?
Nec tonat, aut trepidus rapidis quatit aëra flammis,
Primaque non torquet ſudantia ſanguine tela
Aſtripotens, dum nulla Diis altaria fumant?
Virtus nulla ſuper? Divina ne membra reliquit

San-

Digitized by Google

Sanguis, & in rupto palleſcent Sydera Cœlo?
Heu furor! ô funeſta lues! ô dira libido,
Imperiique fames! veſano vana furori
Pone modum: regnet placidas Aſtræa per urbes.

CAP. XIX.

Fontem relinquentes in ſylva umbram dum quærunt, oportunum reliquæ narrationi locum illa obtulit, & primum quidem Andronicus in calumniam invehitur.

Interim ex ora fontis receſſerant, & intentiore jam calore Solis, ad ſubjectam hortis ſylvam quæſituri umbram, acceſſerant. Nam ſylva erat in conſpectu grandibus in clivis aſſurgens, tamque denſis & patulis opaca arboribus, ut ſacrum horrorem vel irreligioſis mentibus impertiſſet. In hujus autem ſylvæ ornatu natura ſic luſerat, artem ut omnem præverſura ex arboribus invicem ramos miſcentibus compluvia exurgerent, quorum ope lætiſſimum nemus obambulari ingenti cum voluptate poſſet. Itaque Malacophilus ad amœnum ſaltum ſocios invitans, ipſe quoque aſſumpta lyra avicularum concentum provocabat: porro carmen hoc ſcholare cecinit.

Jam ſat eſt mentis recreaſſe curſu
Menſtruo: ludis ſatis eſt vacatum;
Sat diu clauſit, ſocii ſcholares
Arca libellos.

Gaudet alternis ſacra Muſa Pindi:
Improbo torpent animi labore:
Mentis & vires petulans voluptas
Frangit inertes.

Palladis gnavi repetamus artes:
Jam novem nobis aderunt ſorores:
Et ſuos lætus reduces alumnos
Ridet Apollo.

Favit

Favit Theopompus lepido carmini, & converſus ad Andronicum; quid, ait, vetat quin incœptam narrationem ad exitum traducas? Nemus, umbra, concentus lyræ & avium, cuncta tibi dicenti favent; Perge Andronice noſter, placet enim tale argumentum. Tum ille narrationis ſuæ filum eadem Minerva retexens ita perrexit.

Ambitio ad hanc inſolentiæ metam non ſiſtitur ſemper; verum in calumniam non raro progreditur. Nam inter eas peſtes quæ in aulis, rebuſque publicis ſolent graſſari, adeo familiaris eſt calumnia, ut ibi regnare, & tanquam in ſolio jura legeſque dicere, & quemlibet ad arbitrium plectere audeat. Enimvero quid tam integrum quod veneno ſuo non occidat? quid tam ſanctum quod non premat? quid tam ſanum quod peſtifero halitu ſuo non afflet? quid tam æquum quod maligno dente non corrodat? quid tam purum quod non contaminet illa acerrima libidinum adminiſtra, omni Draçone funeſtior, omni Hydra peſtilentior, omni Cerbero horribilior, dum inſontium actibus malitioſe oblatrat, dum partus virtutis iniqua eſt interpres, dum inventa opponit crimina, dum impune obtrectat, & præmium virtutis juſtam gloriam multo partam labore dilaniat, dum famam ſuggillat, & conceptam exiſtimationem opprimit? Ecquid ergo mirum ſi calumniatores è repub. extrudendos Graji repetita quotannis lege decernunt? quid enim humanæ ſocietati perniciosius? pacem perturbat, & vinculum illud quo natura mortales conjunxit, factioſa dirimit. Alii calumniatorum frontem ſtigmate, perpetuaque infamiæ nota inurunt: hos alii gravioribus pœnis coërcent: alii igne & aqua interdictos voluere. Actum eſt ſcilicet de rebus humanis ſi in aliorum moribus mendacium tantum poteſt; neque ullus inſons adeo fœlix eſt, ut diligentiæ fingentium omnia

par

par esse possit. Est enim calumnia reipub. pestis, patriæ bustum, juventutis lues, vitiorum seminarium, pacis hostis, bellorum sequestra, quæ destruxit urbes, populosque disjunxit in societatem vitæ coactos. Acuta sica acutior est calumnia; malum est quo non ullum deterius, monstrum quo non tætrius fingi potest. Hanc pictor nuper sui periculi memor genuinis lineamentis ita adumbravit cum subjecto ad oram carmine.

Hæc formam, cultumque Deæ, sed vultibus ardens
Irarum rabiem lumine, fronte gerit:
Lævaque succensas stimulis agitata furoris,
Atque odii præfert, invidiaque faces.
At puerum fera dextra rapit, torpetque capillo
Dum geminas supplex tendit ad astra manus.
Scilicet infami famam laniare piorum
Ore solet, mores dente furente premens.

Ad dextrum latus hujusce monstri omni Eumenide terribilioris sedebat nescio quis prælongis auribus insignis, propemodum quales Mydæ fuere. Circumstant mulieres duæ, Ignorantia, ni fallor, atque Suspicio. Vir anteit pallidi ac deformis oris, torvo lumine, & tabentibus membris, qualis denique livor est. Alia mulier lugubri habitu, ac veste lacera pone legit Deæ vestigia; credo ipsa est Pœnitentia, quæ versa in tergum facie cum lachrymis & pudore, adventantem veritatem intueatur. Sed Phœdram & Stenobæam duas mulieres quis non putet? At his omissis ad Galateam revertor, quæ quamvis calumniæ stimulis appetita, minime victa, & stuporem augebit & vitii tam atrocis horrorem insinuabit.

CAP.

CAP. XX.

Cum audiſſet Lycander quæ Hercules in arce ſub habitu Androgines geſſerat, cœpit Galateæ detrahere apud patrem, qui cum vel invitus filiam capite plecteret, injectamque calumniam Lycander ferro tueri pararet, ab ignoto appetitus, & victus eſt.

Pergitque Lycandro quem Regni magis quam Galateæ amore incenſum modo audiviſtis, huic inquam Lycandro nondum deſperanti viſum eſt ſi Soſtratam alumnam Galateæ, præpotentemque venalem emercaretur, facilem de Virgine fore victoriam. Cocirca thecam horarum indicem mira arte concinnatam ad eam miſit cum omnibus ſingularis benevolentiæ argumentis.

Soſtrata pretioſo perſtricta fulgure Memnonis inſtar vocalem ſonum edidit, ſiquidem illa de Hercule ſub Androgines habitu victore multa apud Lycandrum differuit. Moxque ambo virginem occultis dolis circumvenire; & linguas procaces in inſontem armare, famam illius apud Regem proſcribere ſubditis atrocibus & occultis notis: maxime vero quod ſub Androgines nomine ſexu mentito Galatea, tanquam Omphalæ Hercules illuſiſſet: ſubdebatque æquiſſimi principis eſſe omiſſo paterno nomine ex legum ſeveritate in illam animadvertere. Si ſecus feciſſet, fore ut læſa numinum majeſtas cives propediem armet in Regis caput qui ferre in principe virgine non debeant quod in privato cive nemo toleret.

Rex hoc attritus quaſi fulmine, nunc dolori, nunc furori copiam faciebat; tandem regno conſulens legum ſeveritate in filiam utendi, Herculem vero caute ſubmovendi conſilium iniit. Lycandri impiis votis fortuna favit in ipſis incœpti negotii principiis: ſic enim anſa anſam ſubminiſtravit. Barbaris regni fines depopulantibus Hercules laborum conſummando-

rum

Digitized by Google

rum materiem quærens ſponte ſe ſuamque operam obtulit Regi qui Heroëm gladio legum ferire recuſaverat, ut cum aliqua Veteranorum manu hoſtium impetus propulſaret eoſque in ſuæ Germaniæ paludes retorqueret, ajebat enim ſe ad Tyrannorum necem & purgationem orbis eſſe natum. Neque officium princeps recuſavit.

Hercule ad Martem expedito Lycander armatus perfidia ad dolos ſe accinxit ſtimulos addente Soſtrata doli artifice, quæ indomitum alumnæ animum omnibus perverſi ingenii ſui machinis oppugnabat, ſolitis lenociniis in amorem Tyranni eam pelliciens, ſeu mortis inſtantis terroribus eandem urgens.

Lugebat in arce fatum ſuum virgo princeps maxime quod perfidia Soſtrata nullos ad Herculem tabellarios, nullius viri acceſſum ad eam ferebat. Urgebat aliunde Regem Tyrannus, & crimen inuſtum filiæ ſoloque ejuſdem cruore eluendum indefeſſis minis objiciebat, dum Rex omnem ſalutis viam emoliebatur. Sed novi motus imbellem ſenis animum terrent; quid autem non poteſt factioſa contumacia fota clientelis, à Tyrannis concitata? Rex veritus ne multitudinem Tyrannus novis religionis ſtimulis extolleret, hoſteſque Amilcaribus copiis communiret, legi ſervire maluit quam lugere abſumptum regnum civili incendio. Hæc autem erat Lex: Virgo ſeu mulier ſi adulterio deprehenſa ſiet, ſupplicio capitis noxæ eluuntur, qui ſcelus evulgarint, cataphracti in Catadromico foro certamini ſingulari ſubmittuntor; ſi cadunt in palæſtra, virginis vel mulieris innocentiam Rex, Proceres, Plebs tuuntor, neque cuiquam deprecandi fatum niſi armis jus eſto.

Jam matura erant conſilia in inſontis Galateæ perniciem, & illuxerat dies, qui virginis pene noviſſimus erat. Nulla ſpes ſuper in Hercule, quam à trimeſtri miſe-

miſerabilis opperitur; ſententiam tamen capitis quam deprecari non licet, qua poteſt arte infœlix virgo prorogat, donec dato mortis ſigno feralis tubæ cantu ex Veſtalium penetralibus atque ipſis aris & focis avellitur. Jamque tumulum ſuperabat in ſcenæ modum aſſurgentem, ex quo funeſta urbi & orbi cataſtrophe Galatea tragœdiam miſerabiliter erat clauſura. Juxta Lycander cataphractus bellatore inſidebat equo, excepturus eos qui Catadromici certaminis aditum oppugnarent, quam pugnam nemo non detrectabat. Ferale ſpectaculum, hinc horrorem, dolorem inde ciebat, jam lugubre ferrum à lictore exerebatur, jam candidæ cervici vittatæ hoſtiæ ſecuris imminebat: extemplo pallere omnes una Galatea impavida, quæ impetrata fandi venia ſic tandem peroravit. Occidiſti Galatea, occidiſti & innocens. Vere flos ætas noſtra, in ipſo vere demetendus; certo venientes ordine Parcæ inſignes ſortiuntur & imos, ipſaque lilia ſentibus æquant. O vere vita bulla & fabula! bullâ quid levius & brevius, fabulâ quid inanius? hic ſuam quiſque perſonam agit, ſed Ephemericam & velo ducto evaneſcentem. Fui, nunc medio ætatis ſpatio demetor. Non me clepo morti etſi mea mens nullius conſcia labis abhorreat ab infami ferro, proſcriptæque famæ diſpendium non ferat, at meo ſaltem cruore inuſtam labem delebo. Juventa media rapti protrudimur; momento pandimur, momento claudimur, momento tollimur, momento labimur. His Galateæ verbis noviſſimis dolore ſuo nemo non parentabat, dum Rex in thalamis altum promens corde dolorem; hæc apud ſe; eo demum ventum eſt, dire Lycander, ut votis tuis exitus feralis reſponderet: erat mihi unica hæres, unum fatiſcentis jam ætatis delicium, tu paterno avellis ſinu, tu ad mortem infamem abducis: hoc deerat ærumnarum mearum cumulo, ut earum quoque author

die alle Jahre Früchte bringen, und ihr Laub verwelket nicht, und was sie machen, das gerathet wohl. Nicht also die Gottlosen, sondern wie die Spreu, die der Wind verstreuet. Darum bestehen die Gottlosen nicht im Gerichte, noch die Sünder in der Gemeine der Gerechten. Denn der HERR kennet den Weg der Gerechten, aber der Gottlosen Weg vergehet.

Warum toben die Heiden, und die Leute reden vergeblich? Die Könige im Lande lehnen sich auf, und die Herren rathschlagen mit einander wider den HERRN und wider seinen Gesalbten. Lasset uns zerreissen ihre Bande, und von uns werfen ihre Seile. Der im Himmel wohnet, lachet ihrer, und der HERR spottet ihrer. Er wird dereinst mit ihnen reden in seinem Zorn, und mit seinem Grimm wird er sie schrecken. Ich aber habe meinen König eingesetzet auf meinem heiligen Berge Zion, dass ich predige, dass der HERR zu mir gesagt hat: Du bist mein Sohn, heute habe ich dich gezeuget. Bitte mich, so will ich dir die Heiden zum Erbe geben, und der Welt Ende zum Eigenthum. Du wirst sie mit eisernem Scepter zerschmeissen, wie ein Töpfergefäss wirst du sie zerschlagen. Nun lernet, ihr Könige, lasset euch weisen, ihr Richter auf Erden. Dienet dem HERRN mit Furcht, und freuet euch mit Zittern. Küsset den Sohn, dass er nicht zürne, und ihr umkommet auf dem Wege, wenn sein Zorn bald anbrennet. Wohl allen denen, die auf ihn trauen.

Warum toben die Heiden, und die Leute reden vergeblich? Die Könige im Lande lehnen sich auf, und die Herren rathschlagen mit einander wider den HERRN und wider seinen Gesalbten. Lasset uns zerreissen ihre Bande, und von uns werfen ihre Seile. Der im Himmel wohnet, lachet ihrer, und der HERR spottet ihrer. Er wird dereinst mit ihnen reden in seinem Zorn, und mit seinem Grimm wird er sie schrecken. Ich aber habe meinen König eingesetzet auf meinem heiligen Berge Zion, dass ich predige, dass der HERR zu mir gesagt hat: Du bist mein Sohn, heute habe ich dich gezeuget. Bitte mich, so will ich dir die Heiden zum Erbe geben, und der Welt Ende zum Eigenthum. Du wirst sie mit eisernem Scepter zerschmeissen, wie ein Töpfergefäss wirst du sie zerschlagen. Nun lernet, ihr Könige, lasset euch weisen, ihr Richter auf Erden. Dienet dem HERRN mit Furcht, und freuet euch mit Zittern. Küsset den Sohn, dass er nicht zürne, und ihr umkommet auf dem Wege, wenn sein Zorn bald anbrennet. Wohl allen denen, die auf ihn trauen.

and the Ascension of Christ, which is the Subject of the Picture, is represented in the Clouds, and the Apostles are standing on the Ground, looking up to him. The Figures are all Whole-length, and as large as the Life. The Colouring is very fine, and the Draperies are disposed in a Manner that shews the Figures to great Advantage. The Picture is in the Possession of Mr. Hamilton, Brother to the Duke of Hamilton, who bought it at Rome, and brought it into England.

The Picture of the Virgin and Child, with St. Joseph, is by Raphael, and is in the Possession of Mr. Hamilton, who bought it at Rome, and brought it into England. The Virgin is sitting on the Ground, with the Child in her Lap, and St. Joseph is standing behind her. The Figures are all Whole-length, and as large as the Life. The Colouring is very fine, and the Draperies are disposed in a Manner that shews the Figures to great Advantage. The Picture is in the Possession of Mr. Hamilton, Brother to the Duke of Hamilton, who bought it at Rome, and brought it into England.

Qui fodit altas innocuis ſcrobes
Incautus in foſſam ipſe ſuam ruit,
Et verticem in ſævum recurret
Pernicies, recidentque fraudes.

CAP. XXI.

Dum Hercules redit, duplici victoria inſignem Galateæ notat: dumque vindicem agnoſcit ſuum Rex tradit Herculi.

HAud ita multo poſt rumor per aulam increbuit Herculem Gallicum hoſtium trophæis onuſtum adventare. Ad hoc nuntium Rex, filiaque obviam procedere, ſtringere victoris artus gratiſſimo complexu, & tum nutibus oculorum, tum gratulabundis vocibus litare victoriæ. Sed quis Herculis ſenſus fuit in conſpectu Galatæ? quæ Galateæ mens in occurſu Herculis, ut memoria præteriti diſcriminis obductum vulnus refricat: quandiu mi Hercules Galateam tuam immanis Polyphemi furori objectam paſſus es? ſed tandem fugata ac profligata jacet furioſa Stymphalis, ignoti Herculis clava cecidit Hydræ peſtiferæ princeps caput, periit Tyrannus fato quod ſæpe meruit, lictoris manu. Gaudioque geſtiens cœpit infamem Lycandri exitum recenſere. Mox oculis ad gladii capulum, & annulum Herculis Gallici converſis quaſi ad Palladis Ægidem ſubito inhorruit. Et quæ monſtra infit, unde illa de Lycandro trophæa? num Herculem pudicitiæ meæ meique capitis vindicem aſpicio? quis Superum iſtis te auxit leonis pluſquam Nemæi ſpoliis Hercules invicte: hic ſubridens, auxere, mea Galatea, auxere Herculem tuum tui vindices Dii, non trophæo modo, ſed & victoria: dextramque attollens, hæc eſt innocentiæ & ſalutis tuæ victrix manus, quam in inviſum Cœlo & Solo caput numen armavit. Tum illa, machæram annulumque rapiens & motu pene incompoſito ad patrem convolans, noſti,

Pater, ait hoc ſpolium? Rex ad monſtrum attonitus ad capulum enſis quem Meduſæ caput terminabat, quaſi ad veram Gorgonem Atlantis more obriguit, donec mutata ſtupore verba ſic reſolvit. Quis Perſeo ſpolium rapuit, quis arma Tyranno? agnoſco, enſis eſt ſacrilegus quo inſontis filiæ oppugnata eſt pudicita. Ab enſe deinde ad annulum oculum deflectens, en ſubjicit, en toties violatæ amicitiæ, fœderiſque toties icti ſymbolum, en gemma arculæ meæ pretioſiſſima, qua ſtruthionem iſtum Lycandrum ſtudui demereri: agnoſco gemmam quæ inſtar celebratæ nucis concluſam habet malorum Iliadem, ergone Lycander Herculem his muneribus ſibi conciliavit? Nec mora vindicem virgo educens, hæc eſt, inquit, ultrix ſcelerum dextra, qua factioſorum columen proſtratum eſt; jam ſecura vivo, calumniâ triumphatâ: jam in tuto ſunt imperia: jam membra ſine capite diſcordiâ trepidant: una poſt Deos immortales Herculis virtuti rependenda laus eſt, fortudinis juſtum præmium. Mox Orgetorix libare Diis, Tyranni veſaniam elevare, virtutem commendare victoris, quem repetito ligans amplexu, tune ergo ait mihi vitam reſtituiſti? ô bene oblatam Deorum æquitate, clementia virtutem tuam eo temporis momento ex quo reliqua ætatis momenta pendebant: tua jam fruere laurea, præmioque virtutis: tua eſt Galatea, mi Hercules, cæſo Polyphemo Aci felicior es futurus: tuum eſto imperium, totaque fortuna imperii. Sed quid nos in vindice noſtro tandiu fluctuare voluiſti? & Hercules, optimum beneficium eſt quod reciproco non dico penſavi, ſed ne cupit quidem agnoſci, ne mercenarii loco vindex habeatur. Tum Orgetorix ad externam victoriam deflectere; & Hercules prolixa ſermonum ambage ſimiles motus in Cisrhenana plaga graſſantes & hoſtili ſanguine extinctos recenſere, poſtea inſtructam urbem & ſuo nomine appella-

pellatam & Portum in Liguſtico mari ex quo repurgata tyrannis tota hac ora ſolverat. Cui Rex quandoquidem ergo cecidere monſtra, laborum tuorum author jam fruere victoria, rerum ſummam obtine, & Herculem ubique te proba. Ergo Hercules parta laboribus ſpe potitur, & candidis victimis Deo litat.

Nemo fuit qui talibus narratiunculis non delectaretur quamvis ſine verborum pompa. Etenim jucundiſſime parva magnis, faceta gravibus, læta funeſtis Andron. temperabat, multoque plura parabat, niſi quarundam larvarum urbem his genialibus diebus obeuntium, & obſtrepentium ad limen inconditum & importunum murmur familiare colloquium diremiſſet.

ARCHOMBROTI ET THEOPOMPI
SIVE
TERTIÆ PARTIS
ARGENIDIS
DE
EDUCATIONE PRINCIPIS
LIBER QUARTUS.

CAPUT I.

ARGUMENTUM.

De quibusdam Meteoris ubi actum est, prudentia singularis facinora in adolescente principe Theander commemorat; verum Sodalium adventus inchoatos sermones intervertit, atque distulit.

IAM grandior adolescentia Theopompi, & pene in maturam virilitatem declinans abhorrebat à puerorum consortio, nilque jam nisi sublime & regium animo ille revolvebat. Pudebat interim regiam mentem à quovis seu virtute, seu sapientiæ laude superari. Hinc non cessabat præceptorem suum Theandrum, capta ubivis ansa sciscitandi, de omnibus percontari. Et nunc quidem in rusticis arcis apes cum alvearibus dum ante oculos habet de Mellis confectione Theandrum suum interrogat: & ille; mel inquit ex humido ac subtili vapore generari; cum admixta est humiditas aëris ob nocturnæ frigiditatis temperiem. Agente vero calore viscosa illa humiditas fluit, quam deinde apes à frondibus, floribus, herbis nostro commodo emendicant. Si calor intentior, agens in rorem, humidum destruat, manna-

Aufgabe 1.1.1 (Mengenoperationen). Es seien A, B und C Mengen. Zeigen Sie:

(a) $A \cap (B \cup C) = (A \cap B) \cup (A \cap C)$ (Distributivgesetz),

(b) $A \setminus (B \cup C) = (A \setminus B) \cap (A \setminus C)$ (de Morgansche Regel),

(c) $A \setminus (B \cap C) = (A \setminus B) \cup (A \setminus C)$ (de Morgansche Regel).

Lösung. (a) Wir zeigen zunächst $A \cap (B \cup C) \subseteq (A \cap B) \cup (A \cap C)$. Sei dazu $x \in A \cap (B \cup C)$. Dann gilt $x \in A$ und $x \in B \cup C$, also $x \in B$ oder $x \in C$. Im Fall $x \in B$ folgt $x \in A \cap B$, im Fall $x \in C$ folgt $x \in A \cap C$. In beiden Fällen ist $x \in (A \cap B) \cup (A \cap C)$.

Umgekehrt sei $x \in (A \cap B) \cup (A \cap C)$. Dann ist $x \in A \cap B$ oder $x \in A \cap C$, also $x \in A$ und $x \in B$ oder $x \in C$. Somit $x \in A$ und $x \in B \cup C$, d. h. $x \in A \cap (B \cup C)$.

(b) Sei $x \in A \setminus (B \cup C)$. Dann ist $x \in A$ und $x \notin B \cup C$, also $x \notin B$ und $x \notin C$. Somit $x \in A \setminus B$ und $x \in A \setminus C$, d. h. $x \in (A \setminus B) \cap (A \setminus C)$.

Umgekehrt sei $x \in (A \setminus B) \cap (A \setminus C)$. Dann ist $x \in A$, $x \notin B$ und $x \notin C$, also $x \in A$ und $x \notin B \cup C$, d. h. $x \in A \setminus (B \cup C)$.

(c) Sei $x \in A \setminus (B \cap C)$. Dann ist $x \in A$ und $x \notin B \cap C$, also $x \notin B$ oder $x \notin C$. Im Fall $x \notin B$ folgt $x \in A \setminus B$, im Fall $x \notin C$ folgt $x \in A \setminus C$. In beiden Fällen ist $x \in (A \setminus B) \cup (A \setminus C)$.

Umgekehrt sei $x \in (A \setminus B) \cup (A \setminus C)$. Dann ist $x \in A \setminus B$ oder $x \in A \setminus C$, also $x \in A$ und $x \notin B$ oder $x \notin C$. Somit $x \in A$ und $x \notin B \cap C$, d. h. $x \in A \setminus (B \cap C)$.

cuſans, quod homo barbarus repertam à ſe crumenam aureis nummis ſcatentem non modo ſurripere vellet; verum etiam multo plures nummos quam invenerat, ingratiis extorqueret. Rex inexpertæ pubertatis annos primos tunc temporis non ſatis attigerat; armatum ſatellitium nihilominus ſiſtere jubet, & hominem ruſticum una cum aulico ad ſe adduci. Hic imperterrita fronte cauſam dicere: ille Regis æquitatem invocare cum fletu innocentiæ ſuæ obſide. Princeps ad imperia natus crumenam poſtulat, ſciſcitaturque quantum nummorum crumena inventa recluſiſſet: & agreſtis quidem omnino quadraginta à ſe receptos: aulicus vero plures exigebat. Totidem Rex ab uno è purpuratis ſibi officioſo miniſterio adhærentibus poſtulavit. Hic quadraginta nummos totos Regi ſuo numerare: neque plures potuit crumenta iſta continere. Tum Rex prudenti judicio nummos cum crumenta in agreſtem hominem tranſcripſit, & aulicum ſatis increpitum alterius ſummæ æmulo donandæ deinde mulctavit.

Placuit plurimum Theopompo ea in pubeſcentibus annis principis non vulgaris prudentia; paremque cæteris Regibus ſapientiam cum voto optavit. Pluraque parabat præceptor amantiſſimus & de Macedone nonnulla orſus erat gratiſſima principi, qui ætatis ſuæ heroicos actus in iſto ætatis flore tota mente amplectebatur, cum Andronicus una cum Ariſtone & Malacophilo ſupervenit, & ſermones inchoatos intervertit. Dilatis ergo ſermonibus iſtis juvenes clariſſimi à Theopompo liberaliſſime excepti ſunt: moxque propoſitum quibus ludicris veſpera ageretur. Andronico omnem aleæ ludum proſcribente tabellas produxit Ariſto, quæ non modo Heroum præclara facinora edocerent; verum etiam ſitum locorum, mores populorum, orbis miracula oculis objicerent. Hoc igitur ludo

ludo non inutili quod ſuperfuit lucis tranſactum eſt, donec dubia lux ludo, & colloquiis finem attulit.

CAP. II.

Theander exemplo Heroum docet Theopompum ſuum adoleſcenti principi vel minimam vitii ſuſpicionem eſſe fugiendam, & pudicitiæ ſervandæ modum exponit.

Vix poſtera dies illuxerat cum Theopompus non deſtitit. quin prælibatum de Juniore Macedone ſermonem Theander proſequeretur. Neque diſplicuit Theandro ille ardor, impetuſque juvenilis: ſed tunc incœptum pridie hujuſce lucis ſermonem ita reſumpſit. Ex ipſis adoleſcentiæ annis futuræ virtutis, vel pravæ indolis, frugalitatis vel intemperantiæ, ſtoliditatis aut prudentiæ omen licet accipere: & hercle in Macedone hujuſce veritatis teſtimonium reperire eſt, qui quidem adhuc puer ſolebat conqueri poſt paternas victorias nihil ſibi reliquum fore, quo nominis ſui famam æternitati commendaret. Quid memorem illius animum cupidiſſimum bonarum artium quæ regiam ſobolem deceant? aut quid aſſiduum in equis domitandis laborem? nam cum pater illius equum indomitum auro multo emercatus eſſet; neque quiſquam fræni & ſeſſoris impatientem domare, & ne quidem tangere uſquam auderet, qualem, inſit, equum illorum imperitia & mollities perdit: tantum vos mihi me ſinite, ſimul omnes juſſit abſcedere. Verum pater illius ſeu filio timens, ſeu in temeritatem inexpertæ pueritiæ indignatus cœpit intemperantis adoleſcentis faſtum incuſare: & ſcilicet, inquit, ſeſſores peritos equum regere edoceas? at certe, retulit puer, hunc equum peritius, ſi ejus copia mihi fuerit, nunc ego tractaverim. Ita ex patris venia ſenſim accedens puer habenis apprehenſum equum in conſpicuum So-

lem ſiſtit; nam hunc umbra ſua territum prius adverterat: & ſenſim voce ac manu permulcet, dum conceptas pectore iras, & naribus collectum ignem videt remiſiſſe, ac dejecta demum chlamyde ſecurus in equum emicat & ſcientiſſime verſans in omnem partem ubi tumentes ſpiritus videt poſuiſſe, effuſis habenis in curſum admittit. Gravem ea res primum parenti metum incuſſit, qui filii periculum nonmodo ſubvereri videbatur; ſed etiam videbat præſentiſſimum. Puer autem cum fortiter feciſſet, jamque re bene geſta regrederetur profuſis purpuratorum plauſibus acceptus eſt. At parens deſilientem equo filium inter tenerrimas ſinceriſſimi amoris lachrymas exoſculatus vixque ſui compos ex gaudio, aliud, inquit, tibi procurandum eſt imperium, fili, ſiquidem tantum animum una Macedonia capere non valet. Jam vero quid de profuſiſſimis ejus largitionibus dicam? paternis autem opibus diviſis quærenti aulico ſibi familiari, quid ſibi reliquum fore putaret; ſpem unam extemplo reſpondit. Celebrabo fortitudinem? ipſe cum aliquando Helleſpontum trajeciſſet, & in Achillis tumulum oculos conjeciſſet, in lachrymas abiit, memoria repetens quod Heros iſte poëtarum principem rerum ab ſe geſtarum præconem habuiſſet. An continentiam prædicabo? juvenis qui glorioſiorem victoriam in cœrcendis libidinibus, quam in externis hoſtibus ſuperandis eſſe ratus illicitam Venerem tam procul à ſe removit, ut virgines captivas, aut matronas nobiliſſimas ne in conſpectum quidem admitti voluerit, joco dictitans talem ſexum oculos intuentium faſcinare. Hæc ambulando dum refert, obſtupuit Theopompus ad virtutem tam inſolitam, & vix ipſe potuit à lachrymis ſibi temperare: habuit poſthac in tam generoſa adoleſcentia quid poſſet æmulari. Sed in primis accendebatur amore virtutis & continentiæ ad tam præclara mode-

ratio-

rationis, & ſapientiæ ſingularis exempla. Capta autem inde adhortandi juvenis, & inſinuandæ virtutis occaſione Theander hæc addidit: Pudicitiæ ſatis non eſt pudicum eſſe animum, & ab omni obſcænitate abhorrentem, niſi impudicitiæ fama fugiatur. Adverſus omnes illecebras, atque omnia delinimenta muliebris ingenii eſt veluti Solum ac Firmamentum in nullam incidiſſe fabulam: hinc fugiendum tanquam à Lamiis maxime adoleſcentibus, ſiquidem naufragium eſt ſaltem famæ ad januas meretricum allidi: nam & invenies non paucas civitates Famæ tanquam Deæ maximæ aram dedicaſſe: noverant ſcilicet primum ad turpitudinem gradum eſſe famam contemnere: ab adoleſcentioribus autem vel minima ſuſpicionis umbra debet abeſſe, quæ in principibus viris grande flagitium eſſe poſſit, cum ad exemplum principis totus orbis convertatur; quia primum in unoquoque genere eſt menſura regulaque cæterorum, & facilius eſt naturam errare, quam principem formare rempub. diſſimilem ſui. Tenera res eſt fama pudicitiæ, quæ ut flos pulcherrimus cito ad levem marceſcit auram, levique flatu corrumpitur, maxime ubi ætas conſentit ad vitium. Atque hinc junior Macedo virgines principes & matronas clariſſimas bello captas ad conſpectum recuſavit admittere, ut ne quidem in ſiniſtram ſuſpiconem poſſet vocari.

Dum magis atque magis uritur princeps amore pudicitiæ quærit qua potiſſimum ratione poſſit illa comparari. Et Theander, roga Deos, inſit, bonam mentem: non enim ſunt Dii faſtidioſi, non invidi; admittunt ſupplicem, & ſuſpiranti manum porrigunt: nullaque ſine Deo mens bona eſſe poteſt: ſemina corporibus humanis divina inſita ſunt, quæ ſi cultor bonus excipit, ſimilia origini prodeunt. Porro Deus ille tecum eſt, intus eſt, mihi crede Theopompe, & ſacer in-

ſuo, ſed ſolum ſecundum ſe, & ſecundum ſuam naturam. Et ſic ſequitur, quod ſi ſit aliquid, quod ſit ſolum ſecundum ſe, & ſecundum ſuam naturam, quod ſit ſimplex, & ſubſiſtens, & ſic ſequitur, quod ſit Deus

His puer Idalium dictis ſolatur amicis:
Diva quid immerito trepidas perculſa timore?
Sunt arcus, ſunt tela mihi queis fulmina cedunt;
Taurus Agenoreis ululavit Jupiter armis,
Marſque ferox, pontique potens Deus, aſper Apollo,
Hi noſtras timuere faces. Tum Diva locuta eſt:
Nate Jovis, ſuccede via quam dives amanat
Flora, rigant paßim divini Nectaris imbres.
At virtus Veneris ſallacibus excita verbis,
Euge, ait, Alcides, ſoboles dilecta Tonantis,
Herculea cadat hydra manu, cadat hiſpida ſetis,
Horrendumque fremens prærupti ſus Erimanthi:
Terga Cleonæi clavâ contunde Leonis:
Æripes auratum referet tibi Cerva trophæum;
Te duce flumineis ſtabulum purgabitur undis:
Infami frater morietur cæde Tricorpor:
Termodoontæis ſpoliabis Amazona peltis:
Intentum ſonitu fugiet vaga Stymphalis arcum,
Et fortem Herculeo vinces luctamine taurum;
Cerberon educes conſtrictum ad Sydera monſtrum,
Tum meritu te vinctum hederis ſuper aſtra locabo.
Dixerat horrendos ſubito ſecat impete dumos.
At juvenis plenus monitis ingentia corda
Induit, & viſa fervet virtutis amore.

CAP. III.

Occaſione Academiæ Phocenſium quam animi cauſa laxandi Theopompus cum contribulibus ſuis celebrat, paucis verbis omnem eloquentiæ vim, & totam orationis elucubrandæ œconomiam edocetur.

Locus eſt in agro Maſſilienſi, qua mari finitimus eſt, qui nemini non digna Muſis ſedes videatur. Ibi fons quaſi Hypocrene in alveum coit, & prata Heſperidum viridariis vix diſſimilia limpidiſſimis aquis alluit, ipſa natura omnes artificum labores prævertente. Iſthic & Academia eſt in qua propter commercium bona-

bonarum artium ingenua pubes litterario pulvere amat exerceri.

Iſthac Theopompo forte tranſeunti cum ſolito comitatu patentes ædium valvæ copiam ingrediendi fecere. Utrimque porticus, & aulæ in quarum præcipuam ſubeuntibus illis, ſubito Theopompus in inſignis tabellæ contemplatione defixus hæſit eò magis, quò imago hæc in hoſpitis fronte (adeo naturam æquabat ars) obtutu mutuo defixa videbatur. Flexanimam eloquentiam ſubito Theopompus putavit: ardebant enim oculi, roſeo labello, & Herculis Gallici catenâ ſuſpenſas aures quaſi devinciebat; adeo erat dicenti ſimilis. Triformem juxta putabant Hecaten, trifrontemve Gerionem, aut Protheum Ægyptium miraculum Homericum quod in varias formas nullo negotio quaſi devolvebatur, aut certe Chimæram.*

Stabat è ſuggeſtu obducta thorace, ſuccincta pharetra ex qua duas ſupra viginti ſagittas variato jactu contorqueret in hoſtes. Heptaboëus clypeus manum alteram protegebat, altera ad geſtum porrectâ. Corona quinque floſculis intexta frontem ornabat. Mitto aureum Amaltheæ cornu omni genere frugum exuberans: ſileo pariter ingenuas artes ad obſequium Suadæ expeditas. Porro Reginæ pallam diverſæ, eæque non ingratæ figuræ diſtinguebant. Hinc & inde belluæ undecim præferoces, ipſæque diſſymbolæ, quas ad nutum docta verſabat manu. Imprimis vero animos hæc ſubjecta Epigraphe ſuſpendebat, qua Suadam ita loquentem artifex induxerat.

Judicis affectum, moderataque pectora flecto:
Fles ſi flere volo, gaudes gaudere coactus:
Inclyta Neſtoreæ cedit mihi gratia linguæ.
Si ferus inſultat, lingua ſi te impetit hoſtis

E no-

* Εμπροσθε λέων, ὀπιθεν δε δράκων, μέσση δ' χίμαιρα.
Prima leo, poſtrema draco, media ipſa capella.

E noſtris varias pharetris deprome Sagittas;
Dirige mox acies, arcum contende minacem.

Dum præſentis ænigmatis noctem eluctantur, juſſu moderatoris à tribus adoleſcentulis triplici Phocenſium lingua Græca, Latina, Gallica ſalutantur. Theopompus autem poſt vernaculæ humanitatis mutuum officium præſentem moderatorem rogavit, ut hujus velum tabellæ quæ ingenia torquebat, penitus removeret,

At ille: flexanimam eloquentiam genuinis hic adumbratam coloribus habetis, etſi peregrino hanc fucatam vultu, & monſtris Libycis obſeſſam. Cui Theopompus: equidem hanc Minervam propter Ægidem; aut certe Dianam; nam & pharetrata eſt, non ægre putaſſem.

Tum ipſe humaniſſimus: ideo Bellatricis inſtar Eloquentia pingitur, quod animos etiam rebelles agat, & victrix in quamlibet partem fortiſſime torqueat; nam & illius munus atque finis eſt docere, & flectere: eſt ſcilicet eloquentia vis dicendi uſu comparata. Etſi bellatrix eſt, ſerenitas tamen in fronte ſedet, in ore mellea ſuavitas, ut non ſolum moneat & moveat; verum etiam ubique delectet. In exordiis autem maxime conciliat delectando: monet & docet in confirmatione; in peroratione movet & flectit. Addatur Minervæ noſtræ acumen ingenii, canora vox, firma latera, proſpera valetudo, oris conſtantia: & aderit ſuis omnibus abſoluta partibus eloquentia. Hanc utpote Reginam, & victricem decet corona quinque diſtincta floſculis, qui oratoris quinque munia connotant: eſt enim oratoris invenire argumenta ad fidem faciendam, eaque in decentem ordinem diſponere: deinde lectiſſimis verbis, & optimis ſententiis eadem illuſtrare; tum mandare memoriæ: denique geſtu ad vocem compoſito hæc è ſuggeſtu pronuntiare. Tanquam Reginæ artes omnes

libe-

liberales officioſo ſatellitio adſunt, atque illa ſuper ómnes plurimùm eminet: quippe quæ ſit ſalium lepore ſuavior, & ad flectendum accommodatior: nam ab illis in eo diſtinguitur maxime, quod harum cæterarum artium determinata ſit materia: Rhetorica vero, ſicut Dialectica, per omnes late materias vaga, Regina rerum haud temere appellata eſt. Atque hæ res confuſæ aureum deſignant cornu Amaltheæ omni genere frugum exuberans. Jam vero quoad Eloquentiam & Dialecticam; ut palma à pugno, juxta vetus effatum, quod illa dicendi ratio diffuſior & ornatior: hæc vero contractior atque ſterilior eſſe ſoleat.

Triformem ei vultum adjunximus cum ob tres ſtatus, ad forenſe maxime genus pertinentes; conjecturalem qui quærit, an crimen admiſſum ſit: definitivum qui nomen criminis admiſſi inveſtigat: qualitativum in quo quæritur jure an injuria commiſſum ſit: tùm ob triplex cauſarum genus: demonſtrativum in quo laus eſt, & vituperium: deliberativum & civile quo ſuademus vel diſſuademus: & forenſe quo reus accuſatur, vel defenditur. Etenim Rhetoricæ tres ſunt numero formæ, is qui loquitur, id de quo, & ille ad quem, id eſt auditor: neceſſe eſt autem auditorem aut auſcultatorem eſſe, aut diſceptatorem: & quidem diſceptatorem aut præteritorum aut futurorum: eſt vero qui futura diſceptat, ut concio: qui præterita, ut judex: nam tempora unicuique horum accommodantur, deliberanti quidem futurum; nam de furturis delibérat qui ſuadet, vel diſſuadet: judicia vero tractanti, præteritum; nam de factis ſemper unus accuſat, alter defendit. At demonſtrativo maxime proprium eſt præſens: ex iis enim quæ inſunt, laudant, & vituperant omnes: ſed aſſumunt ſæpe etiam præterita quæ in memoriam revocant; & futura quæ conjectant. Quin etiam in demonſtrativo conſiderantur ea quæ

vitam

Abb. 1. Ein Mann mit einem Schwert und einem Schild, der auf einem Pferd reitet, das mit einer Decke bedeckt ist. Abb. 2. Ein Mann mit einem Schwert und einem Schild, der auf einem Pferd reitet, das mit einer Decke bedeckt ist. Abb. 3. Ein Mann mit einem Schwert und einem Schild, der auf einem Pferd reitet, das mit einer Decke bedeckt ist. Abb. 4. Ein Mann mit einem Schwert und einem Schild, der auf einem Pferd reitet, das mit einer Decke bedeckt ist. Abb. 5. Ein Mann mit einem Schwert und einem Schild, der auf einem Pferd reitet, das mit einer Decke bedeckt ist. Abb. 6. Ein Mann mit einem Schwert und einem Schild, der auf einem Pferd reitet, das mit einer Decke bedeckt ist. Abb. 7. Ein Mann mit einem Schwert und einem Schild, der auf einem Pferd reitet, das mit einer Decke bedeckt ist. Abb. 8. Ein Mann mit einem Schwert und einem Schild, der auf einem Pferd reitet, das mit einer Decke bedeckt ist. Abb. 9. Ein Mann mit einem Schwert und einem Schild, der auf einem Pferd reitet, das mit einer Decke bedeckt ist. Abb. 10. Ein Mann mit einem Schwert und einem Schild, der auf einem Pferd reitet, das mit einer Decke bedeckt ist. Abb. 11. Ein Mann mit einem Schwert und einem Schild, der auf einem Pferd reitet, das mit einer Decke bedeckt ist. Abb. 12. Ein Mann mit einem Schwert und einem Schild, der auf einem Pferd reitet, das mit einer Decke bedeckt ist.

belluæ quas ad nutum illa verſat, varii motus animi ſunt qui ab oratore aut refrænantur, aut habenis datis excitantur.

Veruntamen tota ſordeſcet oratio, niſi Tropi & figuræ ornatum, ſplendorum, & pompam huic adſciſcant. Hinc palla Minervæ iſtius figuris diſtinguitur, quamobrem haud perperam cum Iride comparata eſt, quod in utraque colores varii ſuſpici cum admiratione poſſint.

Hæc ſi tot armillis effulgens è ſuggeſtu cum pompa proferenda eſt, prius excolatur ager memoriæ, & ea quæ à natura indita eſt memoria, ſi lubet, aſcititia adjuvetur. Sic comparatus artifex ad dicendum ſe accingat, quod geſtus, vociſque moderatione, ſine quibus non poteſt eloquentia comparari, ornate fiet, ſubjectis etiam motibus ad quorum tenorem, vocem, geſtumque componet ſic.

Triſtia mæſtum
Vultum verba decent.

Sic animos orator vel ferociſſimos quaſi Orphei, aut Amphionis lyra perdomabit, & in quamlibet partem vel reluctantes impellet.

Excipiens Andronicus, Ecquid, inſit, hic adumbratum palatium? ſcilicet Reginæ Suadæ regia eſſe poteſt? & Rhetor; Ne perperam, & incaſſum hic adumbratum penicillo palatium puta. Quiſquis orationem elucubrandam aggreditur, reginæ eloquentiæ palatio vix abſimilem molem ſibi fingat aſtruendam; advertatque cumprimis quo potiſſimum in ordine Ionico, Dorico, an Corinthio: vel ut rhetorice loquar, utrum in Epidictico genere, civili, an forenſi. Propoſitoque ſibi perfectiſſimo archetypo, cui tùm in argumentorum œconomia, tum figurarum ornatu ſe conformet; & hypotheſim revocans ad theſim, ſcopum in levem ideam, id eſt in informem rudemque ſyllogiſmum redigat.

digat. Jam libeat congeriem coacervare materiæ; lapides ex latomiis hoc eſt rationes ex locis qui argumentorum ſedes ſunt, eruere, erutas in digeſto ordine congerere, notare ſitum, lapides ſeu argumenta, peracuto elocutionis ſcalpro perpolire. Denique pedalem in ſtructura menſuram ſic obſervare, ut certioribus artis canonibus quæque reſpondeant; & veſtibulo id eſt exordio; interiore domo nimirum confirmatione; tandem perarotione ſeu coronide totum ædificium flexanima regina dignum conſummetur.

CAP. IV.

Quæritur utrum utilis ſit reip. gubernanda eloquentia: Deinde utrum, & quo pacto cætera artes illi ancillentur.

Placuit ſatis prolixa ænigmaticæ tabellæ diſcuſſio, & eloquentiæ brevis idea, quam elucidari magis cum vellent, Rhetor ſedere primum eos compulit, mox initiatum ſermonem ita proſequutus eſt. Quamvis ea pompa, iſque ſit ſplendor eloquentiæ, non defuere tamen qui ventoſæ loquacitatis faſtu tumentes tanquam nugas pluſquam Iberias, eam ſuggillarent, hujus vero ſtudioſos quaſi jactabundos Sophiſtas dicteriis impeterent. Hi tales, quod indigniſſimum eſt, in accuſationem eloquentiæ orationis viribus abutuntur, dum jactant in vulgus eloquentiam judiciorum laqueis ac pœnis ſceleſtos eripere, ejus fraude bonos mulctari, conſiliaque in pejus ruere: neque ſeditiones modo, turbaſque populares: ſed bella etiam inexpiabilia excitari. Tales olim objiciebatur Socrati docere eum quomodo pejor cauſa melior fieret. Græcorum Romanorumque exempla enumerant, qui perniciosa uſi eloquentia rebus ſæpe publicis infeſti fuerint, turbaverint civitatum ſtatus, & everterint, ideoque ab Areopago eam artem ut ſacram amandatam eſſe ubi

actor affectus ciere vetabatur: quippe reputabant hi Judices nihil esse tam tyrannicum, quam armillata oratione fascinare; quam Populi mentes, Judicum religionem, Senatus gravitatem convertere. Sed ista quam temere!

Tum Theopomp. Revera surgit ad dicendum cum pompa verborum orator, unus inter innumeros, sublimis Reges inter & Principes, sine satellitio tyrannidem tamen exercet in omnes, dum arte tanta vocem, habitumque corporis ad orationem attemperat, ut duriſſimas quasque mentes, quo velit, inflectat, lachrymasque atque suspiria pro nutu eliciat; tot infligat vulnera, quot oculorum jactus, tot tela intorqueat, quot vocis conatus; toties palmam metat, quoties manum movet, nec plura verba loquatur quam victorias. Hinc Athenæ κακοτεχνίαν fallendi artem eloquentiam; Sophistas γοητὰς, hoc est præstigiatores infami convitio appellarunt; quasi mendacia vaniſſimæ orationis obducta fuco ingerant auribus; & argumentis aggrediantur à veritate aliena. At ille, Rhetorica, inquit, nostra quamvis auxesi nonnunquam & hyperbole uti gestiat, fugit tamen Sophistarum illam mentiendi libidinem, dum faceta illa varietate delectat. Et cum nostræ reipublicæ detrimenta considero, & maximarum civitatum veteres animo colligo calamitates, non minimam video per disertiſſimos homines invectam partem incommodorum. Cum autem res ab nostra memoria propter vetustatem remotas ex litterarum monimentis repetere instituo, multas urbes constitutas, plurima bella restincta, firmiſſimas societates, sanctiſſimas amicitias intelligo animi ratione, tum facilius eloquentia comparatos. Ideone antiquanda est medicina quod aconita aliquando misceantur. Nec malus rerum æstimator est, qui vitia Rhetorum in ipsam Rhetoricam, omissoque sicario vim omnem accusationis in sicam refundit.

Abs-

Abſque eloquentia quis ad clavum Reipublicæ ſucceedere audeat? quis tumultus civiles coërcere poſſit? quis virtutem protegere, vitium oppugnare, niſi adſit eloquentia virtutum indigatrix, expultrix vitiorum, legum inventrix, morumque magiſtra, ſine quibus non Civitas, non Reſpublica, non Populus ſtare poſſit.

Neque diſplicuit illa dicendi ubertas quæ plura ſciſcitandi anſam dedit; imprimis vero rogare libuit quid illæ nymphæ velut ad obſequium Reginæ ſuccinctæ? & ille; Artes, inquit, ingenuæ ſunt: neque mirare quod eloquentiæ ancillentur? cum enim eloquentia ſit ars bene conſtitutæ civitatis alumna, quæ homines, urbes, jure legum, & ſocietate devinctas à vitæ ferinæ conſuetudine ſecernit, quis illi expeditas ad obſequium artes negaverit, niſi refragari Philoſophiæ voluerit, aſſerenti Rhetoricam partem eſſe civilis ſcientiæ, atque Dialecticæ: aut adverſus Sophoclem reclamare qui reginam rerum orationem appellat, cui dudum uni maxima pars debetur & laudis & præmii, ſine qua cæteræ diſciplinæ jejunæ, neque ſatis ornatæ eſſe poſſunt. Ipſa ratio in eandem cum Oratorum archetypis ſententiam me adduxit, ut exiſtimem ſapientiam ſine eloquentia, aut liberales artes, ſine hac face ac interprete ſocietati hominum aut parum aut nihil prodeſſe, ſed eas obmuteſcere perpetuis tenebris ſepultas, nec unquam ſatis emerſuras, ſi deſit quæ in lucem eas adducat Rhetorica: ideo enim ad fores hujus palatii eloquentiæ iconem ſtatuimus, quod illa ſit artium janua, & clavis ſcientiarum, ſine cujus ope non ſatis liber ac patens ad alias artes ſternitur aditus: imo eas poſtliminio revocat, & eas ſeu clavis arcam Theſauris affluentem ſic reſerat, ut ea interprete cæteræ artes è ſilentio ſuo ad lucem erumpant.

Dictum experientia comprobatur: Philoſophus,

Juriſperitus, peroraturi nonne ab eloquentia ornamentum ſuum mutuantur, & plumis alienis more corniculæ triumphant? magnum hercle virtutis & gloriæ inſtrumentum facundia, qua perite uti qui norit, quicquid abſconditæ ſapientiæ habuerit, magno cum fœnore dabit. Radius eſt emanans è fonte veræ lucis, quo nihil ſuavius levandis animis, fortius nihil excitandis; totum enim orbem concuſſit, excuſſitque tot myriadas annorum ſomniantem.

Et Theopompus: quo pacto reliquæ artes eloquentiæ ancillantur?

Cui Rhetor: Grammatica emendate ſcribendi, aut loquendi præcepta ab inſtituto hominum pendentia ſuppeditat, illius autem ſelectioribus verbis Rhetorica uti ſolet, cujus officium eſt optimis ſententiis verbiſque lectiſſimis dicere. Hiſtoriam vero in inclytis Heroum geſtis eruditam in obſequium eloquentiæ accerſi quis Rhetor peritus inficias ibit? Poëſis numeroſa ad oblectationem animorum inventa eſt, & qui orationi venuſtatem affert, contentaque eloquentia ſtudia ac pene nauſeantes auditorum animos caute remittit, ideo & cum ea neceſſitudinem habet. Arithmetica dat orationi numerum: Muſica vocis flexus impertit: Saltatio & Palæſtra corporis motus edocet: Denique Philoſophia ſententiarum ſylvam ſuppeditat. Porro Dialectica ſi hac dicendi facultate privata ſit, omnem gravitatem perorando infringit, totum ingenii ſuccum nimia eloquii aſperitate interimit: num etiam Politico excolenda Rhetorica? imo & huic maxime; adeo nulla non ars ad humanitatem informans non modo Rhetorica non indiget, eamque accerſit ad lucem ſibi afferendam, verum etiam mutuum obſequium Rhetoricæ exhibet quæ facta quadam encyclopædia omnes artes liberales ſic ſibi mancipat, ut bonarum artium Reginæ titulo jure gaudeat, cujus robur

Kaufmann Johann Georg Hoffmann, Bürger und Kaufmann in Frankfurt, Inhaber der Firma Johann Georg Hoffmann, Mitglied der Gesellschaft Harmonie, Mitglied der Gesellschaft Casino, Mitglied der Gesellschaft Museum, Mitglied der Gesellschaft Lesegesellschaft, Mitglied der Gesellschaft Gesellschaft der Freunde, Mitglied der Gesellschaft Gesellschaft der Künste, Mitglied der Gesellschaft Gesellschaft der Wissenschaften, Mitglied der Gesellschaft Gesellschaft der Musik, Mitglied der Gesellschaft Gesellschaft der Tanzkunst, Mitglied der Gesellschaft Gesellschaft der Reitkunst, Mitglied der Gesellschaft Gesellschaft der Fechtkunst, Mitglied der Gesellschaft Gesellschaft der Schützen, Mitglied der Gesellschaft Gesellschaft der Turner, Mitglied der Gesellschaft Gesellschaft der Ruderer, Mitglied der Gesellschaft Gesellschaft der Segler, Mitglied der Gesellschaft Gesellschaft der Taucher, Mitglied der Gesellschaft Gesellschaft der Bergsteiger, Mitglied der Gesellschaft Gesellschaft der Höhlenforscher, Mitglied der Gesellschaft Gesellschaft der Naturfreunde, Mitglied der Gesellschaft Gesellschaft der Tierfreunde, Mitglied der Gesellschaft Gesellschaft der Pflanzenfreunde, Mitglied der Gesellschaft Gesellschaft der Gartenfreunde, Mitglied der Gesellschaft Gesellschaft der Obstbauern, Mitglied der Gesellschaft Gesellschaft der Weinbauern, Mitglied der Gesellschaft Gesellschaft der Bierbrauer, Mitglied der Gesellschaft Gesellschaft der Bäcker, Mitglied der Gesellschaft Gesellschaft der Metzger, Mitglied der Gesellschaft Gesellschaft der Fischer, Mitglied der Gesellschaft Gesellschaft der Jäger, Mitglied der Gesellschaft Gesellschaft der Forstleute, Mitglied der Gesellschaft Gesellschaft der Landwirte, Mitglied der Gesellschaft Gesellschaft der Gärtner, Mitglied der Gesellschaft Gesellschaft der Imker, Mitglied der Gesellschaft Gesellschaft der Seidenraupenzüchter, Mitglied der Gesellschaft Gesellschaft der Bienenzüchter, Mitglied der Gesellschaft Gesellschaft der Kaninchenzüchter, Mitglied der Gesellschaft Gesellschaft der Geflügelzüchter, Mitglied der Gesellschaft Gesellschaft der Taubenzüchter, Mitglied der Gesellschaft Gesellschaft der Hundezüchter, Mitglied der Gesellschaft Gesellschaft der Pferdezüchter, Mitglied der Gesellschaft Gesellschaft der Rinderzüchter, Mitglied der Gesellschaft Gesellschaft der Schafzüchter, Mitglied der Gesellschaft Gesellschaft der Ziegenzüchter, Mitglied der Gesellschaft Gesellschaft der Schweinezüchter, Mitglied der Gesellschaft Gesellschaft der Kaninchenzüchter, Mitglied der Gesellschaft Gesellschaft der Geflügelzüchter, Mitglied der Gesellschaft Gesellschaft der Taubenzüchter, Mitglied der Gesellschaft Gesellschaft der Hundezüchter, Mitglied der Gesellschaft Gesellschaft der Pferdezüchter, Mitglied der Gesellschaft Gesellschaft der Rinderzüchter, Mitglied der Gesellschaft Gesellschaft der Schafzüchter, Mitglied der Gesellschaft Gesellschaft der Ziegenzüchter, Mitglied der Gesellschaft Gesellschaft der Schweinezüchter,

CAP. V.

1. Quæritur cur Eloq. tanquam Regina pingitur. 2. Utrum bene salibus poëseos & historiæ floseulis aspergatur. Utrum sit invitatrix, & in quibus, aut quando.

Excipiens Andronicus: Beasti, attamen quid Reginam & Imperatricem Eloquentiam appellitas, aut cur è solio regio suspiciendam illam obtulisti?

Quibus moderator: Reginam & Imperatricem Eloquentiam appellito, quod illa semper in liberis mentibus dominata sit & ubique principatum exercuerit, languentes excitans, effrænos coërcens, libidines frangens; denique illa tonat, fulminat, vincit, triumphat. Imperatorem diceres pubem educentem in aciem, metantem castra, tela spargentem, jacientem vallum, distribuentem ordines, ad certum scopum destinata tormenta librantem, cæsim punctim ferientem; eminus cominus dimicantem, circumeuntem, lacessentem, obsistentem, instantem, dissimulantem, mutantem in cornu, pugnam, subsistentem, fundentem, superantem.

Quid enim agit aliud dicendi artifex, cum orationem velut exercitum explicat, cum rationes veluti copias eodem ordine ac gradu collocat, cum instituit pugnam, cum proludit, cum manum confert, cum superat unus plurimos, nudus armatos, ipse sibi imperator, ipse miles, ipse sibi consilium; verbo civitates evertit, verbo eversas erigit, verbo imperia subigit. Quænam artes liberales tantum sibi decus arrogabunt? uti per motum Sphærarum Cœlestium moventur sublunaria, & per influxus Syderum (maxime Solis) vita rebus & natura infunditur: ita per eloquentiam quæ Solis instar cæteris artibus lumen suum fœnerat mentes excitantur, indoles implantatur, denique stantibus in mortis limine salus reponitur. Ecquid in cæteris artibus tale, in dialecticæ obscuris ambagibus, in

Astro-

Digitized by Google

Aſtronomiæ fallentibus ſpeculis, in inutilibus Geometriæ dimenſionibus? omnium artium abſque eloquentia moderatrice ingrata ſuavitas eſt; aut quemadmodum vegetantia ſuccum attrahunt, attractum retinent, retentum digerunt, digeſtum foras partim extrudunt; ſic eloquentia ab adminiſtris artibus elicit & exprimit, quod maturo deinde judicio digeſtum in lucem expromat.

Ergo dicentem interpellans Andron., placent, inquit, diſertiſſime Rhetor, ea quæ loqueris: attamen, dic ſodes, qua ratione ſalibus poëſeos condita Oratio & hiſtoriæ floſculis illuſtrata fieri poſſit venuſtior: quid enim ſtricta aut conciſa Oratio cum ſoluta?

Reſumens Orator: ſine his adjumentis tenuis eſt, mihi credite, eloquentia; plenaque faſtidii, ſed aſſumtis Poëtarum Hiſtoricorumque viribus pleno jam ſatis alveo fluit. Plane reficit animos & reparat varietas illa; obtuſaque ſerio ſermone ingenia hac mutatione relaxantur ſicut in cibis evenit, quorum varietate ſuaviſſima ſtomachus geſtit, & pluribus minore faſtidio alitur. Itaque reperiantur ejuſmodi durioris ſupercilii qui haud decorum putent me ad hunc carminum ludum paſſim deſcendere. Sed ſi omnia, præſentim vero laborioſa viciſſitudine melius durant, quis hoc nobis unis negaverit, ut in ſuavioribus Muſis nonnunquam acquieſcamus? certe in cothurnis & ſoccis interſeruntur cantus, & illic fides quoque, nec non plectra locum inveniunt, quæ ſua varietate audientes mirum quantum demulcent.

Subdidit Andronicus: quid vero Suadam veſtram, tot tantiſque leporibus, tam liberali fronte, ut Minerva vel etiam Pandora invidiſſet, in hac adumbrata effigie illuſtraſtis?

Retulit Rhetor: vides coruſcantes oculos animi ſublimis judices, optimum totius corporis habitum;

atque ſitum neque ſatis ſibi liquet, ais, iſta quid arguant. Exultavit in hoc ludo natura quæ non alia re magis quam varietate conciliat; nuſquam enim ingenioſiorem eſſe decuit, quam cum ipſa ingenia ſuis lineamentis diſcerneret;

Cum vero Andronicus gannienti ſimilem belluam ſecus iſtius Minervæ pedes advertiſſet, quærere non dubitavit ſub hoc ænigmate quid lateret?

Cui Rhetor: Imitatricem ſimiam æmulatur eloquentia, dum ex variis varia mutuatur. Porro in hac imitatione non quæ levia ſunt ſed quæ maxime excellunt, diligenti ſtudio aſſequenda: Quemadmodum enim ridiculus pictor habebitur qui colorem ſolum magni pendet, partium vero ſymmetriam, diſtantias, umbras neglegit: ita riſu digni ſunt qui tantum aliquam pedum ſuppreſſionem, & inſigniores plauſulas æmulantur; ea vero quæ primaria ſunt ſcilicet argumentorum vim, ſententiarum gravitatem, acumen in probando, in promovendis affectibus impetum & ardorem, in collocando prudentiam, varietatem & copiam minime curant. Videndum autem in primis ut exordia concilient, ut narrationes ſuſpendant, ut contentiones expugnent: ut loci communes, amplificationes, omnis varietas artis, & omnis copia orationis ſine ſatietate delectent: ſic more argumentoſæ apis deligendi flores, & quod in inventione, diſpoſitione, atque elocutione optimum eſt: poſſuntque varia in variis reperiri quæ æmulari non pigeat, cum ſit cuique ſuum decus & ornamentum. Plagiarios vero à noſtro Helicone procul arcemus, prudenteſque tantum imitatores admittimus, cum aut illuſtriora verba mutato ſenſu deliguntur, vel retento ſenſu verba aut figuræ inverruntur; aut quæ ab aliis jejune & parce ſunt dicta, dilatantur & ornantur; denique decoctæ in mente, penituſque digeſtæ ſententiæ in propriam ſubſtantiam, & orationem convertuntur. In actione etiam poſita eſt imi-

Digitized by Google

imitatio. Cui actioni eloquentiæ principatum damus. Puer cum audiſſet Calliſtratum in foro dicentem, illius ſic æmulatus eſt gloriam, ut eloquentiam majori cum laude ſit adeptus.

CAP. VI.

1. Quid actio conferat eloquentiæ. 2. Quomodo invenit & disponit. 3. Utrum lectio huic utilis eſſe poſſet.

Addidit his periſterus: mirabar quod porrecta ad geſtum manu, dicentique ſimilem effinxeratis.

Et Rhetor: Hoc habe non orationem modo omnibus ſuis partibus abſolutam ſub illa membrorum ſymmetria adumbrari; ſed actionem imprimis, quæ oratori adeo neceſſaria eſt, ut ei & primas & ſecundas & tertias Atticus orator jure tribuerit.

Neque puta agere me de actione illa quæ ſcenica & mimica eſt; ſed de forenſi atque civili quæ vocem & corpus ad affectuum præſcriptum attemperat. Nam & immodicus motus, & excuſſio nimia ludibrio ſunt. Quod ſi quæ in dicendo ars eſſe poteſt, ea prima ſit, ne ars eſſe videatur. Veruntamen vitia ſi quæ ſint oris, debent emendari, quatenus expreſſa ſint verba, & ſuis quæque litteræ ſonis enuntientur, extremæ ſyllabæ non intercidant: par ſibi ſermo ſit. Quoties exclamandum erit, laterum conatus ſit illi non capitis, nam geſtus voci, vultus geſtui debet reſpondere. Recta ſit facies perorantis, neque labra diſtorqueantur, non immodicus hiatus rictum diſtendat, non vultus ſit ſupinus; non dejecti in terram oculi, aut inclinata utrolibet cervix. Attamen quoties annuimus caput inclinamus; cum renuimus, citiſſimo motu concutimus; cum languorum exprimimus caput in alterum humum deprimimus: cum admiramur aut dubitamus,

revo-

revocamus in occipitium: nec indoctæ ruſticæque manus ſint: ſed timebit & dolebit orator preſſa ad pectus manu vel manuum articulis invicem nexis, & errantibus extra peculiare objectum oculis. Ne ſtatus ſit indecorus: neque caput aut oculus à quacunque corporis inclinatione diſſideant, quam virilem non à ſcena & hiſtrionibus, ſed ab armis & palæſtra eſſe oportet. Sciat denique qua contentione ira ſurgat; qui flexus miſericordiam deceat: eſt enim actio quaſi fermo corporis; quare affectibus mentis debet congruere. In ore tamen ſunt omnia, in quo dominatus eſt oculorum qui affectuum ſunt judices, geſtuque ſic eſt utendum, nihil ut in eo ſuperſit.

Reſumit Theopompus: cur armis defenſivis non modo, verum etiam offenſivis Rhetoricam muniviſtis?

Rhetor: imo bellatrix eſt eloquentia ſimul & amica pacis, Minervæque tota ſimilis. Hinc lorica pectus obducitur, ſed olea quoque circa criſtam ludit, quippe quod illa militiæ atque domi plurimum valeat: nam & illa legibus optimis civitates informans frangit libidinem, & oratoris fulmine velut claſſico animos ad Martem accendit. Quinque partes ejus eleganti ſimilitudine quæ ab arte militari accerſitur, ita poſſunt adumbrari, ut delectus militum ad inventionem referatur, ad diſpoſitionem militaris ordo, & explicata acies, armilla, inſignia, bullæ, aliaque belli decora, ſplendidam ad elocutionem pertineant. Vallum & armamentarium ad memoriam, in qua res inventæ atque diſpoſitæ quodammodo aſſervantur. Eruptio demum impreſſioque bellica actionem adumbret; pila, jacula, ſagittæ, argumenta ſint ex locis rhetoricis, tanquam ex armamentariis educta; quæ ſi à perito librentur artifice, tot infligentur vulnera quot ictus repetentur.

Jactant plerique id eſſe locos apud Rhetores; quod littera ſeu elementa apud Grammaticos: ut enim ex lit-

Digitized by Google

litteris & elementis dictio, ita ex argumentis quæ ex locis rhetoricis educta sunt, oratio coalescit.

Subjicit Theopompus: quamobrem alias quidem sagittas recondit pharetra, aliæ vero passim humi dispersæ jacent?

Rhetor: hac sagittarum distinctione, locorum rhetoricorum differentia non temere adumbratur, quorum alios insitos & intrinsecos appellamus, quod ab ipsa rei natura educuntur definiendo, enumerando partes, adjuncta recensendo, causas & effecta referendo; alios vero extrinsecos & assumptos nuncupamus, quia argumenta à foris desumpta, nempe à legibus, exemplis, testimoniis Oratori suppeditant.

Tum Andronicus: an quemlibet his solis sagittis sufficturum sibi, & ex his locis eruditum ad apicem eloquentiæ perventurum putas?

Quibus Rhetor: Tametsi hi loci sint tanquam fontes ex quibus rationes ad fidem faciendam hauriuntur, ea tamen est humano ingenio innata sterilitas ut nisi adscititio doctrina fulciatur, præter jejunam & sterilem orationem nihil possit extruere: alit autem ingenium lectio, & copiam dicendi subministrat. Verum quod in corpore nostro videmus facere naturam, cum alimenta quæ prius integra erant, in vires & sanguinem transeunt: idem in his quæ aluntur ingeniis præstemus, ut quæcunque hausimus non patiamur integra esse, nec aliena sint; coquamus illa, alioqui in memoria erunt, non in ingenio, unum quidpiam fiat ex multis, sic numerus unus fit ex singulis, cum minores summas computatio una comprehendit. Hoc faciat animus, omnia quibus est adjutus, abscondat, ipsum tantum ostendat quod efficit, etiamsi apparebit alicujus in te similitudo, similem esse te volo, quomodo filium, non quomodo imaginem; imago res mortua est.

Exci-

Excipit Andronicus: quem librorum delectu faciendum, & quid in legendis libris colligendum dices?

Rhetor: pro rerum materia libri multi, pro caractere pauci legendi sunt, porro dabit Epigramma sales, Satyra, validam Ironiam: Comœdia Æthopeiam, Tragœdia Majestatem figurarum, Lyrica Sublimem volatum, Heroica seu Epica Magnificentiam; Elegia affectus ad querimoniam & miserationem comparatos: Historia alit molli jucundoque succo, & copiam uberem suggerit. Scripta quoque Philosophorum manibus terenda sunt, ex quibus vim argumentandi, monendique Elicis, lectioni denique succedit meditatio quam somni interpositio & noctis tenebræ non mediocriter adjuvabunt.

CAP. XII.

1. Historia necessaria clavum tenenti. 2. Quo ordine oratio dirigenda. 3. De ejus numero in periodis 4. Quod eloquentia cum virtute debet conjungi.

Quæsivit Theop. quanti compendii oratoribus foret historia? Cui Rhetor, historiam non modo testem temporum, aut magistram vitæ; sed coacervatam & conglobatam ex omnibus partibus sapientiam esse declaravit: & quæ maximo ornamento, & adjumento futura sit iis quos generis nobilitas & virtus non solum in votum contulerit, verum etiam ad reip. atque ipsius regni gubernaculum evexerit: etenim nisi his artibus atque disciplinis exculti sunt ii qui velut in reip. puppi sedentes clavum tenent, multis eos muneris sui ac præcipuis partibus defuturos puto. Quomodo enim civium diffidia feret, negotiationes cum laude seu geret, seu accipiet, tenebit, præterita futura prospiciet? Quidam ex nostris cum consul delatus esset, valetudinem oculorum excusans summum imperium detrectavit, quod indignum duceret capita aliorum sibi com-

quod ad Ecclesiam Dei pertinet, ut ipsi Ecclesiæ Dei reconciliatus existat.

Hæc est diffinitio de homicidio de ecclesiasticis personis.

Si quis ecclesiasticum ordinem habens, presbyter, diaconus, subdiaconus, lector, exorcista, ostiarius, cantor, exercitalis, monachus, clericus, canonicus, abbas, abbatissa, monacha, sanctimonialis, virgo Deo dicata, vel quælibet ecclesiastica persona, quæ ordinem habet, vel habitum religionis, vel tonsuram, vel quæ in ecclesia Dei aliquod officium habet, vel quæ in ecclesia Dei aliquod officium habet, vel quæ in ecclesia Dei aliquod officium habet

mum afficere, quod aurem offenderit: deinde quod natura ducimur ad modos. Hinc dicendi ea facundia Tyranni Græcis libertatem qua nihil carius esse potest, nullo negotio sustulit. Sileo Orphei & Amphionis miracula, ut oratorum sententiam hic statuam. Itaque ne vagetur oratio, neque excurrat longius: numeris distinguatur: conversiones habet absolutas: non tamen instar poëmatis numerosam orationem decet esse, neque extra numerum more vulgaris colloquii: una est periodica elocutio, ambitu quodam artificioso comprehensa: suis membris, partibusque sic dimensa, ut numerosa quadam suavitate aures impleat. Paucis dicam; scaturientes aquæ venam uberiorem si libero, facilique alveo sinas excurrere manante jugi fontis perennitate, ut est natura mollis & lubrica, per immensas declivitates fluit unda volubilis, labiturque longissime: ita eloquentiæ rivulus in auditorum animos sese insinuans ubere voluptate eos afficit ac recreat, & supra concentum omnem auribus ipsis sapit.

Verum tametsi tanta sit majestas eloquentiæ, ut ipsa suis freta leporibus animos vel durissimos, atque reluctantes demulceat: tamen illa nisi religionis virtutisque vallo fulciatur, floris instar succo suo destituta marcescet subito, & primigenio illo ornatu, eaque luce privata, tanquam jejuna langueſcet. Namque hi sunt fructus eloquentiæ quos uberius quam ex Amaltææ cornu exuberare necesse est; aut illa in turpem degenerabit garrulitatem. Quare si quis omissis rectissimis atque honestissimis studiis rationis & officii comsumit omnem operam in exercitatione dicendi, is inutilis sibi; perniciosus patriæ civis alitur. Tunc præmissis gratiis omnes discessere.

CAP.

CAP. VIII.

Theander vim, gravitatem, numerum, perſpicuitatem orationis & amorem eloquentiæ Theopompo magis inſinuat.

Cum ſe in hoſpitales lares Theopompus recepiſſet, omnium quæ audierat, Theandro ſuo reddidit rationem. Tunc Theander his retulit: quanto ſtudio tuæ ſemper utilitati incubuerim, ſuaviſſime fili, non melius meo hoc colloquio, quam ex conſcientia tua potes cognoſcere. Nunquid unum eſt quod te ſemper rogavi, & nunc etiam atque etiam oro, ut humanioribus litteris animum tuum ad ſumma creatum informes, penitus ſpretis ætatis tuæ nugis? ſcilicet vanum eſt earum rerum cupiditate torqueri, quæ poſſint, cum habentur, effluere: magnificentius autem atque illuſtrius contemni voluptates, quam admitti. Quis porro extra limen eloquentiæ doctus? diceres barbariem ubique extra eloquentiæ pomœria eſſe, & inceſtare Muſas magis quam colere. Quare age fili, ne ſinas tuum nomen inerti apud poſteros ocio langueſcere. Vide quantam ſibi gloriam tot viri principes peperere facultate dicendi.

Itaque perorantis ſit prima virtus perſpicuitas, verborum proprietas, rectus ordo, non prolixa, & faſtidioſa peroratio: nihil deſit, neque ſuperfluat: quare hos minime probaverim qui cum famam eruditionis affectent obſcuris ambagibus verborum ſuas periodos obruunt, & exoletos ſcrutati authores idipſum petunt ex iis, quod à communi uſu dicendi remotiſſimum ſibi videatur. Porro ſicut in oratione nitida humile verbum eſt quaſi nævus, ita in ſermone tenui ſublime diſcordat, & in plano tumet.

Sed audio te meis auribus ſubmurmurantem; grande onus mihi imponis: at unum te velim admonitum; compoſitionem verborum non ex anxio labore veni-

re, verum ex uſu & exercitatione; ipſumque judicium penes aures eſto quæ velut arbitræ compoſitionis erunt: aures enim plena ſapiunt, frugoſis offenduntur, lenibus mulcentur, contortis excitantur: ſtabilia probant, clauda deprehendunt, redundantia ac nimia faſtidiunt: eſt ſiquidem ſuperbiſſimum judicium aurium: ideo compoſitionem jucundam, honeſtam, variam eſſe oportet. Et in omni compoſitione tria requiruntur, ordo, junctura, numerus. Quid jam ſupereſt, fili, niſi ut tot præceptorum aleam jactes, neque ſinas hæc in te eſſe infructuoſa ſemina?

Tunc Theop. chariſſimi præceptoris manum oſculatus affirmavit non ſe permiſſurum ut hæc in ſe irrita fierent. Neque vero mihi, inſit, quidquam videtur præſtabilius quam poſſe dicendo tenere hominum cœtus, mentes allicere, impellere voluntates quo animus velit, unde autem velit eas deducere. Hæc una res in omni libero populo, maximeque in pacatis, tranquilliſque civitatibus, ſemper floruit, & dominata eſt. Quid enim eſt tam admirabile quam ex infinita hominum multitudine exiſtere unum, quid id quod omnibus à natura ſit datum, vel ſolus, vel cum paucis facere poſſit? aut tam jucundum cognitu atque auditu, quam ſapientibus ſententiis, gravibuſque verbis ornata oratio, & perpolita? aut tam potens, tamque magnificum quam populi motus, judicum religiones, ſenatus gravitatem unius oratione converti? Quid tam regium, tam liberale, tam munificum quam opem ferre ſupplicibus, excitare afflictos, dare ſalutem, liberare periculis, retinere homines in civitate: quid autem tam neceſſarium quam tenere ſemper arma, quibus vel tectus ipſe eſſe poſſis, vel provocare improbos, vel te ulciſci laceſſitus? imo qui cantus moderatæ orationis pronuntiatione dulcior inveniri poteſt? quod carmen artificioſa verborum concluſione aptius? quid autem ſub-

ſublimius quam acutæ crebræque ſententiæ? quid admirabilius quam res ſplendore illuſtrare verborum? quid plenius quam omni rerum genere cumulata oratio? neque enim ulla non proptia regio oratori res eſt quæ quidem ornate dici, graviterque non debeat. Hujus eſt ſcilicet in dando conſilio de maximis rebus cum dignitate explicata ſententia; ejuſdem & languentis populi incitatio, & eſtrænati moderatio. Eadem facultate & fraus hominum ad perniciem, & integritas ad ſalutem vocatur. Quis hortari ad virtutem ardentius, quis à vitiis acrius revocare? quis vituperare improbos aſperius? quis laudare bonos ornatius? quis cupiditatem vehementius frangere poſſit? In hoc homines belluis ipſis ſuperiores ſunt: in hoc hominibus ipſis oratores antecellunt. Nam quæ vis alia potuit diſperſos homines unum in locum aggregare; & à fera, agreſtique vita ad hunc humanum cultum, civilemque deducere; aut jam conſtitutis civitatibus leges, judicia, jura deſcribere?

Imo, ſubdidit Theander, ſic ſtatuo, fili, perfecti oratoris moderatione & ſapientia non ſolum ipſius dignitatem; ſed & privatorum plurimorum & univerſæ reip. ſalutem maxime contineri. Quamobrem perge ut facis, mi Theopompe, atque in id ſtudium in quo es, incumbe, ut & tibi honori & reipub. emolumento eſſe poſſis.

CAP. IX.

Theopompus litteras à patre & avo per Gobriam accipit, quibus in Siciliam invitatur. Recuſanti ſe comitem eſſe poſſe Theandro benevolam mentem exhibet: at huic ille iconem ſuam relinquit.

Cum in Palladiis exercitationibus, & ſcholaſtico pulvere, ſed in ipſo maxime eloquentiæ ſtudio annum totum traduxiſſet, & per omnia Philoſophiæ ſublimioris principia excultus à Theandro fuiſſet

Theop. Phocenſes Academias ut Martio pulvere corpus jam validum & adultum exerceret, & ad Siciliam ad avum Meleandrum trajiceret, & ut omni genere palæſtræ, etiamque ſaltatione ſub Andronis diſciplina ſemet expoliret, ſtatuebat deferere. Sed ecce ad eum literæ à patre Aſtioriſte, in quibus tabellæ à Meleandro erant incluſæ meditatum iter maturarunt. Utraque autem epiſtola pene eodem exemplo exarata per internuntium Gobriam explicata eſt, dum utriuſque parentis mentem principi aperuit. Non dubitas ſereniſſime, inſit, conſtitutos ſtudiis ingenuarum artium dies jam elapſos ad novam palæſtram, & alium pulverem te invitare. Habebis autem apud Sicanios palæſtritas viros ſub quorum diſciplina cæterarum artium, & concertationum rudimenta ponere poſſis favente avo Meleandro, in cujus ſinu & ulnis quod ſupereſt adoleſcentiæ tuæ foveas, ut vel ſic irritum Aneroëſti vaticinium nulla ex parte eſſe poſſit. Porro tui cura & cuſtodia mihi ipſi qui maximam partem ætatis meæ inter Athletas & Olympionices traduxi, à patre tuo credita eſt, quatenus individuus comes tibi ſim, & quemadmodum Chiron Achillem, ſic ego te per omnes artes ingenuas ita perducam, ut adultus, & conſpectu parentum tuorum dignus revoceris in patriam. Mox converſus ad Theandrum gratias egit aſſiduæ opis, eundemque rogavit Regis nomine, ut rurſum tanquam Argus mores Theopompi explorare velit, ne à recto virtutis tramite (quem à puero inierat) ulla ratione deflecteret, maxime cum regium ſit amare virturem, & à vitii vilitate declinare.

Audivit perorantem Gobriam Theander, & officioſam mentem exhibuit quidem: ſed tamen diutinam moram extra ſepta ſua & exercitationes pancraticas, quibus vacaturus omnino erat princeps, ſortem ſuam dedecere. Se vero metas attigiſſe, ſibi à Rege Aſtio-

riſte

riſte præfixas: commiſſum ſibi munus in Gobriæ caput ſe ſponte deponere. Tum ſic ille ad Theopompum ægro animo abſentiam cariſſimi præceptoris, & morum ſuorum parentis ferenrem: vivit, & æternum vivet intimis præcordiis meis indolis tuæ regiæ memoria, dilectiſſime princeps. Neque eſt periculum ut recordatio tuæ in me benevolentiæ quovis intervallo locorum vel temporis minuatur. Simul his iconem ſuam expreſſam verſibus ei porrexit; hæc autem erat icon.

Si tibi jam notos placeat percurrere vultus
Hoc tibi picturæ carmen ad inſtar erit.
Non mihi vultus Afer, nec enim mihi labra tumeſcunt;
Candor ineſt Galli qui decet ora viri.
Purpureus nobis modico natat ignis in ore,
Ut quondam haud facies eſt mihi tota teres.
Subſidet at latæ fronti mihi glaucus ocellus:
Multus ſpirat avus, multus & ore pater.
Eſt oculus ſimplex, facieſque ſerena, virilis
Frons index animi, fronſque benigna tamen.
Certa mea frontis fuerat menſura, priuſquam
Neſcio quæ frondes abſtulit aura meas.
Aßiduum dedit hos ſtudium; non parca laboris
Mens mihi nudavit ſinciput hiſce comis.
Lene ſupercilium eſt mihi caſtaneuſque capillus
Annis vernanti qui mihi flavus erat.
Jamque meo cœpit mento caneſcere barba
Haud condenſa: genas nullaque barba tegit:
Juſta tenet reliquas vultus proportio partes,
Corpore & in toto juſta ſtatura manet.
An mores vis noſſe meos? Brevis ira, ſed urgens
Crimina me vincit: mens fugit omne ſcelus,
Et me ſi quis amat, redamo; confido viciſſim
Fidenti, nec amor ſit levis ille meus.
Hos amo quos virtus, & Pindi cœtus amabit:

Et mihi priſca placent, & nova ſcripta mihi.
Eſt animus mihi pacis amans, licet otia vito:
Nec ſi ſolus ero; tunc ego ſolus ero.
Sum memor accepti, prava ſum fraudis & oſor,
Credulus, humanus, nec ſimulator ego:
Relligionis amans, referendi haud parcus honoris,
Impete ſancta peto, nec mihi ſubſit obex.
Impatiens oci mihi mens; turpique veterno
Conficitur, languet, tædia multa ſubit.
Aſt animus patiens olei: mihi ruſtica dudum
Vita placet: puero ruſtica vita fuit.
Septima jamque mihi puero dum vertitur ætas,
Hiſce parente annis orbus utroque fui.
Annorum dum flore vigent mors meſſuit ambos;
Dumque præit genitor mater amore perit.
Vixque ſalutabam Muſas, fidibuſque canebam,
Flectebam & variis guttura parva tonis;
Cum ſubito cytharas, atque organa noſtra reliqui;
Immodicis etenim planctibus anſa fuit.
Quot vada, quot ſirtes, ſcopuloſque evaſit acutos
Noſtra per hos fluctus numine dante ratis!
Prava meam peſſum dederant conſortia navim,
Ni mihi faviſſet numinis ampla manus.
Ergo pedem ſævo veluti à ſerpente repreſſi,
Et flexi ad Superum ſplendida ſigna ratem.
Hæc mihi meta fuit mundanis ultima pompis,
Et vitiis libuit ponere frena meis.
Dumque ſacramentum pietati dicere cœpi
Vix ſuberat ſtavæ tunc nova barba comæ,
Sic Aganippæis rurſum de fontibus hauſi
Quos Heliconiacis ſæpe propino viris.
Gloria me non præda trahit; ſed gloria clara
Virtutis merces, aut Heliconis agit.
Celebs vita mihi cum ſit, cum nulla propago
Ingenii partus, ecce relinquo mei.

Hoc tu fonte bibes aularum arcana, ſtrophaſque,
Ambitioſa bibes bella, trophæa, dolos.
Oppreſſum vitium, virtutum inſignia cernes
Facta, bibes lepidos ſed ſine dente ſales.
Hinc noſter genius regali ſtemmate clarum
Inſtituit juvenem, dignaque Rege tanit,
Seria miſcendo lætis, & ſtricta ſolutis:
Veraque diſerti ſurget imago viri.

Theopompus gratam hanc dilecti magiſtri iconem animo non ingrato accipit, eumque ſtrictioribus ligans amplexibus ab eo tandem non ſine lachrymis amoris ſui teſtibus avulſus eſt. At Gobrias interim vaſa colligere, & naulo propoſito navim conducere.

CAP. X.

Andronicus cum peregrino Theopompum convenit, & qua ratione huic occurriſſet, exponit, illuſtre facinus ejuſdem adoleſcentis explicat.

Pacto cum vectoribus naulo, & numerato in arrham duplici nummo, quo fides nautarum aſtringeretur in hoſpitium ſuum receſſit brevi cœnula vires reparaturus, & cætera comparaturus armamenta, quo poſtera luce ſpirante leniter aura, & proſperam navigationem auſpicante expeditior ad ſolvendum è portu fieret. Reperit autem cum Theopompo colloquentem Andronicum cui comes erat ignotus juvenis, & ipſe advena, quem forma frontiſque ſerenitas probabat haud degenerem. Erat autem hoſpitis amictus, chlamys ſubcandida & ad vernaculæ elegantiæ venuſtatem non exculta. Ingenium autem ſagax, & per omnem artium partem lævigatum in robuſto corpore; demum is erat quem neſcias an plus Muſæ, aut Mercurius amaverit. Obſtupeſcenti Gobriæ ad ingenitum robur juvenis, Andronicus qua ratione occurriſſet ſibi, diſerto ſermone ſic expoſuit.

Digitized by Google

Ad maris Herculei ripam Arſacio faſtu ædes aſſurgunt. Nam veſtibulo ſpirat in ære Polycleti, & Phidiæ ebore Gigantomachia. Aulis non Zeuxidos ars, non Appellis deeſt, non Thimantis ingenium quod imperiorum cataſtrophas exprimit, virilem Semiramidis, uxorium Sardanapali animum; curas Aſtiagis, Cyri feralem Periodum, Magorum tyrannidem, ſtragem Marathoniam. Pavimentum teſſelati operis Aſaroti modo effigiatum; incruſtata Sapphyris laquearia cœleſtes ignes æmulantur. Horti florum & fruticum omnigena ubertate conſiti, Alcinoi copiam, Heſperidum pometum anteeunt, quorum Areæ Labyrinthi Mæandris verſatiles, & ſimplicium varietate perfuſæ, quales in Alcidæ roſetis vel Adonidis: frequens aquæ luſus per minitantes belluarum rictus opere anaglypho, virentium collium flexus, confractaque & in cuſpidem porrecta juga: ſylva denique ad infimum collem grata ramorum caligine ad venaticum certamen, ruſticationemque nos concitabat una cum pube, quæ ex Armiludio Palladiiſque concertationibns erumpens peſtiferi Syderis inclementiam in incorruptioris aëris tractu declinabat. Nullis aſperatum nebulis erat Cœlum cum Olbius natalium gloria, cæteriſque blandientis fortunæ mendaciis ſpectabilis, ex aprico gramine in ſcenæ modum porrecto, comites ad mimum compellavit. Scilicet Phaëtontis fabulam, ab axe quem temere conſcenderat æqua ſorte devoluti, ſororum lachrymis auctas Eridani aquas, & fictum electrum Regiſque Liguris cœleſtes ignes peroſi fatales luctus: quibus commentis in nutricum cunas eliminatis novi Alcidis virtuti triumphum adornandum cœtum ſubiti portenti horror avertit: Andromedæ vindicem, aut Bellerophontem aliquem prope eſt ut aſſeramus equo Meduſæo nemus prætervolantem, qui graſſatores inſequens libati cruris dolori lymphatus percuſſorum

ſan-

ſanguine parentabat, pubes illa ad litandum Marti ſe accingebat, ætatemque ab officio pietatis auſpicandam, nec impiger in audendo eram cum hoſpes vultu compoſito abit in gratias. Flexu ſuperato proferuntur cum penatibus arulæ quibus ſuffitu placatis fœdera iciuntur, porrecta in pignus amicitiæ mutuæ duplici manu. Tum vulnere gravis accire Machaonem, qui vereri ne telum devellentem profluvium occupet, omnibus nobis interim in excubias emicantibus, quo nos non Lycaones aut Buſirides, ſed Deucalionas hoſpitio fideli probaremus. Ergo naufragus demum gratum celeuma canere, mox iras revolvens, graſſatorum hos velut ex adultero genitos concubitu, vel Titanum cruore emerſos, diris devovere, robur vel ſaxum emeritos, nec iter remetiri vult in patriam donec, inquit, protervo halitu excita procella exſæviat; fingebat enim ſe ideo ſolum natale vertiſſe, quod ipſum pater propter novercales inimicitias proſequeretur: vix autem arenam poſt decurſa maria ſalutaverat, cum eum graſſatores nocturni ſub ipſo noctis crepuſculo invaſerant prædam multam in peregrino homine expectantes. Theop. ergo captus eſt ſubito amore tantæ indolis & virtutis in ætate vix ſatis adulta, & quamvis advenam & ignotum amare cœpit.

CAP. XI.

Theop. cum ignoto hoſpite ſolvit è portu, Italiam luſtrat, ejuſque miracula recolit, tum repetens portum, & in altum provectus per Syrenarum inſulas quærit an ea ſint vera quæ de illis vulgo jactantur.

Hic Juvenis qui quamvis nomen, genus, patriam celatam vellet, non tamen dubitabat ſe propter neſcio quas ſimultates extorrem è patria fateri, neque ſibi genus eſſe clarum negabat: inſuper orabat Theopompum, quem propediem alto ſe crediturum fama vulgaverat, ſibi ut liceret in comitem navigationis adſciſci,

ſciſci, nam ſe teneri deſiderio peragrandi terras quas à ſuis finibus natura removiſſet. Theopompus victus ea virtute vix ſatis adulti hoſpitis, qui tamen fortiſſimis viris reſiſtendo par eſſe potuerat, petitioni annuere ſibi videbatur; obtulitque non modo navigium, ſed & pecuniam, & omne humanitatis officium eidem exhibuit, qui par pari rependere verbis laborabat. Præterea eum hortatus eſt ibidem pernoctare, quatenus luce poſtera expeditior ad navigationem, quæ ad primos Auroræ radios erat ineunda, foret. Igitur ſalutato in prolixam dierum, menſiumque moram Andronico, hoſpes obtemperaturus certare conabatur officio: tandem nocte jam ad thalamos vocante ad ſomnum quiſque diſtractus eſt.

Vix Aurora littus Liguſtici maris libabat, cum nautarum ſolventium è portu clamores exauditi ſomnum penitus excuſſerunt, omneſque impulerunt ut cultu tumultuarie compoſito ad littus tenderent, ubi parata trireme ſine mora Remigum officia ſic geminantur, ut intra biduum ſpirante ad arbitrium Zephyro portum adverſum, quem Herculis appellant, læto celeuſmate ſalutarent. Urbem Ligurum ingreſſi ſuperba ædium mole ſpectabilem, miracula cuncta artificum perluſtrant, moxque ſuſceptum iter proſequuntur nulla loca magni nominis prætermittentes.

Tunc Theopompus œſtro juvenili correptus, & ſciendi innata cupiditate accenſus ſollicitare Gobriam, omnia quæ Oenotriam commendabant, hanc enim ſæpius petendo Siciliam oculis luſtraverat, recenſendo complecteretur. At ille: non recuſo, inquit, hac expoſitione de veſtra humanitate bene merere: quare de multis quæ vidi pauca hæc habete quæ animus mihi ſuggeret; & de his plura conjicite, & de ungue Leonem, ut ajunt. Oenotria à vini generoſiſſimi, & defœcatiſſimi feracitate appellata ab Alpibus in altum excurrit,

currit, ac Superum inter & inferum mare media porrigitur, donec ſcindatur in duo cornua, alterum ad mare Siculum, alterum ad Ionium. Sub Alpibus Ligures ſunt; ſub Apennino Hetruſci; deinde Latini; Volci, Campani, & Bruttii. Oenotriam autem nonnulli humano cruri comparant, cujus ſura ſupero mari objacet: tibia inferum reſpicit: pes Ionio Pelago abluitur; Calcaneus Epyrum ſpectat: vola ſeu concavitas Sinum Tarentinum efficit: carnoſiores partes promontoria ſtatuunt, Zephyrium, Carcinum, & Bruttium: digiti vero in Siciliam converſi ſunt: genu promontorium Populonium efficit: coxendix & femur ad Alpes pertinent. Porro quia nondum orbis adoraverat Romam, nedum Oceanus deceſſerat Tibri, licet auguria multa de futura ejus claritate, & magnificentia præceſſiſſent, non eam deſcripſit qualem deinde cæteræ gentes ut arcem Oenotriæ, & Capitolium omnium urbium demirantur, ſed in ipſis pene cunis conſtrictam intra parvos limites; neque marmoream, ſed tantum lateritiam, quanquam non vilibus ædificiis à Regibus ſuis eſſet vel tunc decorata, & nobilis. Itaque de illa ſic Gobrias: Roma à ſuo conditore ſic nuncupata in ea ſita eſt regione in qua laſciviens natura divitias ſuas largo ſinu profundit, hinc ea Campania Bacchi & Cereris certamen non immerito appellatur. Cœli autem tanta eſt clementia, ut hanc ſpirantibus auram valetudinem atque robur inſpiret.

Sic accendit animum Theop illa liberalioris naturæ benignitas, ut ſine mora rogaret Gobriam, ſi commodum eſſet, ut ea benignioris cœli clementia una omnes fruerentur: poſſe interim nautas ad proximum Latio portum triremem appellere. Annuere cæteri, neque Gobrias recuſavit hanc principi voluptatem & legitimam & ingenuam: cocirca equos curſorios conduxere, quo maturius in Latium ſe reciperent. Nec

mora

mora longa interfuit, quin & Latium & urbem Romam ſalutarent. Per Carmentalem portam ſucceſſere, cujus à fronte criſtata Minerva, & Venus Quiritium mater in excubiis quaſi emicabant ad tutelam. Advenæ urbis novæ elegantiam admirantur; ſimul Templa, Circum, Amphitheatra, Thermas, Obeliſcos; & in Tarpejo monte columnas jam in altum aſſurgentes, & magnæ cujuſdam futuræ molis indices. Speculantur etiam aquæductus nondum tamen marmoreos: Arcus etiam triumphales nondum ad illam magnificentiam imperialem aſſurgentes. Denique adoratis novæ urbis miraculis Parthenopem cogitant: nam ejuſdem ſortita eſt cœli tractum Parthenope in auſtrali Oenotriæ parte poſita: Moxque Apruſium petunt, ubi Canna Annibalis deliciis, & clade Romanorum nondum famoſa. Porro ſupra cæteros montes Apenninus verticem attollit, & in Oenotriam procurrens, bifariam illam dividit; è cujus fere media longitudine Tiberis defluens, multiſque deinceps auctus fluminibus ab Hetruria Latium, Janiculum ab urbe Roma dirimit: tandem decimo quinto ab urbe lapide binis oſtiis in mare devolvitur.

Poſtquam luſtrata pene Oenotria tota omnes equorum curſu in portum delati ſunt, conſcenſa trireme in altum mare remigantium viribus ſe promoverunt; præterierantque Syrenarum inſulas cum Theopompus rogavit Gobriam utrum eſſent vera quæ de Syrenis antiquitas fabulata eſt. Tradit ſcilicet earum ſuperiorem partem virginum effigiem referre, inferiorem vero in piſcem marinum deſinere: haſque fuiſſe tres Acheloi fluvii & Calliopes nymphæ filias Parthenopem, Ligeam, & Leucoſiam, quæ cum littus Siculum incolerent, nautas præternavigantes ſuavitate cantus ad naufragium pelliciant. Ulyſſi autem cum illac iter eſſet, ſociorum aures obturaſſe quidem, ſe ipſum vero malo

malo navis alligaſſe, & ita naufragium evaſiſſe. Porro has Syrenes, cum ſe contemni viderent, doloris impatientia ſe in mare præcipites miſiſſe: ſed tamen illas voce, cythara, tibiis tam blande modulari ſolitas ut prætereuntes ſopirent atque concentu ſuo faſcinarent, faſcinatos demergerent. Sed Gobrias, Syrenes, inquit, potentiſſimas fuiſſe matronas putem, quæ omni lenociniorum genere præternavigantes pellicerent, atque earum quidem præcipuam urbem ſuo nomine dictam condidiſſe. Quod vero ad Ulyſſem, fabula monet voluptatum illecebras non poſſe niſi à ſapiente ſuperari, eaſque miſeros mortales in exitium trahere. Imo voluptates iſtæ infames impedimento ſolent eſſe prudentiæ, neque quidquam ſanctum ſapere poſſunt, aut cogitare quicunque fœdiſſima hac labe notantur: adeo rationem eliminat voluptas, animas furioſa perturbat, neque ſinit homines adoleſcere: nam omnia corrumpit & contaminat morbus ille animi, & fœda illuvie corpus commaculat. Quid enim per hos dies inauſum, intemeratumve ab ea? Tantum abeſt ut occultos receſſus, tenebras, & ſolitudinem luſtret: luce palam erumpit: jactat ſuam turpitudinem; de fœditate triumphat, meretrices ipſas & frictrices impudentia ſuperans.

CAP. XII.

Theop. in puppim cum hoſpite aſcendens perluſtrat oculis ſubjectas inſulas, mox audit Ægyptum patriam eſſe hoſpitis, qui de ejus ſitu, Nili origine, & populi antiquitate, religione, miraculis diſſerit: dumque anſa aliis naturæ monſtris datur apparet Sicilia, quam Theopompus clamore & grato celeuſmate ſalutat.

Jamdudum Theopompus vehementi tenebatur deſiderio ſciendi quis ille hoſpes ſibi hactenus ignotus, neque auſus fuerat interrogare donec inſinuatis ſenſim ſermonibus hunc princeps in puppim remotas hinc & in-

& inde regiones libera oculorum acie, ſudum enim, & nullis ſtipatum nebulis cœlum erat, quaſi contemplaturus officioſis verbis invitatum deducit, & quaſi perfunctorio colloquio, recenſet inſulas quales in orbis deſcriptione ab amantiſſimo præceptore ſuo didicerat, inque ſubjectas terras oculis vagatur. Corſicam imprimis & Sardiniam ad occaſum ſitas, & Baleares in mari Iberico, ad ortum vero Siciliam, deinde Cretam Ecatompolim, Rhodum Apollineam ad Aſiam, & Cyprum Veneri ſacram perluſtrat, ſubjiciens has aquas inter montes Calpen & Abylam in hunc locum inundaſſe, ipſaſque inſulas continentem olim fuiſſe antequam Hercules extremo labore montes illos ab invicem dirimeret, figeretque ibidem columnas laborum ſuorum metas alteram quidem in Africa, alteram vero in Iberia quam Heſperiam ultimam appellitant.

At hoſpes jam mutuæ neceſſitudinis & conſuetudinis vinculo Theopompo devinctus, familiariter converſari, & omnia regna quidem peragraſſe quæ dimetirentur oculis, ſed inſulas paucas celebraſſe, nempe patrem ut requireret, qui ſe inconſulto cum Europæis abducta ſecum captiva quam in ſponſam ſibi pomiſerat, ex Ægypti patrio littore ſolverat? Tunc enim ſe in Peloponneſum trajeciſſe cum pater, quem ex Hyerophantum collegio eſſe non ultimum aſſerebat, plagam ſibi incognitam penetravit, incertum eſſe ceſſiſſet fatis, an viveret: nihilque ſe ducere nec immenſas quidem opes ſibi relictas, præ deſiderio tanti patris: ſibi vero nomen eſſe impoſitum Heliopolitam quod in urbe Heliopoli lucem primum hauſiſſet.

Obſtupuit attonito ſimilis Theopompus ubi Ægyptum patriam audivit, ſubdiditque de Diis bene eſſe ſperandum, unum tantummodo ab ſe rogari, nimirum ut à ſuo latere nullo modo recederet donec intra biennium repeteret Galliam: prædeinque manum obtulit

ſe

Digitized by Google

ſe poſtea votis illius facturum ſatis. Æſtimavit Heliopolita animi gratia hæc jactari: donec magis confirmatus obtemperare decrevit, incerta mente tamen bonum tantum expectans. Tunc ea ſpe factus hilarior, Ægypti quam patriam eſſe affirmabat, prodigia quædam, dum rogaretur à principe, ita cœpit adhuc in puppi poſitus Soli contexere.

Ægyptus noſtra Arabiæ atque Æthiopiæ Nubiæque confinis Canopio oſtio ab Africa, ab Aſia Peluſiaco diſtinguitur, & inſulam maxima ſui parte efficit ita ſe Nilo ſcindente ut triquetram figuram effingat: quo contingit ut à Græcæ litteræ ſimilitudine ſit à pleriſque Delta cognominata: pars tamen Orientalis ad Erythræum uſque ſinum protenditur: ad Septentrionem Pelago alluitur, à cervice & humeris Æthiopiæ inſerta eſt. Porro Nili dubia eſt origo; veruntamen hic amnis ampliſſimus è ſcopulis tanto cum fragore erumpit, ut ſurdos faciat Catadupos accolas. Sic per dies quadraginta æſtivis fervoribus exundans aridam abluit, & per totidem dierum detumeſcens in alveum ſuum ſe recipit: cauſa incrementi imbres Æthiopiæ. Apud Memphiticos autem turris aſſurgit, ad quam ſi Nilus excreverit, ubertas anni portenditur.

Urgenti Theopompo, ab Ægypto, inquit, Dauni fratre nuncupatam volunt eam plagam quam Aëriam, & Thebas dictam olim nonnulli autumant. Ægyptii autem ſe mortalium antiquiſſimos reputant: jamque annorum quindecim millia enumerant. Verum Rex Ægypti Pſammeticus ille qui Labyrinthum citra fidem omnem admirandum ſub terram extruxit, novo commento inveterati erroris gentem coarguit. Etenim cum cupiditate incenderetur explorandi quinam hominum primi extitiſſent, vel qui ſermo homini à natura ab initio datus, infantes duos jam inde à cunis juſſit in ſtabulo enutriri à paſtoribus qui caprarum ube-

Digitized by Google

ribus ambos admoverent citra omne mortalium consortium atque commercium linguæ. Jam adultos mandat Rex pueros ad se deduci, qui porrectis manibus procidentes Beccus exclamarunt. Sciscitante ergo cujusnam gentis esset ea vox, constitit à Phrygibus panem Beccum appellari: & ex illo Ægyptii laudem sibi arrogatam Phrygibus concessere, & vanam de se suaque gente opinionem deposuere. Porro hic fœminæ negociari, cauponari, institoria obire munera consuevere. Vestem Sacerdotes lineam gestant, calceos autem papyraceos: fabam neque ab illis seri, neque aliunde natam comedi mos est, siquidem immundum est illis id legumen: Deorum cultus usque ad superstitionem religiosus, unde fit ut viliſſima quæque animalia, plantas, excrementa inter divinitates suas recenseant.

Ad hæc Theopompus, scio equidem, & sæpe à Theandro nostro repetita audire soleo alia quam plurima apud gentes exteras reperiri quæ offendiculum ingeniis ponunt quidem, sed quoniam in multarum ætatum consuetudinem transierunt, in naturam & genium locorum conversa. Verum missis tot ambagibus quæ Thebana monstra superent, vacavit inquirere, utrum evulgata nuper cujusdam urbis Lybiæ metamorphosis ad hospitis aures perveniſſet? & ille prorsus perveniſſe: neque minorem assensum huic commento quam Persei fabulæ in Andromedæ nuptiis ad revelatam Gorgonem omnes in saxa convertentis se dediſſe. Cui Theopompus: Sed quis adducatur ut credat eodem momento temporis cujusdam urbis in Africa cives ad unum omnes nescio quo influxu prorsus inaudito in lapides sic obduruiſſe, ut eodem gestu, motu, ac inceſſu quo compositi erant, repente lapidescerent? Omnino hic latent ænigmata ab alio Oedipo resolvenda. Quid si urbem aliquam quæ Petra cognominata

sit

Ad hæc Heliopolita: opes ſunt nervi bellorum, arces Imperiorum, valla ſceptrorum, auro adamantinæ fores perfringuntur, nihil tam munitum quod non expugnari; nihil tam ſanctum quod non violari pecunia poſſit, adeo nihil eſt divitiis arduum. Has nemo non ſuſpicit, nemo non exoptat, & quod optimum videri volunt ſæculum, id aureum appellitant.

Contrà Senex: quicquid, ait, aptam moderationem ſupergreditur oneri potius quam uſui eſſe ſolet. Fœlicitas eſt bracteata, perſonata, ſupparata, & velo quodam adumbrata, ſic ut foris, & in fronte hi tales beati ſint; intus vero & in receſſu infortunati: in congerendis enim divitiis quot ſudores; quot anxietates in conſervandis? quanto dolore quærunt ut acquirant, acquirunt ut perdant, perdunt quod doleant? an Socrates, qui virtute non divitiis fœlicitatem metiebatur, Perſarum Regem fœlicem æſtimavit? In hoc fœlicitatis luſtro ſubit ſuperbus Lydorum Rex, qui immenſo auri argentique pondere ferox, ſe mortalium omnium beatiſſimum Soloni ſic olim jactabat; ecquem fortunæ chariorem vidiſti? Cui ille, beatiorem ſe Tellum Athenienſem, cui filii fuerant à moribus bonis & honeſtate commendati, ipſe vero ſplendida periodo & publicis honoribus coronata cum hoſte confligens purpuream effudit animam. Reclamanti atque refraganti Cræſo talia ſubdidit:

Scilicet ultima ſemper
Expectanda dies homini eſt, dicique beatus

Ante

Ante obitum nemo supremaque funera debet.

Effatum exitus explicuit : nam haud ita multo post Lydus à Cyro debellatus, exutusque superbo imperio, necnon illa divitiarum mole in pyram subjectis ignibus attollitur. Quam sæpe male parta male dilabuntur? Adde & alia si lubet his fortunæ donis naturæ munera : sis ipso Apolline venustior, sis comptior Libero, sis Mercurio facundior, Narcisso formosior, Adonide ipso amabilior, te denique seu Pandoram aliquam singuli Dii suis donis ornaverint, ne te quidem etiam tunc beatum prædicabo, nemo siquidem mortalis est, quem non attingat dolor.

Hactenus pene omnes suffragium suum fœlicitati non veræ sed fucatæ dederant : una supererat senis sententia qui voluptatem sensuum, opes, potentiam, principatum, gloriam inanem, ipsum etiam regnum expunxit, uti soli virtuti locum daret. Rogatus est igitur mentem suam apertius explicare, & penetrando in adyta Philosophiæ quæ sit natura genuinæ & legitimæ fœlicitatis, quæ gaudia de supremi boni scatebra manant aperire, quando hactenus adulterina, ludificans, & tantum blande novercalis voluptas consessum tenuisset, ab uno solitario repulsa, proscripta, & sapientum cœtu amandata.

CAP. IV.

Senex in sola virtute fœlicitatem veram docet consistere, & utramque in solitudine, non in seculo comparari.

Tum Senex congressui coronidem sic imposuit: In eo summum bonum consistere quod seipso contentum est, nemo sanus inficias ibit. Sola autem virtus mascula, spretis aliis quæ bona fortunæ nominantur, sibi ipsa sufficit, non voluptates sensuum, quæ explere mentem nequeunt. Cumque id verum & solum bo-

Digitized by Google

num exiſtat, quod honeſtum, utile & jucundum, quod ſtabile, durabile, ac permanens eſt, quis niſi ex Epicureorum hara delicias corporis ab honeſtate alieniſſimas ac perituras, bonas ac beatas eſſe mentiri audeat?

Ad ſummam ſapiens uno minor eſt Jove, dives,
Liber, honoratus, pulcher, Rex denique Regum.

Is autem ſapiens eſt qui res ut ſunt, quales ludificatis apparent ſenſibus, non vanas pro caducis, veras pro certis apprehendens, ſupra mortalitatem evectus tanquam ludibrium cuncta deſpectat: atque his unis qui perituris voluptatibus calcatis, virtuti nomen dederint vita beata eſſe poteſt. Nihil enim melius homini à Deo conceſſum unquam, quippe virtus ampliſſimum eſt ſibi præmium, ſibimet pulcherrima merces; omnia ſiquidem adſunt bona penes quem virtus eſt. Sola eſt expers ſepulchri, expers funeris, expers omnis luctus, cui cedunt omnia, honores, fortunæ, voluptates: hæc nec eripi, nec ſubripi poteſt unquam, non naufragio vel incendio amitti. Quod ſi ad culmen ejus ardua & lubrica via eſt, conſummatos tandem coronabit.

Attamen, reponit Theopompus, depravati orbis incolæ in hujus ævi mollitie enutriti has omnes honeſte vivendi ſanctiſſimas leges, à ſuis abhorrentes moribus, inſanæ mentis æſtum reputant, dum quempiam voluptatis, gloriæ, Imperii, opum comtemptorem, eremum ſæculo anteferre vident. Reſumens Senex, aut, inquit, errant iſti amatores ſeculi, aut, nefandum dictu, fallitur harum legum author Deus. Caligant ergo in media luce lippi ad intuitum veræ lucis, nec animadvertunt contemptum rerum inanium, omnem peccandi libidinem, imprimis pompam veſtium atque epularum, quod eſt infamis hujus Ceraſtæ (mundi) geminum cornu reſcindere. Quemadmodum enim ſal aptus eſt exſiccandis carnis humoribus, haud ſecus

odium

odium præſentium erumpentes carnis tumultus compeſcit, quæ more belluæ abjectis lupatis admonita libertatis, & impotens ſui, nullum cupiditatibus modum imponeret dum igni alimenta miniſtraret. Quis viator, ſi ſarcinarum aut veſtium mole premitur, concupitæ patriæ fines ſalutabit celerior? alioqui Biantis more nullo impedimento gravis, ſed ſuccinctis lumbis alacer ad capeſcendum iter transvolabit; Aut quæ volucris luto aut viſco pennis libero cœlo emicabit? Cœlum patria eſt, opes vero iniquum pondus aut certe relinquendum aut cum Crate perdendum, ne te ipſum ingrato ſervitio perdat. Derident cæci ſepultos eremo, at nos brevem hunc carcerem vinculorum æternorum metu volentes amplectimur.

An ulla libera magis & vitio carens,
Rituſque melius vita quæ priſcos colat,
Quam quæ relictis mœnibus ſylvas amat?

Nocens eſt ſæculi commercium. Solitudo impollutos ſenſus ſuo vallo protegit. Omnino, hoſpites mei, inducere vos deberet illa ſuavitas, quæ in contemplatione à ſolitariis exſugitur, vera illa ſcientia quæ ſine ſtrepitu verborum in ſolitudine perdiſcitur: ſolitudo autem ſicut novit emendatis moribus ſupernæ contemplationis arcana referare, & intuitu ſinceriſſimo ſpiritualium ſacramentorum revelare ſcientiam; ita ſæculum eorum qui minus à nævis abſunt vitia non ſolum tueri ſed etiam congerere conſuevit.

Surgit infœlix habitator urbium media nocte ſomno curis, non raro nocturnis viſis interrupto, ſeu mercibus aucturus rem familiarem, ſeu pupilli expilaturus ſubſtantiam, ſeu vicini conjugem pudicitia armatam expugnaturus blanditiis, ſeu injuſto litigio graſſaturus, ita peſſimus artifex antelucanis horis telam orditur, qua ſe alioſque involvat ſacrilega Arachne deterior. Hunccine beatum prædicabis?

Surgit ſolitarius fœlix, pernoctantis Philomelæ cantibus experrectus thoroque vix dum impigre excuſſus, ad divinas accingitur laudes, quas indefeſſo linguæ famulatu & pio mentis obſequio in dies, in horas repetit, plenuſque ſecuri timoris & ſpe fretus fœlicibus madet lachrymis, adeo ſolitudo veriſſimæ lætitiæ alumna eſt. Pythagoras nonne integri anni curriculo in ſubterraneo delituit ſpecu, ut humano abſtinens commercio colloquio Deorum dignus haberetur?

Invehantur ergo totis eloquentiæ nervis in beatos ſacræ ſolitudinis incolas Tiphœi hujus ſæculi; interim fœliciores in crepidinum Nili cavernas impia tela declinabimus, dum fulmen cudetur, in cervices meritas detorquendum. Illuceſcet aliquando ille dies, cum in imum detruſi barathrum obſtupeſcent ad eorum immarceſſibilem gloriam, quos ſceleſtæ Satyræ morſu laceraverunt, & inter anguſtias in has voces fractoſque ſuſpiriis queſtus fero erumpent: ergo ne iſti ſunt quos cachinno quaſi ludibrium & fœcem orbis excepimus, in quos dicteriis procacibus armatas linguas vibravimus, dum inſanæ mentis æſtum reputavimus vitam illorum, qui optimam filiorum Dei ſortem ſortiti ſunt? Ergo à certa via defecimus in ſalutis rebus cæcutientes, & Bœotis ſtolidiores imminentis horrorem fati non perſpeximus; ſolutis cupiditatibus præruptas ac lubricas inceſſimus rupes, & ex orbita juſtitiæ defleximus in ſalebras. Sed jam vela deduco & receptui cano, vos auriúm faſtidio pro veſtra humanitate parcite.

CAP. V.

Senex in hortulo ſermonem de fœlicitate proſequens ab adjunctis concomitantibus utriuſque vitæ ſecularis & ſolitariæ probat hanc eſſe fœliciorem, nataque occaſione de incerta mortis certiſſimæ hora loquitur.

Inde ſurgentes ſubjectos hortos ſpatiando perluſtrant, non quidem ad mollis elegantiæ amœnitatem

tem luxuriantes, ſed ad ſanctæ modeſtiæ legem ſudoribus ſenis excultos. Mirabantur autem, quanquam non anxia arte quæſitus eſſet decor, omnia tamen gratiſſima virietate ridere. In hortorum meditullio ſaxea moles in umbonem aſſurgebat, unde ingens aquæ vis, quam excipiebat magni ambitus lapis, ſcaturiebat ruſticum edens concentum, & ſuavi cadens ſuſurro in ſubjectos rivulos præcipitabatur. Fons hortis perlutis proximum alluebat ſaltum, qui lætioribus ramis arbores veſtiens innumeros alebat choros avicularum, quæ variatis modulis, molli aquarum ſuſurro hilarem in modum reſpondebant. Inde rivulus devolvebatur in fluctus. In hunc modum laſciviens in hac eremo natura omnem videbatur explicuiſſe induſtriam, & ipſam artem prævertiſſe. Pulchritudo, & copia aquæ, tùm nativa frigiditas Theopompum rapuit, qui captus juvenili voluptate manus & ora fonti admovit. Omni cryſtallo limpidiores aquæ ludibundo flexu, & molli ſuſurro interlabentes, gramen quoque in tumulos gratiſſimè aſſurgens, & conſitarum arborum umbræ ad ſedendum hoſpites iterum provocabant: ſed & ipſi invitati à ſene non abnuunt, nondum etiam Sol mediam cœli tenebat orbitam: adjuvit inçœptus de fœlicitate ſermo, çui anſam offerebat Theop. dum ſuam fœlicitatem cum ſolitarii ſorte çonferebat. Cum enim nihil ſe offerret, niſi abhorrens à luxu, ſtupebat quod ille ſe nihilominus fœciliſſimum mortalium prædicaret. Et Senex, mirum eſt, inſit, quod cum omnes ad fœlicitatem, tanquam ad ſummum bonum aſpirent, tamen in tam paucos homines incidat ejus poſſeſſio. Unde tanta illa calamitas, niſi ex caligine quæ offundit oculos, & animos ſic obnubit, ut in illo fœlicitatis quæſtu decipiantur tam multi qui citra fœlicitatem tantum bonum inveſtigant. Alii enim in honoribus, in voluptatibus alii: hi in ſcientiarium quæſtu, illi in-

divitiarum positam eam esse existimantes, ab illa tantum aberrant, quantum accedere sibi persuadent. Atque inde tot scelerum seges, tot origo malorum; tot insidiæ atque doli; tot simultates, lites, & cædes.

Dicamne fraudes plurimorum, imo & labores, & discrimina tam irrita? uti plerique alium orbem navigio sibi aperiant, quatenus merces, & ex mercibus opes, & per opes fœlicitatem assequantur. Tantum est in singulis mortalium pondus in fœcilitatem. Quid si alios cæcæ mentis ambitus recensuero? si lugendos casus, & mille capitis discrimina, si aberrantis animi lapsus enumeravero?

Quid si fidem hujus sæculi emortuam, si mollem & infensam masculæ virtuti devotionem dixero? si novas virorum, ut jactant fortium species, & novam impiorum Philosophiam, qui Dei Opt. Max. numen omnino tollunt ut effrenatius cupiditates solvant, & voluptatum stercore Epicuri de grege porci sese expleant.

Is vero est ambitus, qui in deceptas mortalium mentes irrepsit, ut mendaces nobilitatis titulos scutataque insignia nemo non præsumat, quibus eruat suum nomen de plebis tabula. Quid dicam, Zelum non è cœlo, sed è cœno, qui sacro igne juventam consumit, quam aris seu diris potius miserrimi parentes devovent licitatione facta non ut evadat sanctior, sed vel ut orbi præfulgeat aureis gradibus, ad solium sanctissimæ dignitatis nonnunquam evecta, vel onere suo familias sublevet in collegia Saronitarum aut Bardorum non sponte intrudenda.

Exedit alios Zelus qui legitimam potestatem ut in politicis sic & in sacris ferre non potest, & Hercules adustus igne periculose scrutatus ardua, humanamque excedentia facultatem inquieta scientia religiosum ordinem perturbat; & quæ in schola arcana debent esse,

Eleu-

Digitized by Google

Eleuſiniiſque ſacris ſecretiora ea palam facit, & uniones pluſquam Indicos ſuibus polluendos objicit, ita ut nihil tam ſanctum ſit in pontificum ſacris, quod plebs & fœmina inſcitia ſua & pertinaci garrulitate non fœdent.

Is eſt etiam, credite hoſpites mei, is eſt noſtra maxime ætate ferrea, inſanus error, & tetra rerum facies, ut in ſacris atque politicis ſecures & infulæ ſæpe dentur non ſanctioribus ſed magis gratioſis, non doctioribus ſed ditioribus, & diutino aulæ non cellæ, deliciarum non ciliciorum, voluptatis non virtutis tyrocinio exercitis. Quis ad magnarum dignitatum culmina niſi aut gratia, aut opulentia, aut ſorte pervenit? inde fit ut magnorum ingeniorum magnæ dotes veluti debiles & ipſa paupertate ægræ taceant. Ubi illa primigeniæ pietatis obſervatio? ubi cana fides & avita religio? exceſſit ex mortalium indigno cœtu hæc Aſtræa, & pertæſa infamis conſuetudinis cœlos reviſit; vel ſi quando mortalitatem non dedignata eſt, latet in eremo, ne, ſi repetat conſortia civitatum, invidioſo faſtu amandetur.

Neque deſunt paraſiti conviviis; qui ubi primum vino incaluerint, verba, ne Alexandrinis quidem permittenda deliciis, riſu, & oſculo excipiunt; in myſtas & myſteria impune debacchantur; non religioni, non Deo parcentes. Vox una eſt, luxuriandum eſſe; priuſquam roſæ marceſcant eſſe delibandas, non vitam aliam præter iſtam, aut aliud ſummum bonum eſſe poſſe; corporeis ſolutam vinculis animam minime permanere; parem eſſe corporum & animarum interitum: nefas putant aut nugas, Epicureos ſecuti, cum tam multa ſibi cum ſuibus conveniant, hoc uno ab eis intereſſe. Sin inter ſacra hæc aſſeclamina τοίχους quiſpiam adfuerit, audebit iſte divinam legem cum Stoicorum & Pythagoreorum ſententia in ſcenam adducere, illos ſuggillans quod vitam æquævam cornici-

bus tribuant. Neque Theoninum dentem declinabunt, qui immortalitatem quidem animorum profitebuntur, ſed qui ex corporibus in alia corpora migrent, ita ut idem jam ſit gallus gallinaceus qui Trojano bello Agamemnon fuerat. Denique ne qua gehennæ æternitate terreantur; æternitatem omnino tollunt, & religionem haud aliter quam ludibrium, regioſos viros quaſi mimicos derident. Talium Philoſophorum infolens opinio credula ingenia periculoſiſſimarum opinionum irretit laqueis.

Nos ſentimus ſecutius, animum hominis ſimplicem quandam & individuam eſſe naturam ad exemplar divinitatis expreſſam, licet ortus participem, tamen interitus expertem, quæ corpore ſoluta, ſi ſe pure ac pie geſſerit, in cœlum evolet, æternam illis Dei beneficio fœlicitatem adeptura; ſin ſe malis, iiſque inexpiabilibus cupiditatibus corrumpendam dederit, ad inferos nunquam terminandis damnanda ſuppliciis deprimatur.

Ignoſcite quod ille impetus me mihi eripuit, faciam in poſterum ne meus ille dicendi ardor tam acer exiſtat, aut ſi mihi authores eſtis, hic ergo metas figam.

Tum Gobrias, demulſiſti, nec inficias eo, ita certis coloribus ætatem noſtram expreſſiſti. Grata ea ſatyra, ut quæ maxime unquam fuit. Adeo homines ſui amantes, fallaces, inertes, Deo infenſos, turpes, impuros, perditos noverca ætas noſtra tulit, ubi omni fracta ac debilitata ſunt, non ratio, non modus, non lex, non judicium, non religio viget? denique res eò delapſa eſt, ut ne ſpes quidem ad melius relinquatur. Sed tu, ſi nos amas, impetum illum ingenii repete:

Callidus excuſſo mores ſuſpendere naſo.

Aſt ille, effuſa bile nobiliori impetu virtutem ultimam colligens congreſſum ſic claudit, ergo (mi Theopompe)

Aliquid decoctius audi.

Num

Digitized by Google

Num tu vero ex illorum es grege, qui ſi aut opibus, aut generis claritate præcellunt, quaſi ignobiliorum Dii eſſent, pro nutu ſævire licitum ſibi putant.

Nobilitas ſola eſt atque unica virtus.

Ne ergo erectam procero corpore cervicem circumferas; non fortunas, non amicos jactes; ſed unde iſta & quò declinent adverte. Pleroſque ditiſſimos ſcio, quod ævi rapinis efferbuerint: genus vero ſi altius repetant, forte ex ſutrina aut piſtrino deducent.

Quid genus & proavos ſtrepitis? primordia veſtra
Authorem ſpectate Deum, ſpectate parentem.
Nam genus & proavos & quæ non fecimus ipſi
Vix ea noſtra voco.

Denique mors neceſſarium munus eſt naturæ, corruptio namque mortis imago eſt: tolle corruptionem, ſectare virtutem, immortalitatis viam ingreſſus es, ut autem vultus hominum, ita ſimulachra vultus mortalia ac imbecilla ſunt; fama mentis æterna quam tenere & exprimere non arte aliena, ſed tuis ipſe moribus cum Heroibus noſtris, aliquando poſſis.

Applauſit dicenti cœtus, ſuamque ſortem & riſit & luxit, & Gobrias manu ad fidem compoſita ſanctiſſime aſſeruit, non multos abituros dies priuſquam pii propoſiti conſors eſſe, & ſolitariam vitam agere incipiat. Ipſeque Theop. furtivis oculis verberans, ubi extra ſermonum arbitrium conſtitit. Prædem hanc manum, ait, accipe, nil me præter id quod fieri velim, dixiſſe. Mox intendentes ſe radii Solis ab invicem, eos ſermoneſque diremerunt. Ergo ad navim quiſque gradum convertere, comitante interim Sene hoſpites ſuos, & ſanctiſſimis veræ Philoſophiæ præceptis eos per viam informante. Sed Theopompum nihil afficiebat magis, quam objecta toties imago mortis: Ne vivam, inquit, nihil ita me terret ac illa, dum mentem noctu obverſatur mortis memoria: quanquam quid eſt quod illius

Digitized by Google

arma reformidem cum & corporis, & animi, & ætatis vigor mortis ſævitiæ pluſquam par ſit? Quid juvat ante ſenectæ tempora ea cogitatione torqueri, & mortem ante mortem ipſam oppetere? At Senex, ſingulis horis inſtat mortis periculum. Hic in balneo, ille in foro, domi alter, alter vero militiæ, alius in urbe, alius in agro inſperato fato occumbit: hic dum ſorbet ovum, ille dum ſcyphum haurit: multa enim inter os & calicem cadunt. Neque mihi, clariſſime juvenis, ætatis florem, & decus genarum commemora: mors lilia ſentibus æquat. Neque temere mortales dicti ſunt ἐφήμεροι, cum non ita ſint abſimiles aviculæ, quæ Hemerobios appellata eſt, quod non ultra diem viveret, tamen alimenta quaſi annos corvi victura, congerens. Vita creſcendo decreſcit, & hunc ipſum, quem agimus diem, cum morte dividimus. Neque tuas opes, aut tuum genus, adverſus fati immanitatem tibi ſubſidio fore exiſtima; ſiquidem mors ſine delectu ſortitur inſignes & imos: neque ipſi purpuræ parcit, ſummos & infimos eodem ſpiculo feriens: non divitiis corrumpi, non flecti precibus, non lachrymis molliri, non viribus humanis ſuperari poteſt. Miſcet coronas petaſis, ſceptra ligonibus: ſurda eſt, neminem audit; cæca, neminem diſcernit; incorrupta, nemini ignoſcit. Quare non eſt quod tuo faſtigio intumeſcas, fili. Sed cautus fueris, ſi mortem ubique expectaveris. Una mortis memoria & ſperata fœlicitas ſæpe noſtram eremum replet etiam principibus viris.

CAP. VI.

Unde naſcitur ſolitariorum fœlicitas, qua ratione abſtractu è ſinu Muſarum veram poſſunt habere ſcientiam; ecquæ volumina manibus verſant. Concludunt ſermonem ab exemplo Sardanapali, & miſſa Mauritania ad Celtiberos cogitant.

Ad littus pervenerant, & dum nautæ navim ex tempeſtate nonnihil mutilatam adhuc reparant, tan-

tantillo rursum colloquio locus fuit: nam cum paulo ante dixisset Senex unam mortis memoriam, & speratam fœlicitatem sæpe eremum replere principibus etiam viris, Theopompus obstupescens sic est interfatus: quæ vero tanta in eremo fœlicitas, ut ad hunc opum, imperiorumque contemptum principes etiam viros adducat? Retulit Senex; contemplantis arcana divina, & purissimæ mentis intuitu Deum assequentis quanta suavitas! subdidit Theopompus; unde tibi tantum lumen, optime senex, qui ab ipso ætatis vere abstractus es è Musarum & publicæ lucis sinu? Cui senior; ipse adhuc tyro artium liberalium commercio, & ex ipsis lucis publicæ quasi rudimentis subductus ut melioris sapientiæ tyrocinium deponerem, non Sophisticam & jactabundam Philosophiam tero, unde fastus superbæ scientiæ, non animi pastus hauritur: non inanibus hæsi scholarum fallaciis quæ Sciolos sic extollunt, ut in ineptias plusquam mimicas nonnunquam efferantur, adductoque supercilio grandia verba trutinent; imo parum abest nonnunquam quin disrumpantur; & Arcadiæ pecuaria rudere credas. Porro volumen quod indefessis lustramus oculis, & unde veræ sapientiæ arcana promimus, orbis ipse terrarum est, & quidquid ad universi complementum artifex natura in orbe inclusit. Liber ampliſſimus est, qui non ambiguis docet figuris; non abstrusis utitur ænigmatibus; sed apertissimis ad cultum supremi Numinis, ad præsentium rerum despectum, & æternarum desiderium, ad veram fœlicitatem assequendam imbuit documentis. Speculum est perfectissimum in quo divina placent, humana displicent; cœlestia accendunt, terrena fordent; stant æterna, caduca fluunt. Sive Cœlorum orbes & Syderum periodos, sive innatam cuique elemento virtutem, sive mixta, sive simplicia corpora contemplamur, ubique mira divinæ laudis ansa. Horum

rum ſi primordia, vel ordinem, interitum vel in centro quietem ſpectamus, ubique ingentis ſtuporis argumentum.

In cœlis incorruptibilem naturam ſuſpicimus, damnamus inſtabilitatem. Quam rapidus eſt primi mobilis curſus, tam celeres eſſe motus ad interitum in ſublunaribus reputamus. Naſcuntur enim ut pereant, incipiunt ut deſinant, fluunt ut nunquam refluant, nec uſquam niſi in perenni fluxu ſedem ſtabilem obtinent: at nulli viciſſitudini ſubjici ſolius eſt æternitatis quam nulla temporis deſcriptio metitur, quæ nullum ortum vel interitum patitur, nullam temporis ſucceſſionem tolerat.

Hujuſce rei imaginem perpetuæ aquæ è rupe labentes, & in rivum perennem coëuntes mihi offerunt. Hæc enim eſt communis lex & fatum, ut quæcunque mortalem ſortita ſunt naturam, ad ea feſtinent reverti unde orta ſunt, & quos terra parens luci dedit, eoſdem materno ſinu recipiat. Circumferamur quantum libet, fatorum legi fruſtra reluctamur, ab ipſis cunis ad interitum ruimus, nec ſecius quam fluctus fluctu pellitur, ita vitam lethum excipit, abit natura, ſenſus hebeſcit, nullum adverſus immites Parcas azylum.

Noctis luciſque alterna ſucceſſio mortis & vitæ imago eſt. Modo cœlum ridet nullis aſperatum nebulis, modo procella ſtipatum horridius efferatur. Igneſcit fulgetris, mox purior eſt. Sapiens Delirus appoſite fingit, Jovem inter geminum dolium dulcem & amarum, gaudia & ærumnas infundere, quorum alternatas vices in natura jugiter arguimus. Denique vita ſoccus eſt vel cothurnus, cujus cataſtropha feralis plerumque. Ille Agamemnonis perſonam agit, iſte Sinonis, hic Crœſi, alter Iri. Momento prodit in ſcenam, momento aulæum tollitur. Ecquid ex vana fœlicitate, ex epulis, choræis, ludis poteſt eſſe ſuper? ubi illa, debac-

debacchantis vitæ tripudia. Non aliter mens agetur quam inani præcincta insomnio, quod irrita voluptate sensus male cautos decipit: siquidem somno excusso nihil spei reliquum est.

Dum Baccho & Veneri, dum ludo traditur hora,
Fert amor in thalamum, sit thalamus tumulus.
Cernite quo miserum Assyriæ rapuere Tyrannum
Illecebræ, abjecto culta pudore Venus:
Regia magnifico splendebant atria luxu,
Fœmineis aderat Rex, præratque choris:
Dumque per obscœnum mollissima carperet agmen
Otia, fœminea vesteque membra tegit;
Non tulit ardentes strictis mucronibus ignes,
Non tulit Arbacti tela vibrata manu.
Quæstibus at questus cumulat, nec tela furentis
Fortunæ patitur, structaque busta subit.
Huic blandi squallent oculi, qui lampadis instar,
Phœbeæ radiis emicuere Solo.
Vulcano superante perit jam fœda favillis
Forma, sed in cineres frons quoque versa perit,
Assiduo Cypria princeps lascivus in aula
Vixit, & exiguo funere perdit opes.
Assyrius Cyprio Rex quondam exarserat igne
Vivus, at emoriens igneus igne perit.
Mortuus æternis infœlix flagrat in antris,
Suggerit & rabidis pabula digna focis.

Utrum beatum æstimabitis hunc Sardanapalum? Recte utique is apprehenderet qui justo æquitatis pondere cuncta sic apud se libraret. Inanis est sæculi fœlicitas, ergo declinanda, & quærenda securior. Sola virtus beatum efficit, ergo sequenda. Deus est summum bonum, quidni cæteris anteferendum? in hac una doctrina certa fœlicitas posita est, non in Philosophorum argutiis, non in κακοτεχνία seu mundana eloquentia, quæ mendacia vanissimæ orationis suæ fuco ingerit. Hacte-

nus

nus ſolitarius ſenex quem adhuc dicentem dum hoſpites in navim ſe recepturi interrumpens Gobrias quæſiit quid diſtarent ab Lixa Mauritaniæ? Reſpondit Senex, vix eos poſſe quinque diariis navigationem abſolvere; fretum autem modicum eiſdem ſupereſſe uſque ad Celtiberos, quos circa noctis initium poſſent attingere.

CAP. VII.

Solventes è portu ad Celtiberos navim convertunt, interim Theop. audita revolvens quærit cur Bardi, & Saronitæ Galliæ tam ſevere vitam non inſtituant. Portum ſalutant, & Segobrigam paleſtræ cauſa celebrant.

Theopompus audiens à Mauritania ſe plurimum diſtare, imminere autem Heſperiæ, quam propter amœnitatem & genium loci aëriſque clementiam, & imprimis propter eximias dotes Calaidis ſenex commendaverat, ad Heſperium littus navim applicare trajecto freto decernit. Nec mora tollitur anchora ſalutato ſene ſolitario, & remigibus in tranſtra incumbentibus rurſum vectores in mare provehuntur, & circa horam decimam promontorium Veneris eminus proſpiciunt, tunc pacta mercede geminantur remigum officia, quatenus ipſo ſaltem lucis & noctis confinio ſtationem inveniant. Interim Theopompus quæcunque tota luce perſpexerat, & audierat in inſula ſolitaria obfirmandæ curioſus hujus rei memoriæ diligenti cogitatione digerebat, & liberalis animus ad originis ingenuæ decora ſic provocabatur, ut nuncupatis votis rurſum pietati nomen daret. Mox converſus ad Gobriam, ecquid, inſit, Bardi, & Saronitæ noſtri eas vivendi leges tam ſeveras non ſervant? Cui Gobrias: pietas his opes peperit, ſed filia ſuffocavit matrem: Nam cum Bardi olim divitiis affluerent, & luxuriantes copias avita religio eis peperiſſet, obſtupuere paulatim

latim virtutis ſtimuli, & nimio veterno aliquid remiſſere nepotes de paterna contentione ad veram gloriam, donec aliquot labentibus annis vix aliunde ad commendationem ſui nominis habuerunt, quam inanem prope & fugitivam authorum ſuorum memoriam. Non tamen inficiabor plurimos hac ætate noſtra primarii ſpiritus vigorem paſſim reſtituiſſe.

Interim declinabat in noctem veſpera, & vix dum aperiebant ſe portus anguſtiæ, cum producto in noctem remigantium labore, Solis radii errantes deſtituunt; ſed tamen recreabat ſplendidioris Lunæ fulgor, quæ nullis impedita nubibus gratiſſime niteſcebat; & noctis initium, ceſſantibus rerum omnium motibus, neſcio qua novitate non ingratum videbatur. Verum inſinuabat ſe paulatim animo horror, dum exaudiebantur apertius frementium undarum tumultus, quoniam rebus aliis nox quietem indixerat. Tunc faces propius emicare, quibus additæ voces tanquam viarum indices, quæ hos ad ſe non obſcuro clamore vocabant. Portum illico cogitarunt, & ſpe pleni geminatis remigantium officiis littus attigerunt, & arenam exoſculati alligata navi in diverſorium non longe abhinc ſepoſitum ſe recepere, jam poſt tot labores alacres. Tunc vires attritas & ruinas ſtomachi, qui tributum mari perſolverat, cibis & ſomno reparant.

Orta luce cum in Celtiberiam ſe adventaſſe geſtirent, adeundi Segobrigam conſilium Theopompo fuit. Urbs erat ad utramque amnis Iberi poſita ripam, & ſatis operoſo juncta ponte ſuperbæ molis ædes cœlo attollebat. Ibi externi non pauci propter commercium, maxime palæſtræ, & concertationis Palladiæ, cujus ſtudia vix alibi illuſtriora: neque mirum nullæ ibi nubes cœlum aſperant, bruma nulla ſegetes extinguit, nullique æſtus adurunt: ſed purus eſt & incorruptus aëris tractus, liquidi fontes campos alluunt, & cœlum uberti-

uberrimas meſſes gratiſſimo tepore perfundit : Patentes autem hinc & inde plagæ ; & ſive amœna ſalubritate collium , ſeu grata campotum æquabilitate regio homines alit genio loci dignos. Summo loco virtus ibi conſtituta, ingenuaque induſtria ſua præmia conſequuntur.

Huc itaque curſus fuit; & cum Theopompus animadverteret ex Iberia, imo & Gallia tota ingenuam pubem ob litterarum, & maxime palæſtræ, & quinquertii diſciplinas liberales eo confluere, non dubitavit ibidem aliquandiu commorari, ut artis & induſtriæ ſuæ ſpecimen aliquod ignotus daret. Equos ibi primum cùm ſibi, tùm ſuis, & hos vento genitos, gemmarum, quas non paucas in ſinu veſtium diſcedens è Sicilia abdiderat, commutatione comparavit : nam tales equi, quoniam è Boreæ flatibus concepti ſunt, mira celeritate ſua ventos ipſos æquant. Sic ipſe aderat ſæpe academiis, & palæſtras ſæpius celebrabat, artis ſuæ facturus periculum. Sed equi flectendi induſtria cumprimis cæteros juvenes Pancraticos, quos tamen haud inexpertos urbs alebat, ſtatim ſuperavit, quamvis talibus equis vix ſatis aſſuetus.

CAP. VIII.

Theopompus incidit in ignoti Callimachi familiaritatem; que ſtatim æmulatione dirimitur, dum ob natalem Calaidis in Cataedromo de præmio concurritur, & Theopompus palmam conſequitur.

Inter eos qui in eadem palæſtra præmio digni viſi ſunt, eminebat quidam juvenis vultus optimi, & qui generis claritatem ingenua majeſtate frontis ſatis indicabat; ignotum tamen genus erat, & ignotus pariter illi Theopompus ; nihilominus mutuam uterque familiaritatem, propter paritatem morum & affectuum, & ambiebat, & pertinacius quærebat, nec contenti communi benevolentia quam effundebant in omnes,

omnes, ad arctioris etiam amicitiæ ſacramentum paribus naturæ donis incitabantur. Callimachus, hoc ignoto nomen erat, non diu potuit negare tam officioſum munus Thopompo, cum in eo pignora videret benevolentiæ mutuæ, atque animi non languide ad virtutis difficultatem aſſurgentis. Itaque ad extremam charitatem ambo deducti ſunt, reſtabatque arctiſſimæ neceſſitudini, quam idem luminum vigor, eadem frontis majeſtas, & par induſtria, imo & lingua conciliaverat, ut ſortis ſuæ totam ſericm docerentur. Hanc tamen diutiſſime cum pertinacia cælavere; nam & hic contemptum ex tot fortunæ ludibriis reverebatur; ille altioribus cauſis deterrebatur.

Interea natalis dies Calaidis, quæ Regis Celtiberorum filia reputabatur, anno vertente redierat, quo die ſolemnis mos erat in Catadromo certare de præmio quod à filia principe proponi ſolebat. Nondum Calaidem, quam pridie, eximiam Veneribus oris, & innatis virtutibus eſſe audierat, videre Theopompus potuerat; locus hic erat & ſpectandæ virginis, & virtutis, nec non induſtriæ ſuæ eidem approbandæ. Dies indicta cum illuxiſſet viſus eſt ſublimis in equo, quem ſcite quacunque docta verſabat manu Theopompus; qui tunc Polemonem ſe juſſerat apellari: viſus eſt & Callimachus, illi charus in paucis; ſed uterque nulli notus. Concurrere viſa eſt etiam omnis pubes ingenua artis ſuæ factura periculum. Prodiit in ſublime Theatrum Rex Celtiberorum Ariſtophilax, comitante Calaide principe, ingentique fatellitio cum purpuratis circumſtante. Rex in tribunal purpureum evectus eſt; virgo autem dextræ aſſedit, gemmam aurea pala incluſam præmium Catadromi geſtans: & ambo ſalutantur à concurrente pube. Calais oculis circumlatis hæſit ſubito in ignotis vultibus, & obtutu toto defixa eſt: defixus eſt pariter Theopompus, & ad Ca-

laidis aſpectus ſic faſcinatus eſt, ut ſpontaneum exilium ſatius duceret, quam virginis jam ſibi notæ pati diſſidium. Ambo autem Theopompus & Callimachus pari vulnere macerabantur: hinc nata æmulatio, ingens ſtimulus ad gloriam. Uterque conciliare ſibi gratiam Virginis cupit, præmio curſus poſthabito. Curritur ergo è carceribus ad metam; æmulus æmulum ſequitur paſſibus æquis, ſuperiorque Theopompus non cæteros tantum, ſed ipſum etiam Callimachum, quo non ſolertior alter, poſt ſe relinquit, invidioſa victoria. Verum à curſu ad certamen equeſtre concurritur. Theopompus armatus oblonga haſta, ſed ferro ſuo deſtituta, quemlibet excipit, & umbratili hac pugna quemque obvium ſternit, ipſum etiam Callimachum gloriam curſu amiſſam reparare cupientem congrediendo ſuperat, æmulatione accenſus. Et tunc juſſus accedit ad virginem, advolutuſque ejus genibus gemmam pretioſiſſimam aleæ tentatæ præmium ab ea recipit. Erat autem gemma carbunculus, in quo Titanum pugna in Deos artifex admodum perite inciderat: cumque illa rogaret nomen, patriam, genus Athletæ, retulit ſe quidem Galliam habere patriam, nomen autem Polemonem, genus vero tacuit, errabundum ſolum equitem ſe eſſe docens, qui poſt propagatam toto orbe ſui nominis famam in patrios lares ſe recepturus ſit. Tunc intimis præcordiis amore perculſa Calais vocem repreſſit. Sed parum abfuit quin Callimachus ferro ſibi, aut æmulo vitam eriperet; probrum eluiturus alterutrius ſanguine; vindictamque animo recoquens latebras petiit; exultante interim ob rem bene geſtam, & fœlicem exitum comparatum Theopompo. Pervaſerat autem omnes ſtupor, & tanquam Eleuſinii ſacri participes mutis obtutibus in victorem intuebantur, vixque credentes oculis exitumque non expectatum animo reputantes adorabant pal-

palmaris ſolertiam. Viſum quoque eſt cœlum conſentire ejus fœlicitati, quod & Solem leviores nebulæ temperaſſent, & ventus mediocri ſuſurro delectaſſet videntes, & extremis alis afflaſſet.

CAP. IX.

Dum Tarraconenſes à Rege deficiunt bellum adornatur, in quo Theopompus veteranos ducit. Adfuit & Callimachus cum pube pancratica & paleſtritarum magno agmine, palmam Theopompo prærepturus. Mittitur in urbem Caduceator, & aliqui cives in reverentiam majeſtatis redeunt. Cæteris ad rebellionem obſtinatis ordinatur exercitus.

Ex illo cœpit Theopompus ſub Polemonis nomine in aula Regis eſſe gratioſus, & humanitatis regiæ ſigna in dies exhibere, gaudebatque natam occaſionem & videndi & alloquendi Calaidem, quæ mutuo amore ferebatur in equitem, cujus genus ignotum ſibi eſſe dolebat, & utinam ſortem regiam una ſecum eſſet ſortitus, nihil mecaſtor Hymenæum prohiberet. Sic illa apud ſe. Porro novus caſus & amorem Calaidis, & concitatam de Polemone expectationem auxit. Increbuit rumor Tarroconenſes propter vectigalium gravitatem defeciſſe ad Narbonenſes, qui præſidia onuſtis navibus per interni maris fretum miſerant. Invaleſcente rumore nuntius rem invidioſam prodidit, & regem ad promptiſſimos delectus excitavit. Neque longa mora interceſſit, quin Polemon, cujus & virtus & fides jam probata Regi erat, ſuam operam eidem offerret. Gaviſus eſt Rex oblatam occaſionem eſſe augendæ Polemonis famæ, in quem ſecretis ferebatur animi affectibus, neque hactenus auſus erat benevolentiam reconditam palam ei exhibere, ne aulici alienigenam prælatum ſibi quererentur. Idcirco præfecit turmis Elpigildum notiſſimæ in rebus bellicis induſtriæ, legatumque eidem adjunxit Theopomp. vulgo Polemonem, quamvis primam barbam Diis nondum obtuliſ-

tuliſſet. Gobrias & Eurimedes utrumque cornu dextrum & ſiniſtrum agebant: ſed omnes ſtupebant extremo agmini veteranorum præfectum eſſe juvenem Polemonem. Itaque ne latius venenum ſerperet, dum factioſi ad Coryphæorum inſtigationem conſpirationes diſſeminarent ſuas, novoſque in dies tumultus excitarent, mature ſuccurrendum peſti Rex, Duces æſtimarunt. Callimachus autem qui inter palæſtritas & Athleticos fortis & peritus audiebat, quatenus inuſtam ſibi, ut putabat, labem elueret ſaltem perduellium ſanguine, & palmam Theopompo præriperet, ibat pariter expeditus ad bellum, & ipſe ſuccinctus longo agmine palæſtritarum quos ab aliquot annis in academiis & palæſtra, ingenua fronte virtuteque ſua nec non muneribus nunc primum laboraverat ſibi conciliare. In ipſo procinctu cœlum tonitru ter repetito, & fulguribus inhorruit, quod tamen fauſtum eſſe Gobrias voluit.

Paucis diebus in itinere conſumptis ad rebellis urbis mœnia admoti ſunt exercitus. Sed Elpigildus ad perduelles caduceatorem mittit, ſi quis ſe imparatum, aut hoſtili potentiæ imparem arbitratur, ne bellare ultra aut rebellis eſſe præſumat, ſed bene ſperare jubet ſi ad fidem ſe receperit: ſin minus, præter perduellionis infamiam, ipſius caput cum tota familia boniſque proſcriptum ſit. Hoc facto ad ſuos ſe recepit. Plurimi autem eluſis nocte concubia cuſtodibus evaſere per muros, & ad caſtra regia pervenere. Tunc Gobrias Theopompum ſic alloquutus eſt. Jam vides uti eventus omini reſpondeat: quid enim tonitru ter repetito, quid fulgurum intempeſtivis ignibus ſignificatum eſt niſi ſubſidium Deorum nobis utique proximum? Ecce jam rebelles redeunt ad reverentiam majeſtatis, ita ut citra pulverem lauros colligamus, ſi cæteri ſecuti horum exempluin ad meliorem pariter mentem redeant.

Spe-

Digitized by Google

Speremus ſemper auſpices Deos, & ſequamur quo nos vocat fortuna. His retulit Theopompus de Diis optime ſe ſperare, quorum cultu nihil ſibi ſanctius unquam fuiſſet, neque ſe aggreſſum quidquam alias illitatò, vel inauſpicatò: & niſi perduelles ad reverentiam majeſtatis redeuntes mentem rebellem exuant, nil in ſe moræ futurum quin obſidionem urgeat, & congeſtis in teſtudinem clypeis in urbem contumacia plenam irrumpat cuncta ferro flammiſque vaſtaturus, ſequuturuſque Deorum auſpicium. Recipit Gobrias; vide tamen ne Deos nimia temeritate provoces.

Simul his ordinatur exercitus per legiones, cohortes, centurias turmas, quibus præficiebantur Magiſtri Equitum, Chiliarchæ, Centuriones, Vicariique, tum Signiferi, & Decuriones. Tirones intermiſcentur veteranis: volones & dimachæ ſe peditatui & equitatui agglomerant. Neque defuere cuniculariï & baliſtariï cum omni genere Machinæ bellicæ. Aderant in primo agmine fundibularii Baleares. Armatura autem cuilibet lorica, caſſis & clypeus, gladiuſque accinctus lateri, cum pharetra & arcu, ut eminus decertare poſſint: non paucis haſtile, ſeu pilum, quibus bellare quominus liceat.

CAP. X.

Diſcuſſis omnium ſententiis ad obſidionem murorum authore Theopompo, per clypeorum teſtudinem proceſſum eſt. Ergo hoc duce in urbem inſiliunt, pugnatur acriter utrimque, ſed prævalet Theop. cujus virtutis, liberalitatis, & continentiæ exempla eluceſcunt. Redit denique in urbem victor exercitus, & plauſibus excipitur.

Cum duces viderent obſtinatos ad rebellionem animos, ad vim extremam Theopompo authore animum appulerunt. Hic nempe monebat expugnationem fore facilem ſi teſtudine clypeorum facta muros ſuperarent, & vaſto impetu in urbem attonitam irrumperent

perent fruſtra luctantibus machinis. Contra ſuadebat Callimachus victus æmulatione, & urgendos ad certamen rebelles monebat, ſic glorioſiorem fore victoriam; neque defuere qui fame, & longa obſidione atterendos dicerent. Itaque maxima parte ducum in ſententiam Theopompi pedibus eunte, quiſque militum præſcripto ſibi ordine ſub clypeis incubuit, & per multiplices gradus viam ad muros, aditum in urbem fortiſſimis aperuere.

Primus inter omnes impetum fecit in muros urbis ſuperata teſtudine Polemon, quem ducem ſecuti ex Ducibus etiam non pauci. Nec minus acriter pugnabat Callimachus Theopompi æmulus, tum cæteri ſeu admotis ſcalis, ſeu machinarum impetu facto muro, aditumque per ruinam patefaciente. Fuit primus impetus illis irritus, fractiſque & disjectis ſcalis non pauci vulnerati, afflictique ruina ſunt. Aderat Theopompus ſeu Polemon cujuſque virtutis laudator, caſtigatorque ignaviæ. Neque irrita fuit adhortatio, ſiquidem omnes ducis exemplum ſecuti in urbem inſiliunt ſeu ruina muri, ſeu facto impetu, muriſque ſuperatis. Tunc obniti cives, obluctari milites: hi vero urgere, & vi urbe potiri. Recrudeſcit pugna, fit ſtrages civium, ſed imprimis turbarum auxiliarium, cadunt utrique promiſcue: ejulatu horrendo vici, trivia, compita perſonant. Durante conflictu ſuccenturiati quaſi ex inſidiis ſupervenientes hoſtem adoriuntur & invadunt, mox aciem diſturbant. Sed inſurgit in eos Polemon, inſectatur, trucidat. Eurimedes, Gobrias à latere illius non recedunt, timentque ſuo principi in diſcrimina præcipiti. Illinc Callimachus qui fortitudine & induſtria ſuperare vel ſaltem adæquare æmulum conabatur, ſtrenue quoque agit, & palæſtritas ſuos urget ad audendum, ipſe dux & hortator. Ad hæc portis apertis reliquum turbarum cum Elpigildo duce confluere.

fluere. Tunc ergo cives terrore panico perculsi fugam adornant cum conjugibus & liberis, cum clamore & trepidatione palantibus, alii è muris desiliunt, alii se dedunt, alii capiuntur. Non pauci cum urbis præfecto in arcem fugiunt. Sed ille ubi ad vim extremam obstinatos videt animos, nec spes retinendæ arcis reliqua videbatur, se suosque urgenti obsidionem Polemoni tradidit. Cædes late in puberes evagata priusquam arx recepta esset: mox in prædam discursum, quæ sane ingens fuit. Quinque millia hominum cùm civium tùm auxiliarium capta: argenti facti signatique duodeviginti millia, & trecenta pondo: tritici autem vis ingens reperta, sic ut obsessi longe diutius restitissent, nisi exercitus authoritate & sententia Polemonis impetum in urbem feciſſent. Itaque victores spoliis & manubiis onusti, trophæis erectis ovantes, & Pæana canentes reditum adornant. Sed mira Polemonis eluxit continentia inter lauros & palmas; nam præterquam quod prædam omnem, quæ sibi contigerat, divisit in fortissimos, comprimis ei matronalis pudoris cura habita est. Imo adducta est ad Polemonem puella tam eleganti forma, ut omnium oculos in se converteret; erat hæc desponsa juveni qui inter captivos custodiebatur. Tantum autem abfuit ut Polemon virginis pudicitiam sineret delibari, quin potius & integram servavit, & proco suo restitui voluit, inaudito pristinis ætatibus exemplo: juvenique reddidit libertatem, & ipsum puellæ in gratias sæpe abeuntis. Juvenis & ipse insperato gaudio perculsus, ac simul pudore confusus Deos precabatur ut parem pro beneficio gratiam Polemoni referrent. Sed & tam liberalem, tam pudicum ducem inter suos deinde populares meritis laudibus extollere, factum prædicare, & quacunque se conferret, disseminare non cessabat, se vidisse ducem diis simillimum, omnia tum armis, tum beneficentia,

tum etiam divina quadam pudicitia ſua vincentem. Relicto demum in urbe præſidio, victor exercitus & ſpoliis onuſtus cum numero captivorum Segobrigam reverſus eſt. Et tunc qui plauſus omnium! Rex, ad quem victoriæ fama virtute & conſilio Polemonis reportata pervaſerat, aulicos miſit cum magiſtratibus urbis, qui gratularentur palmari: ſed Calais nimiam lætitiam non ſatis temperans miſit pariter præfectum ſuæ domus, & ipſa ex ſpecula eminente in viam publicam per quam erat tranſiturus cum turbis Polemon invictus, expectabat gaudio amens ſibi amantiſſimum ducem, quem, ô ſi fata, inquit, regia ſtirpe editum voluiſſent! Tranſeunte per viam exercitu trophæis illuſtri Calais è dicto ſolario nutibus oculorum, manuum, cervicis ſuo, Polemoni gratulabatur, interim Callimacho, qui Calaidis favores erga æmulum gnaviter & anxie obſervabat, uſque ad furorem indignabundo,

CAP. XI.

Theopompus torquem aureum à Rege accipit, cæteris quoque fortiſſimis facta largitiones. Sed Callimachus invidens gloriæ Theopompi Regem adiit, & regium ſuum genus, ſimul fatorum in ſe aſperitatem, antiquas calamitates, denique ſortem ſuam eidem manifeſtavit. Nec de ſorore Partheniſſa Regem ignarum voluit.

Rex Celtiberiæ victores turmas, ſed ipſum præcipue Polemonem omnibus grati animi ſignis excipiens, torquem aureum, ex quo vermiculata bulla cum effigie pendebat, circum ejus colla, humeroſque induxit, & hunc inter nobilioris notæ Equites juſſit aſcribi, invidente illi iterum tantos honores Callimacho. Imo & ſtrenuus quiſque ob geſta bello illuſtria inſignibus atque ſtemmatibus nobilitatur; donativum militi præter ablatam prædam dividitur; quin & propter communis lætitiæ argumentum congiarium populo datur; ſanantur ſaucii: denique turbarum authores

thores plectuntur. Hos tamen ad ſupplicium raptos à carnifice Polemon à Rege impetravit quos virtus, claritaſque gentis à cætero vulgo diſcernebat. Proletarios autem virgis ſub cruce flagellatos pariter ad remota loca ab urbe ſua tantummodo amandari juſſit, atque igne & aqua interdici.

Calais ex illo cœpit majori amoris impetu in Polemonem ferri, vix poteſt latentes cordis æſtus ultra diſſimulare: diſſimulat tamen donec ſors melior occaſionem obtulerit fœlicitatis ſuæ aſſequendæ. Frendebat interim Callimachus, qui æmulum diutius non ferens, & infra ſuum genus hunc eſſe reputans, quatenus altiori apud Regem eſſet gradu, & ſorte Calaidem ſibi faceret magis propitiam, quadam luce dum ſolitarium Regem reperit, inſinuatis primum levis momenti ſermonibus ſic eum tandem eſt adorſus. Miraberis, Rex auguſtiſſime, quod ignotus Eques genus ſuum tandiu te celatum voluerit. Verum ignoſces credo, cum noveris quæ me cauſæ ad id impulerint. Ego dum in regia tua virtutis & induſtriæ meæ quotidiana daturus argumenta manſi per biennium, ut ſub privata ſorte dotes animi & corporis magis elucerent, hic cultus, & vivendi ratio meæ gentis dignitatem ſubtiliſſima ratione mentiebatur: quippe claris parentibus natus in hanc communis vitæ ſimplicitatem mea ſponte, & clandeſtinis conſiliis deſcendi.

Inſtabat Rex ut ſciret quam ſortem inter mortales fortitus eſſet? conjiciebat enim ex illis verbis aliquid Regium, & conditionem vulgarem excedens. Et ille, poſtquam aliquantulum hæſit ancipiti ſimilis, Stirps, inquit, mihi regia eſt; patremque habui principem, quem indigna fata mihi inviderunt: nam impuberi mihi raptus eſt. Retulit Rex, calamitatem quaſi præſagiens, qua ratione fata illi ſic invida? Teutonum, inſit, princeps erat, dumque tui duces miſſis à te ſuppe-

Digitized by Google

tiis Duci Belgarum male fortem insequuntur, ipse in Rhenum ponte revulso præcipitatus interiit. Rex lachrymis madens osculatus est Callimachum, ægro animo veteres injurias repetentem. Subdiditque iste aram apud Vasconum Ducem se inveniisse donec, pervulgata Calaidis fama illius desiderio flagrans, ex focis istis abductus est. Subjecit Rex, an una tantum proles mascula fuisset parenti. Et ille, major natu media in acie purpuream effudit animam, & inter jacentes repertus regio funere donatus est. Soror unica erat super; sed & illa mihi quoque erepta dolores auxit. Utrum præfectus Belgarum cui suppetias dedisti eam abduxerit, hactenus in incerto positum. Nunc vero Belgarum in manu dominium paternum est: una spes mihi super post tot ærumnarum cumulum: paternisque regnis renuntians amissa sorore, quam super fraternos amores amplectebar, oneravi sinus vestium auro & gemmis quæ manus hostilis intacta mihi reliquerat, & famam per ignotas gentes quærere statui: cognovi scilicet quantis casibus humana omnia verterentur, & nihil tam securis radicibus niti in quod violentia fatorum non sæviat: nam quo pater altiorem in sortem provectus erat, eo apertior tempestatibus fortunæ nequitiam principum evadere intacto remigio non potuit. Quis animi mei ægritudines ex quo parentela orbatus sum, quis pervigiles curas nunc metuentis ruinam, nunc imminentem propulsantis exponat? Etenim plura mihi videbam instare si in paterna domo supersessem, vitam sollicitudinibus veluti assiduis sentibus horrentem timebam; successuramque tot anxiis curis mortem, quæ tanquam in ultima scena aulæum tolleret. Parum abfuit quin Saronitarum solitariam vitam eligerem: sed me ancipitem animum per omnia versantem Vasconum dux, qui inter alios suppetias Belgis una tecum dederat, secum abduxit, paternam hæreditatem si non omni-

omnimodam, saltem mediocrem per te mihi manu ad fidem composita spondens. Quæsiit Rex quî soror illius vocaretur: & Callimachus, Parthenissa, inquit, gaudebat appellari. Rex ea luce non plura quærens, sed alta mente consilia recondita movens, interim bene sperare monet.

CAP. XII.

Dum Calais in littore Iberi amnis deambulat una cum puellis, juvenem sopitum invenit quem conjicit esse Polemonem, tunc una ex comitatu eminentes è pera illius codicillos detrahens porrexit Calaidi, qua utrosque perlegens intelligit quis sit Theopompus, & subita gaudia dissimulat.

Parva dierum intercapedine Calais cum puellis in Iberi littore deambulans juvenem vultu in arenam depresso consopitum invenit. Habitus peregrinum notabat; sed propius advoluta si quibus lineamentis posset vultus discernere, conjiciebat esse Polemonem: incertus cum adhuc nutaret animus, una ex puellis ejus supra sexum audens, & erecta supra muliebrem naturam codicillos eminentes è pera detraxit, eosque Calaidi integros obtulit, quæ inceptum iter jubens eas prosequi per littoris amœna, & sibi præire æquis passibus, interim intentis luminibus has tabellas excurrebat: prima ex Astioriste patre ad filium Theopompum post paterni affectus testimonia eundem hortabatur, ut postquam Regem Archombrotum invisisset in Africa, reditum in Gallias absque mora maturaret. Tunc litteras Calais complexa & exoscultata properavit ad alteras, quas pariter discutiendi ingens animo cupido insidebat. Erant autem iste à Theopompo ad Astioristem Regem in hanc sententiam exaratæ. Accepi tuas litteras, August. Rex, cum adhuc Syracusis moras aliquas traherem avi Meleandri jussu, hinc cogitabam in Mauritaniam ad avunculum Archombrotum

brotum Regem, cum me in altum provectum procella in Iberiam (Diis ita volentibus) imprudentem jactavit. Mecum eſt autem Eurimedes qui iter in Africam mihi auſpicaturus erat, ſi ita Dii voluiſſent. Porro ſtatim atque jufferis, adero, quandoquidem nihil mihi antiquius poteſt eſſe tuis imperiis, quæ poſt Deorum nutum cæteris ſemper anteponam. Ex quo autem me tenet Celtiberia, non enim quidquam inficiabor, & vici & victus ſum: Tarraconem expugnavi quidem, & rebelles ad Regem adduxi: ſed me Calaidis principis dotes ita vinctum & irretitum tenent, ut cauſa hæc una fuerit quæ me diutius opinione mea in hac ora diſtinuit, & me ad arctioris amicitiæ mutuum ſacramentum incitavit. Hac ego ſpe ſaginor, & pene errorum memoriam, & toleratæ procellæ caſus ſperata hæc fœcilicitas jamdudum obruit. Pro certo tamen habeas, amantiſſime pater, nil me, inconſulto te perfecturum nec quidquam præverſurum imperiis tuis. Vale.

Calais ad hanc lectionem pene obtorpuit, nec ſatis poterat, oculis & affectui lectionem repetendo, facere. Tantæ fœlicitati cœlum conſentire videbatur, ſiquidem leviores nebulæ Solem temperabant, ac ventus præterea mediocri ſuſurro delectabat ambulantem & extremis alis afflabat. Sed hoc illi plurimum ſuccedebat ex voto poſſe in hac via liberius ſecum agere, & nullo arbitrorum metu ſolitariis vacare cogitationibus: ſtatuitque apud ſe reconditos amoris ſenſus non ultrà comprimere, foras erumpendi natam occaſionem eſſe, uſuram familiarius conſuetudine illius principis qui ſub ignoto nomine, genus fortunamque ſuam obvelabat: repetebatque gratiſſimos Theopompi vultus, & magnum quiddam præſagientes, quibus & ipſa ſuaviter pelliciebatur. Incipiebat & Callimachum ſpernere, quamvis magnificientiam regiam veſtibus, & largitionibus æmularetur. Tum ſic illa apud ſe, tandem

dem aliquantulum deflexit meæ fortunæ malignitas, & quietem ad colligendum ſpiritum conceſſit. Ego me in Polemonis familaritatem non altiori ſpe quam jucundiſſimæ conſuetudinis immerſeram ; ſed nunc longe plura ex Deorum beneficio audeo ſperare. Puduit ſubito verecundam virginem iſta cogitaſſe, & quo animi confuſionem detergeret, fronte compoſita, comitantium puellarum cœtui diſſimulatis conſiliis ſe adjunxit.

CAP. XIII.

Calais jubet Theopompum ad ſe in hortos intromiti. Nata occaſione dum illa urget Heroëm, & codicillos profert attonito, totam navigationis ſeriem, generis quoque claritatem, & cauſas mentiendæ fortunæ ab eodem ediſcit.

Sequente luce Calais unam ex puellis admonuit, ut accedentem ad regiam Polemonem moneret, ſi Calaidem videre cuperet, illam in regis hortis cum ſolito puellarum ſatellitio animum remittere. Dictum factum : geſtiitque occaſionem ſibi oblatam alloquendi Calaidem, quæ tam diutinæ moræ ſuæ apud Celtiberos nectendæ, præcipuus cardo fuerat. Deſcendit ergo in hortos, & per compluvia ſpatiabundæ Calaidi confeſtim occurrit, eamque cultu & vultu venuſto ſibi conciliavit. Illa quaſi perfunctorio colloquio ei ſe adjungens, puellaſque tantillum præire jubens, dum lentiori greſſu ſubſequitur ; diſſimulato gaudio lætata eſt : deinde his verbis juvenem cœpit adoriri : audivi, mi Polemon, te reditum in patriam tuam adornare, necdum ſatis notum fuit nobis quænam eſſet illa patria tua : ſiccine patiere te ſemper à me ignorari, poſtquam tua virtus, induſtria, & fides mihi toties probata eſt. Os, habitus, lingua, mores te Gallum affirmant ; ſed quam multæ Galliarum variæque plagæ. Cur florentiſſimam patriam reliquiſti, ubi cœlum optimos campos con-

continuo tepore perfundit, & tardiſſima ſenectus reſolvit expectantes, ubi tam ſinceri animi, & qui à Deorum vita ſola mortalitate diſcrepent? His retulit Polemon, mihi patriam fata dedere plagam illam quam Rhodanus conjunctus Arari rapidiſſimis aquis perluit, donec ad mare duobus oſtiis devolvitur. Gens mea non ignobilis. Cæterum perſonarum illuſtrium cupido me impulit ad regiones celebrandas quas à meis finibus natura removit, quatenus ſaltem in ea re Herculi & magnis viris, imo & Diis, abſit verbo injuria, par eſſe poſſim: neque enim Galliæ leges ſinunt filios in conſpectum parentum prodire niſi jam adultos, & per omnem artem atque palæſtram lævigatos. Et Calais, ſed tua frons liberalis, inquit, neſcio quid regium indicat: euge Polemon, quid juvat tandiu vultus componere: nil diſſimulandum tibi tuæ Calaidi, quæ te plus oculis ſuis diligit. Erubuit ad has voces Theopompus, & oris inconſtantia dubium & verſatilem animum ſignificavit. Tum Calais, detractas è ſinu pallæ ſuæ litteras porrigens, ne quidquam quæſo diſſimula, Theopompe: en tabellas quæ fraudis tuæ te arguant. Obtorpuit magis ad hoc nomen juvenis, timuitque ne forte ex Gobria, vel Eurimede aliquid de ſuo genere Calais extorſiſſet. Sed poſtquam porrectas litteras explicuit, attonito ſimilis hæſit nihil loquens, ſed fixis nunc in Calaidem, nunc in tabellas oculis, donec os ſtupore mutum recludens cœpit fati ludibria incuſare: non enim volebat Calaidi ſortem ſuam genuſque regium revelare, niſi cum jamjam diſceſſurus eſſet in patriam. Attamen fortuna hanc offerente loquendi poteſtatem, ſic ille Calaidem allocutus eſt. Qua ratione hæ tabellæ in manus tuas inciderint nondum mihi notum eſt, ſereniſſima Calai: ſcias tamen velim nihil eas falſi concludere. Veni ſcilicet è Gallia in Siciliam Regis mei inviſendi cauſa, dumque tuæ dotes ad aures

meas

meas perveniunt, omisso videndi avunculi Regis Mauritaniæ consilio istuc diverti: sed hercle levis fama est dotum tuarum præ his, quas in te suspexi virtutibus. Quare non est quod mirere si te cæteris virginibus præferendam statui; nam ut omittam frontis reverentiam, decus genarum, & totius oris Veneres, quis non ad aciem ingenii, colloquii lepores, virtutis fulgorem obstupescat? amplum & quodammodo vegetam aciem non nisi magni, & vividi spiritus alunt. Ego vero metuebam ne importunius emergens veritas deprehensam calliditatem in lucem mitteret: itaque commentis omnibus astruebam fallaciam, & assiduis studebam salibus, dum fallentibus gyris reditum meum non sine risu mentiebar. Jam vero quid vetat, quo minus vitæ tædium mutuo amore, & conjugali fœdere fallamus, æternumque sanctissimo Hymenæo vinculum sanciamus? erexerat animum Theopompi incertæ rei novitas. Dum uterque omnia in miraculum trahit obortus sæviſſimus collisarum nubium fragor in aulam imbellem cœtum, & Theopompum cum ipsa Calaide compulit.

CAP. XIV.

Rex Calaidi jubet amare Callimachum, illa nescia consilii paterni, ubi sola relicta est abit in gemitus. Intervenit Callimachus qui solitariam tentat verbis consolari. Dissimulat illa dolores. Rex in thalamum revertitur & imperat, præmissa beneficiorum suorum erga illam commemoratione, amare Callimachum. Quod illa dum agre fert animo audit Callimachi sortes suis similes, & fratrem agnoscit. Succurrit Theop. qui primum turbatur, deinde rem totam accipit.

REX interea plurima animo revolvens accersivit Calaidem, cumque de fatorum erga illam, ejusque gentem sævitia multa disseruisset, objecit uti se tanquam parentem amare & observare deberet, qui non solum ut prolem propriam eam amplexus fuisset, verum etiam regni constituisset hæredem cum sibi fata

sobo-

ſobolem invidiſſent. Sed, pergit ille, quid ſi Callimachus in partem imperii tecum venerit? Calais ad hæc reſpondit, ſe ſcire quantis beneficiis Regi devincta ſit: poſſeque Regem, abſque ulla ſua invidia aut æmulatione, in quemcunque imperium transferre, quod in ſe adoptivam incidiſſet. Tum Rex nihil ultra differens tantum jubet Calaidi amare Callimachum, & hunc arctiſſimo neceſſitudinis nexu amplecti: relictaque ſola diſceſſit, ab uno è purpuratis parum ſubductus in proximum thalamum.

Ad hæc verba, quamvis tanquam ad revelatam Perſei parmam obriguerit Calais, vultus tamen compoſuit, donec ſolitaria cœpit in liberiores effundi gemitus. Te vero Calai, amare Callimachum, & Theopompum deſerere? hoccine potuit Rex mihi imperare, & non potius ſubjecto mucrone meum haurire pectus, dum animæ meæ dimidium mihi eripit? Eſto, Rex imperii jus in alium transferat, modo ne à Theopompo meo divellar. Heu! mi Theopompe, cur ego te novi ad perniciem meam, aut quid tu me Callimache? hunc amabam quidem ut fratrem, illum ut ſponſum futurum. Nunc Rege ſic volente, vel potius invidentibus mihi fatis, præſcriptum naturæ legibus ordinem mutare cogor. Ah! me Dii potius. tum verba ſingultus intercluſit, fluxere lachrymæ doloris obſides, & vultus totus largiſſimo imbre immaduit.

Adhuc ſuſpiranti adfuit Callimachus, qui vehementi dolore Calaidis turbatus, tentavit ſi quibus lenimentis verborum mederi poſſet vulneri: fruſtraque laboravit doloris fontem extorquere: & quo major affectus Callimachi erat, eo graviori dolore Calais angebatur, quanquam placitura Regi vellet diſſimulare, & cauſam ægritudinis in alium caſum refundere. Ter conata eſt ad colloquium vocem flectere, ter in ſummis labellis ſingultus abeuntem vocem repreſſit. Ubi

autem

autem constantior & magis animæ compos fuit. A matrona quæ in thalamum cum Callimacho intraverat gelidam petiit, qua oblata oculorum & totius vultus æstum temperavit.

Ad vultus redierat, & similis erat colloquenti, cum Rex peracto negotio in thalamum solus regressus cœpit primum benignitatem Deorum celebrare, & provocare ad mutuum amorem ambos. Putavit Calais subeundam sibi sententiam extremam, & dum singultum & fletum compressit, pene exanimata est, omnique Gallico gelu facta frigidior matronæ incubuit cordis deliquium obtendens. Jussit ergo Rex Calaidem filiam in spondam eburneam reclinari tantillum, sicque demum locutus est. Nesciebas quamobrem veteres fati injurias mihi recensseres Callimache: nunc fœlicem hunc diem celebrabis, & meliore notabis lapillo. Quid porro? parentes amisisti, cecidit in acie major natu frater, sed soror quam pariter malignitati fatorum objectam credidisti, habes superstitem, habes inquam sororem, & vides Partheniſſam quam Calaidem captivitate, & infima pueritia appellavimus: habes & tu Calai fratrem redivivum. Et vides Teutragenem Teutonum Regis patris tui quondam filium. Ad has voces Calais non secus quam gravi præcincta insomnio agebatur, oculos nunc in Callimachum, nunc in Regem, si vera loqueretur, intendens, neque satis sermonibus fidem poterat uterque adhibere, donec totius negotii seriem exponens, indicia quoque certissima prodidit, denique rem ita affirmavit ut neutri supereſſet locus ambigendi. Puduit Calaidem prima oscula amoris pignora Callimacho tradere, sed iste irrumpens collum sororis strictissime pressit, & amabo te, inſit, posthac ut sororem, & me amabis ut fratrem. Calais pariter, Deos Deasque inclamans mutuæ cœpit benevolentiæ monimenta rependere.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Adhunc in amplexibus hærebant & oſculis, cum Theopompus Regem inviſurus in thalamum quoque admittitur. Sed vix pedem limini protulerat, cum greſſum & vocem repreſſit pene obtorpens ad ſpectaculum inſolitum, & ſimilis indignanti Rege ſalutato recedebat, cum gradum ſiſtere juſſus omni marmore frigidior, ſeu viſa Gorgone, & ſtetit & obriguit; tum averſis ab amantibus oculis excuſavit apud Regem quod hora intempeſtiva accedens feriam turbaret lætitiam.

Parum abfuit quin Rex commotæ mentis tumultus notaret: verum inſolitos motus reverentia majeſtatis, & comitati juvenis tribuens, & te pariter ait, noſter Polemon, quia de nobis optime meritus es, ſecreti caſus participem volo. Et rem totam ab ovo repetens explicuit uti ex iiſdem parentibus Callimachus & Calais eſſent progeniti, ut Rex Teutonum utriuſque pater maximum natu filium cum regno & vita amiſiſſet: & qua ratione veniſſet Calais in ſuas manus, eamque in filiam propter ingenitas dotes & regiam virtutem adoptaſſet. Denique ut Callimachus ſive Teutragenes ignorans Calaidem eſſe ſororem ſuam Partheniſſam efflictim eam deperiiſſet; & vix ad hæc credenti indicia prodidit: quibus à Theopompo probatis cœpit actutum in vultus redire, applaudere utrique plenus votis, & ſpem animo meliorem premens. Rex autem cui per aliquot annos probata fuerat Callimachi virtus & fides, hunc adoptitium una cum ſorore, nulla ejus invidia eſſe voluit: ſiquidem ex materna linea uterque Regi Celtiberiæ affinitate junctus erat, nulluſque proximior hæres ſceptri poterat reperiri. Subjecit his Polemon arma ſua, manumque fore in promptu quoties amiſſum regnum recipere Callimachus & Calais cuperent. Gratias egere oblati auxilii, & tempore conſilioque rei tanti momenti opus eſſe retulere.

CAP.

CAP. XV.

Theop. Gobriam in Gallias mittendum decernit, ut à parentibus potestatem accipiat Calaidis in conjugem ducendæ. Volebat Heliopolita comes esse navigationis, sed hunc retinet Theopompus, & quo soletur molestum desiderium iconem patris ei carmine exprimit.

Theopompus intelligens nullam fœliciorem occasionem obtinendæ Calaidis, nasci posse, Gobriæ & Eurimedi quos in secretum accivit, mentem suam consiliumque aperuit: Gobriamque in Gallias expedita navi mittere statuit cum litteris ad utrumque parentem, quæ tum suæ salutis, tum sui voti certiores ambos facerent, & potestatem obtinerent contrahendi cum principe virgine nuptias. Subdiditque non se generi regio, non virtuti facturum injuriam, cum in virgine Calaide & regium genus, & virtus regia, omnesque dotes ingenuæ eluceant. Porro epistolam ad patrem Astioristen, & Argenidem matrem Theopompus hoc exemplo exaravit. Non fuerat instituti mei, sive consilii diutius exilium meum circumferre, nisi me fata beatum inter discrimina & errores meos esse voluissent. Dum cogitabam ego Lixam in Mauritania, in Iberiam improvisa navigatione tempestate jactatus sum, cumque jam longe abessem à Mauritania, omisso consilio videndi Archombroti, & salutandæ vestro nomine Cyrthææ, inclytas urbes Iberiæ, maxime vero Segobrigam sedem Regis celebrare decrevi. Sed dum in tam remotis regionibus vagarer forte incidi in amorem, qui me veluti per Calypsus aut Circes blandimenta perpetuo exilio damnaret, nisi me parentum reverentia revocaret ad obsequium. Porro ex Gobria uterque vestrum audiet quibus casibus Regem & filiam ejus Calaidem mihi demerui; ut mea manu & consilio profligati rebelles; quoties in Catàdromo, & palæstra præmia victorum assequutus, regiam meo no-

mini famam accerſivi. Scietis pariter ex eodem Gobriâ quanta & qualis ſit Calais, quantum elegantia morum, & formæ pulchritudine mihi conciliata, ut ſecum imperium Teutonicum trahat, quod veſtri regni clauſtra longe multumque poſſit protendere. Huc me per errores maris, ſalutis diſcrimina mille velut ad extremum ſolatium fortuna perduxit. Scio vos mihi plures alias, & ipſas populares meas ob oculos objecturos: ſed ego novi & conſuetudine & fama, aulicas virgines noſtræ Galliæ quæ novis dum ſtudent ſemper, dum luxum & lautas epulas amant, dum vino Iberico inundantur, & albo pipere cupidinem intra præcordia jam ſatis ſævientem accenduut, ubi nuptui datæ fuerint, marito ſæpe addunt cornua pauperi. Hæc addebat jocanti ſimilis, & in clauſula, nil ſe tamen parentum nutibus prævorſurum aſſerebat. Gobrias per mare Balearicum in Galliam, quæ intra Alpes & Rhodanum ſita eſt, ibat qua compendium eſt: & Theopompus incipiebat familiaris eſſe Callimacho, & Calaidis conſuetudine jam ſine cujuſquam invidia aut æmulatione frui. Optaverat Heliopolita comes eſſe navigationis. quo promiſſis Theopompi maturius frueretur, & ſumma votorum potiri poſſet: ſed hunc Theopompus & ad augendam lætitiam communem, & ad comitatum decorandum rogavit iterum expectare: attamen orbitatem illius utcunque levaturus, quadam luce dum magis à palæſtra curialibusque negotiis Theopompus vacabat, cœpit ei patrem Gymnoſophiſtam Ægyptium, quem Aſtioriſtes pater ex Ægypto in Gallias volentem alias adduxerat, hoc brevi carmine depingere, & quaſi genuinis coloribus optanti adumbrare.

Cur me tam vaſtum ſcribendi mittis in æquor,
Tanta haud conveniunt hæc mea vela rati:
Attamen optanti patris tibi pungitur icon,
Qualis ineſt roſeæ dum ſenuere genæ.

Mem-

Memphis at hunc aluit, nam Memphis patria tellus,
Gallia nec minus hunc quam ſua Memphis amat,
Huc primum adductas tanto ex Helicone camœnas
Expoliit, biſidi norma decuſque jugi.
An placet illius veros diſcernere vultus,
Accipe, ſicque tibi Zeuxidos inſtar ero.
Barba viro condenſa ſcatet, quæ mixta ſenili
Canitie, quantum labra, genaſque tegit.
Depreſſæ jacuere genæ queis fuſca colore
Eſt cutis, at tenui mixta rubore viget.
Frons eſt lata, nec innumeris riget aſpera rugis,
Fronti canities imperioſa ſedet.
Lata viro frons eſt, animi certiſſimus index;
Nam fuit in doctis præſcia ſæpe viris.
Erectus ſed naſus ineſt, qui fronte ſub alta
Deſcendens, parili labra tenore notat.
Sunt illi patulæ nares, quibus ætheris hauſtus
Aſpiret: tenuis purpura labra tegit:
Cæſius eſt oculus lata ſub fronte recedens;
Sunt & Pierio tempora calva viro.
Inſidet aſpectu gravitas, facieſque ſevera eſt,
Omnibus & membris juſta ſtatura manet:
Excipe diffuſos humeros; tamen omen abeſto:
Nam latis humeris & Plato magnus erat.
Lene ſupercilium eſt, tenuis quod terminat arcus,
Subque genis naſo proxima ruga jacet.
Noſſe cupis mores? dum tempora prima finebant,
Ludus, luxus, amor, ſæva tyrannis erat.
Aſt ubi maturo venit pede cana ſenectus,
Viſus inexpertæ relligionis amans.

Heliopolita perlecto hoc carmine utcunque ſolatus eſt orbitatem ſuam, & lubentius expectavit, donec ei copia fieret à Theopompo videndi patris, cujus gratia totum pene orbem peragrarat.

CAP. XVI.

Rex Aſtioriſtes & Argenis de filii Theopompi nuptiis contrahendis per literas & internuncium admonitti, coacto conſilio in eam ivere ſententiam. Ægyptius in ſocietatem à Theandro principe legationis accitus. Demum brevi ad Segobrigæ portum navim religant. Rex audito legatorum adventu obviam mittit purpuratos, ibat quoque obvius Theop. Hic Ægyptius agnoſcit filium. Theander ubi ſtetit ante Regem, Calaidem uxorem Theopompo poſtulat, quod neuter detrectavit.

Rex Aſtioriſtes pervolutis filii Theopompi tabellis ſtupebat ad omnia, maxime ad errores, ad navigationem, ad novos amores: auditaque narrationis factæ à Gobria ſerie, bello imprimis confecto, & rebellibus à filio perdomitis, Argenidem utriuſque, epiſtolæ ſcilicet atque narrationis participem eſſe voluit. Itaque ambo Deos Deaſque omnes votis cumulare & honoribus, qui ſibi tantam prolem neque degenerem conceſſiſſent. Tunc coacto purpuratorum concilio, id quod opus facto in præſenti negotio requiſivit. Sed in unam omnes conſenſere rationem, neque Rex aut Regina à ſententia receſſere.

Poſtquam decretum in illuſtri hoc cœtu de nuptiis Theopompi cum virgine Calaide ineundis, Theandro & Gobriæ id muneris commiſſum eſt; conditiones quoque Hymenæi iiſdem repoſitæ. Aulici multi, officii cauſa, his adhæſere equis inſidentes magnificum in morem phaleratis. Theander autem Gymnoſophiſtam Ægyptium, qui ab aliquot annis inter Druydas in Gallia pie vivebat, accerſivit quoque ad ſocietatem itineris, quamvis ſatis reluctantem; qui tamen tum familiaris ſui Theandri conſuetudine delectatus, tum cupiditate novæ regionis, & inclytarum urbium ſibi ignotarum captus, ad navigationem promptiſſimam ſe accinxit.

Itaque Regia triremis purpura, & ſericis vexillis conſpicua, digna denique regio Hymenæo ſtatim adornata eſt. Adoratiſque numinibus quiſque in triremem

mem se promovet, portuque relicto maria tranans vasto remorum impetu prætermissis Balearibus insulis per ostium amnis Iberi navigationem accelerat, donec ad portum Segobrigæ proximum triremis applicata & religata est clangentibus tubis.

Rex de Gallorum adventu admonitus misit obvios purpuratos suos cum lecticis & rhedis, satis obstupescens ad legationem tam magnificam, & regia pompa illustrem. Ipse Theopompus in equum lemniscatum insiliens Eurimedem, & Heliopolitam cum expeditis vernaculis secum specie honoris assumpsit, satis intelligens quem ad finem se legationis, quippe cujus author erat, exitus verteret. Jamque una cum aulicis à Rege obviam præmissis tendebat ad portum cum inter Legatos Gallos Theandrum ipsum advertit, cui comes hærebat Gymnosophista Ægyptius. Tunc lætitiam dissimulans donec se ad Gallos admovisset, Heliopolitam sinistrum latus stipantem sic est affatus: nondum credo promissa mea ex tua memoria excidere: hodieque Dii tua dilata gaudia præveniunt: habebis enim jam nunc patrem tuum peregrinationum tuarum argumentum. Substitit ad hæc juvenis Deorum favorem ambiens, & adhuc in ore erat dictio cum omnes equo desiliunt: & Theopompus quidem Theandri sui irrupit in collum, moxque salutans, vultuque & cultu Ægyptium sibi propitians filium ei obtulit addens: nosti hunc hominem qui te reperturus totum pene orbem perlustravit. Hæsere mox ambo pater & filius mutua contemplatione defixi, sed incertis adhuc ad ignotos vultus animis: nam neque pater Ægyptius filium jam maturum annis satis distinguere poterat, & notos olim vultus recognoscere, neque filius patrem discernere, quem & insolitus habitus Druydarum, & capilli canities mutaverat. Tandem hic certior propter iconem à Theopompo à paucis expressam sic pri-

mus obtorpentem parentem adorsus est : ergo ne, pater optime, tui Heliopolitæ oblitus es, quem patruo socium fortunarum dederas, ut una in Peloponnesum mercium causa trajicerem eo tempore quo ex Ægypto migrasti in Galliam : adhuc præ nimio gaudio non satis credenti crepundia protulit, quibus perspectis cœpit lachrymabundus pater tenerrimis amplexibus, & osculis filium stringere, fortunam adorans cui tantum debebat beneficium.

Sed interim Galliæ legati provehuntur in currus; Theopompus quidem à Theandro non discessit, cui cum lectica offerretur, cùm propterea quod legationis princeps esset, tùm quod eum Theopompus præcipue quodam cultu, tanquam benemeritum præceptorem observaret; ipse tanquam à mollitie, Druydarum virtute indignissima abhorrens cum Theopompo & Gobria ascendit in currum ; sequutus est Ægyptius cum filio; aliique Galli alios currus implent, comitantibus vice satellitii in equis bellatoribus Eurimede aliisque plurimis. Dumque Theander & Gobrias de Regis voluntate una differunt, Ægyptius cum filio colloquebatur, nunc suam & filiæ Philopatræ sortem exponens attonito & omnia obstupescente Heliopolita filio, nunc de suis navigationibus filium mutuo desiderio multa rogitans, donec ad regiam perveniente pompa Rex una cum Calaide in atrio legatos expectavit, incertus adhuc quid isti afferrent novi. Tunc Theander princeps legationis Regem his verbis aggressus est. Astioristes Rex meus, & princes seculo suo major, denique dignus fabulantium miraculis vatum ; sed & Argenis regia illius conjux, quæ ad futurorum seculorum invidiam virtute, pietate, forma, omnibusque regiis dotibus floret, uterque princeps, inquam, tuam aucupans affinitatem, & sacra tecum icienda fœdera, pro Theopompo sereniſſimo principe nostro,

noſtro, & filio ſuo unico conjugium Calajdis tuæ adoptivæ ambiente, conſenſum tuum filiæque tuæ enixe per nos efflagitat, aſſeverans ſibi cariorem te poſtea fore neminem: interim Calais legationis gnara exitum colloquii impatiente animo opperiebatur ſpem metumque inter dubia & anceps, & cum Rex ad vocem Theopompi, nuptias filiæ ambientis hæſit defixis in eum luminibus, & in amplexus ejus ruens: ecquid nobis tandiu, inſit, regium genus tuum occuluiſti, Theopompe, qui regiam indolem & virtutem factis adæquabas? gaudeo hercle dignum te tua ſtirpe habitum, & Calaidem noſtram virtuti tuæ, alioqui ſatis debitam, inveniſſe in fortiſſimo principe ſponſum nequaquam degenerem. Nihil erit in me moræ ubi Calais aſſenſum præbuerit, nihilque mihi per Jovem tantis fœderibus & tanti Regis affinitate antiquius & ſanctius fuerit. Deinde converſus ad Calaidem præ nimia lætitia vix ſatis ſui compotem, tu vero mea Calai, ecquid cenſes! illa, nihil ſe velle, niſi quod Rex approbarit, multo plura virtuti Theopompi deberi, neque in ſe quidquam eſſe moræ, ubi Rex imperium aſſenſui ſubdidiſſet. Adjecit Gobrias nonnihil de legibus matrimonii. Sed Rex, Callimachus, inquit, & ipſe adoptitius mihi eſt, Calaidis dignus frater, & ipſe princeps, ſed in quem fatorum invidia pariter deſæviit: nam filii Teutonum Regis exiſtentes & parentibus orbati, & regno privati tandem fœlicius ſub patrocinio & clientela mea regnum repetere, ex quo meæ conjugi & unicæ proli fata extremum diem clauſerunt. Lex ergo iſta fuerit, Callimacho Regnum Celtiberorum in ſortem cadat, cui conjugem adjungam Belgarum Ducis filiam Heleonoram. Calaidi vero ſponſæ Theopompi Teutonum imperium dotem dabo, nam à veſtris finibus non ita ſejunctum eſt. Hoc dicto ad proximam aram proceſſum, ubi præmiſſis auſpiciis & lita-

tionibus fœdera utrimque firmata sunt. Tum ad palatium ubi mensæ exquisitissimis cibis oneraræ omnes exceperunt. Donativum etiam militi, & congiarium populo additum, quo lætitiæ communis nullis posthac libandæ jurgiis consors esset miles & populus.

FINIS.

Digitized by Google

CHRISTIANISSIMO REGI

LUDOVICO XIV.

Eclogas vovet BUGNOT.

O Magne decus Europæ, clarißima gentis
Gloria Borbonicæ, fortis fortißima proles
Stirpis, & invicti ſemper lux optima regni,
Ne nos, aut noſtram, quamvis ſit ruſtica, Muſam
Sperne, ſed huic incumbe tuis, Rex mitis, ocellis.
Hæc te delicium gentis, patrieque parentem
Dicet; & optatam pacem, fœduſque ſolemne,
Auſtriacumque decus tenui celebrabit avena.
Das pacem, requiemque tuis, tu ſydere lenis
Aſpicis hanc navim Polluce & Caſtore major:
Tu belli portas claudis, das vincula Marti,
Teque volente ſuam Pallas nunc ægida ponet
Mitior, incipietque tibi manſueſcere Virgo.
Nos ultra bellare vetas, terriſque, fretiſque
Mitis, & humanis indulges otia terris.
Quos prius à ſancto Mavors removebat amore,
Nunquid Hymen ſtabili nexu conjunget eoſdem

PARIS

PARIS, ET EBIRIA ECLOGA.

ARGUMENTUM.

Dum paſtores duo ærumnarum moli ſuccumbunt, quarum origo & ſemen, bellum eſt, alii duo ſuccurrunt, qui attonitis ſimiles cauſam tanti luctus exquirunt: auditiſque cladibus quæ gregibus & armentis illatæ fuerant, ex quo totius regionis duo potentiſſimi paſtores mutuis litibus diſſidebant, & hoſtiliter contendebant invicem, opem, modumque calamitati aliquem promittunt.

Ex paſtoribus nemo eſt, qui aliquam de grege pecudem eis pro mercede non offerat. Quare ſolertes iſti paſtores, quo fœliciori exitu conſilia ſua coronent, conſilium ineunt ut ſalubre ſic & argutum, quo pacem agris reſtituant, talemque pacem, quam nulla deinceps jurgia libent; conjugium ſcilicet cum Paride & Iberia, divitum paſtorum liberis moliuntur.

Primum ergo apud Paridem illuſtres Iberiæ dotes attollunt, quam Paris deperibat quidem, ſed oberat paternus timor: deinde Gerioni paſtori ad odia obſtinato ſuggerunt Scythas, Mauros, Arabes, paſtores furtis aſſuetos, trajecto interno mari Galliæ Aquitanicæ fines devaſtare. Quæ res per vicos & caſas tantum terrorem circumtulit, ut principes illi paſtores prætentas injurias miſſas facerent, conjungerent vires, in fœdera per Hymenæum coirent, ut impetu toto in barbaros, armiſque communibus inveherentur.

CLAVIS.

[2] Conjugium illud quod inter duos potentiſſimos principes Regia parens conciliat, præſenti fabulæ locum dedit. In ea duo paſtores luctu confecti, utrumque populum,

pulum, Gallicum ſcilicet & Hiſpanum arguunt, qui longa bellorum ſerie conſternati, jamdudum in mœrore verſantur. Duo paſtorum principes, utramque gentem, Borboniam & Auſtriacam exhibent, quæ mutuis jampridem bellis ſeſe conficiunt. Paris autem & Iberia, par eſt conjugum, quod ſtabili vinculo æternam pacem firmabit. Denique duo illi ſolertes paſtores, regnorum Galliæ & Hiſpaniæ ſapientiſſimi adminiſtratores ſunt, qui tanto ardore, tantaque induſtria pacis leges adgubernarunt. Mauri vero, Scythæ, Arabes paſtores, Mahumetanos deſignant, qui ex paſtoribus progeniti reliquum orbis ſuo imperio adjungere laborabant, Europæque toti minabantur exitium, niſi potentiſſimi principes, viribus animisque adunatis conatus illorum coërcerent.

ECLOGÆ INTERLOQUUTORES,

RHENUS, PALÆMON.

Eſt regio rapidi quam permeat unda Garumnæ,
Paſcua fœcundant, & plurima ſylva coronat:
Sunt latices, multuſque fluit per gramina rivus,
Nec levius has recreat cœli clementia terras.
Nuper ſub patula ſeceſſerat arboris umbram
Rhenus, & huic comitem dederat ſe forte Palæmon,
Alter erat calamis, cantu præſtantior alter;
Compulerantque greges, & Rhenus & alter, in unum,
Cum ſic alloquitur primus mœſto ore ſodalem.

RHENUS.

Horrebuntne diu vaſtata latronibus arva?
Uſque ne paſtores laribus fugiſſe paternis,
Nec damnis reperiſſe modum, furtisque levamen?
Graſſatur late per ſylvas impius horror,

Infan-

Infandis noſtri complentur ſtragibus agri.
Dudum animum, & tantos longa ſpe fallo labores.
Nunc & arundineis fraudabam hæc damna cicutis:
Sed tandem fruſtra hæc & imagine ludor inani.

PALÆMON.

Deſine Rhene queri raptas tibi forte capellas;
Quam multo graviora mihi, qui ſæpe ſolebam
Montibus his teneros ovium depaſcere fœtus;
Ducebamque diem modulando carmen avena
Sæpe meam vario celebrans Amarillida cantu.
Nunc & oves periiſſe meas, & damna tuliſſe
Multa piget. Jam longa dies, ſaccumque, pedumque,
Et calathum, & ſparſos quæ fiſtula convocat agnos,
Corrupit: ſed enim mentes cur tantus habebit
Mœror, & ingrata rodent præcordia curæ.

RHENUS.

Hoc equidem ſemper præſaga mente canebam,
Quod mihi fatalis nuper prædixerat ales
Pinguia dum pecudes ad paſcua lætus agebam.
Hæc ſimul Endymion præviderat omnia doctus
Aëris, & nullo deceptus ab alite vates.
Horrida vicinos vox exaudita per agros;
Sylvæ horrent, ſiſtunt amnes, rapiduſque Garumna,
Viſus ad illimem decurrere originis undam.
Sed tamen iſte modus qui ſit, da fide Palamon.

PALÆMON.

Quid faciam? mihi conſilium dare neſcio, Rhene,
Sæpe mihi eſt animus patria diſcedere terra,
Et natale ſolum vertens loginqua parabam
Querere, & externas exul trans cærula ſedes.
Sæpe quidem calathum mœſtus, calamumque, pedumque
Abjeci; iſtud conſilium, ſed inane putavi.

Vota

Vota putem potiora mihi, superisque litando
Accensum placare Jovem, placare Minervam,
Et reliquos placare Deos: sententia visa est.
Hæc potior, patrias exul quam vertere terras.

RHENUS.

Nusquam tuta quies donec pastoria pubes
Funestis ardens odiis hinc inde sequetur
Alterutrum, & studia in contraria vulgus abibit.
Heu quantas dudum rixas, quæ prælia miscent!
Novimus has inimicitias queis uritur Alpheus;
Gerion ah sævus nimium, nimiumque severus
Alphea sæpe petit; petitur simul ipse vicissim.
Gerion ipse fuit tantorum causa malorum.

PALÆMON.

Longa quidem fuit inter eos injuria, longæ
Ambages inimicitiis, quas nuper Amyntas
Per nemora & saltus, raptim narrabat eunti.
Tu magis illa mihi quæ nosti, Rhene, recense
Dum licet, & pecori tellus favet, umbraque nobis.

RHENUS.

Longa mora est, sed summa legam fastigia facti.
Alpheus armentis, gregibusque potior unus
Pastorum quam tota cohors, cuique ampla paterni
Jugera ruris erant, longaque propagine proles,
Cujus & armentis vernæ, natique vacabant,
Montibus, & totis late regnabat in agris.
Mille viro nostris errabant montibus agni,
Mille boves, & oves totidem, totidemque capellæ,
Gerion at senio major, sed dives & agris,
Et gregibus, toties Alphei res ferre secundas
Non poterat; non vernarum magnum agmen, & omnis
Natorum series. Hæc sunt hæc semina litis.

Sylva nigrans piceo denſarum horrore comarum
Grandibus aſſurgit clivis, & reſpicit agros.
Hæc dumeta inter, ſpelæaque multa pererrant
Agmina vaſtantum ſylvas, monteſque propinquos:
Et rapiunt ſi forte gregis videre magiſtros
Oppreſſos ſomno, longeque errare bidentes.
Nec mora, nec requies, furto ſubit alter, & alter
Vix tantas agerent ſtrages furioſa Luporum
Agmina, vix Tygres, aut ingens turba Leonum.
Inſequitur geminata Phalanx. Incenſus at ira
Parque pari referens Alpheus rapiturque, rapitque
Cuncta ſibi quæcunque dabat fors obvia campis.
Non aliter furit Alcides, armentaque luſtrat
Rapta Boum. Paſſim ille oculos, atque ora ferebat
Dentibus infrendens, rurſuſque redibat opimis
Inſignis ſpoliis Caci, & paſtoris Iberi.
Talis eras Alpheu, tali te mente gerebas,
Namque læceſſitus lædis, læſuſque laceſſis:
Hinc illæ inſidiæ, raptus, incendia, clades,
Per juga, per ſylvas, per agros, per tecta, per arva.
Ex illo & raris habitata mapalia tectis:
Paſtores etenim videas hinc inde faventes
Gerioni, aut Alpheo, quibus haud eſt ditior alter.
Paſtor in alterutros hoſtili more furebat.

HALÆMON.

Quid domini facient, audent cum talia verna?
Nonne modum, finemque odiis quis ponere poſſit?
Hoc Zamarine potes, potes hocce Leodare noſter,
Quos virtus & Conſilium paſtoribus iſtis
Conciliat, quos ſumma fides conjunxit utrique.

RHENUS.

Hoc & in hac rixâ eſt mirabile, fide Palæmon,
Ignis æquis alitur, creſcit dolor ipſe medela.

Hos

Hos audi potius: Zamarinus non procul isthinc
Noster abest; alter vicino in gramine puras
Pascit oves, curasque hilari solatur avena.
Tibia, ni fallor, nunc primum inflata videtur
Ipsa hæc quâ nuper ludendo Leodarus omnes
Sylvarum nymphas Dryades, Satyrosque ciebat:
Huc ambos videas ex ima ascendere valle,
Nostraque præcipiti pecudes in pascua gressu
Pellere, quas nimio vexabat Syrius æstu.

§ 2.

ZAMARINUS & LEODARUS superveniunt.

O socii cur immerito præcordia luctu
Frangitis, aut quid sollicita sub mente siniſtrum
Volvitis? huc cunctas pecudes cogamus in unum:
Tibia vel cantus luctum detergat amarum.

LEODARUS.

Durate ergo animis pueri, mœstumque timorem
Mittite; sed quando nobis jam gratior herba est;
Et nunc omnis ager, nunc florea rura virescunt,
Et matutinis resonat concentibus æther,
Exhilarare juvat mentes curasque levare.

RHENUS.

Desinite ô socii, veniam date luctibus istis;
Non bene cantatur dum detrimenta feremus:
Flevimus, & gemitus luctantia verba repressit
Nostra super virides dum pendet fistula ramos.
Sunt Dryades testes; est hæc est conscia luctus
Arbor, & assiduis respondet planctibus Echo.
Num satius fuerit miseris discedere terris?

ZAMARINUS.

Scilicet assidui quæ tandem causa doloris?

PALÆMON.

Detrimenta gregis queis finis, nec modus ullus
Usque datur, dum Gerionem, nec rarius Alpheum
Lis, & rixa feris committit sæpe duellis.
Inde ferox pastor montes populatur opimos.
Fœlix qui nostris accedet cladibus ultor.

ZAMARINUS.

Illud nempe mihi nuper prædixit ab alta
Ilice, dum carmen cornix lævo ore canebat.

LEODARUS.

Et memini nuper cœlo cecidisse tonante
Horrida tam sævæ prænuncia fulmina cladis.
Quin etiam dum læta mei dumeta juvenci
Frigida tonderent ad flumina, dum pecus omne
Pasceret, & teneri errarent in montibus agni.
Ecce procul rabidus cæcis quem exegerat antris,
Ex longo collecta fames lupus, impete facto
In teneras irrumpit oves, magnoque ululatu
Horridus, ore fremens, ubi cæca cupido tulisset,
Irruit, ingentem taurum (miserabile dictu)
Consternens, multum at frustra latrante Molosso,
Tum super accumbens, atroque fluentia tabo
Viscera & ingentes artus, immaniaque ossa
Sorbet hians, sævusque epulas rimatur opimas.
Dum clamo, errantes heus Gallio coge capellas,
En lupus insidias meditatur ovilia circum:
Interea totos pecorum depascitur artus;
Et fuit augurium damnis hoc triste futuris.
Sed tamen hoc æqua, quodcunque est, mente ferendum:
Nec decet ex patriis ideo discedere terris;
Scilicet ejusdem socios nos sortis habetis.
Sed modus esse potest aliquis, finisque malorum.

RHE-

Digitized by Google

RHENUS.

Quis modus esse potest rebus finisque labori?
Namque erit ille Deus semper mihi, quisquis ab istis
Ærumnis miserum poterit quandoque levare.

ZAMARINUS.

Hoc si præstitero dic, quâ mercede beabor.

PALÆMON.

De grege pingue pecus merces tibi non levis esto,
Insuper à Rheno vitula donabere pingui,
Agnellosque tibi pastorum pendet ovile.
Hæc Zamarine tibi, tibi fide Leodare sint hæc
Munera, si nostris concesseris ocia campis.

RHENUS.

Non equidem renuo vitulam dare, si tua servent
Dicta fidem; quin te mox de grege plura manebunt.

LEODARUS.

Servamus promissa tibi, si munera dones.

PALÆMON.

Qua ratione queas istud præstare, doceto.

ZAMARINUS.

Fœdera restituant pacem, pax fœdera firmet.
Fœdera connubii, quo non sit sanctius ullum:
Sic Hymenæus erit pacis, litisque sequester.

RHENUS.

Gerion hocce putas patietur fœdus? & Alphens
Hæc feret iratus satis æqua fœdera mente?

LEODARUS.

Nos penes iste labor, tantum promissa tenete,
Si paris est sponso dignus, sit liberta sponso:

Non illis Parcæ invideant; ſit Juppiter author
Conjugii; ſit Pan, & cætera numina ruris:
Adſit Hymen, Lucina parens, & pronuba Juno.
Quæ ratione queat præſtari utrumque putavi.
Gerionem ſatis alliciam, Zamarinus & Alpheum.
Audiet ipſe Paris qualis ſit Iberia virgo,
Ad Paridis ſummas gaudebit Iberia dotes.

ZAMARINUS.

Virginis iſte Paris dudum flagravit amore.

LEODARUS.

Paſtorem & Paridem dilexit Iberia dudum.

PALÆMON.

Gerionis veteres quiſquis bene noverit iras,
Sublimes animos, & corda tumentia faſtu,
Noverit indocilem, nec tantæ pacis amicum.
Mitior eſt Alpheus, paciſque ad fœdera pronus.
Sed venit ecce Paris, Dea Flora hunc, atque Napeæ
Floribus ornavere ſuis, Chariteſque lepore:
Neſcio quid Veneres frontis libavit, & oris:
Fiſtula muta ſilet, pendet cava fiſtula collo,
Fiſtula quæ quercus auritas ſæpe trahebat,
Ille pedem vibrat, coquit altum mente dolorem.
Nec procul inſequitur pater Alpheus, & pecus omne
Mœſtus agit, ſævasque premit ſub pectore curas.

§. 3.

ALPHEUS & PARIS ſuperveniunt.

ZAMARINUS.

O Pari noſter amor, quid lævum triſtior alta
Mente coquis? ſed tu tacito quid corde repoſtum
Uſque tenes Alpheu? mœſtus è pectore luctus
Pellite, vosque magis rebus ſervate ſecundis.

Hæc

Huc armenta, gregesque tuos, huc coge capellas
Alphesi Pastorum princeps. Fallamus & horas.

ALPHEUS.

Desine plura loqui, Zamarine, ah desine, nostri
Nescis ah pastor, nescio quæ causa doloris,
Sunt Satyri testes, Pastores, atque Coloni,
Pan ovium custos, & cætera numina ruris.

PARIS.

Carmina nulla canam, sed muta tacebit avena,
Quippe horrent vastata feris latronibus arva.

ALPHEUS.

Innumerosne boves referam, referamne capellas,
Cunctaque rapta mihi? quis erit modus ergo doloris?

ZAMARINUS.

Pellite corde metus, secludite pectore luctum;
Esse potest modus adversis, finisque dolori.

ALPHEUS.

Sed tamen ille modus qui sit; Zamarine, doceto.

ZAMARINUS.

Candida virgo potest; nec enim formosior olim
Ulla fuit, mulcendo suis discordia corda
Illecebris pacem sancire, & stricta ferire
Fœdera, quæ non sera queat delere vetustas.
O quam te referam, Tu nympha gratior omni;
Nulla peregrino facies est splendida fuco,
Innato fulgore nitet, sunt lumina Solis,
In roseis est forma genis, sunt frontis honores;
Ridet in ore Venus, decor in cute, purpura labris:
Splendet ebur collo: sed in ipsis fulgor ocellis
Ingenuus cunctas superat per rura puellas;

Hæcque vel in comptâ fuerit vix comptior urbe.
Ingenium natura dedit quod perfi it arte.
Si ſylvas adeat Dryadum ſe plurima turba
Obvia fert ; & Oreas illam , viridiſque Napæa
Non dedignantur ſociam , non candida Nais.
Hæc ſi virgineo feſtivos gutture cantus
Ediderit , gratis concentibus æthera mulcet ;
Nullaque Naiadum voluit contendere voce ;
Sed nec Hamadryadum , quamvis leves aſſonet Echo
Cantibus , & modulos repetat ludendo canoros.
Ipſæ in Parnaſſo captæ modulamine cantus
Deſeruere ſuos montes Heliconis alumnæ,
Et vocem ſtupuere novam , cantuſque recentes.

PARIS.

Ardet ad inſolitos animi , vultuſque lepores
Impatiens animus ; ſi non ſit Iberia formæ
Clarior , aut par ingenio , ſeu dotibus oris.

ZAMAR.

Ipſa eſt , ipſa poteſt ſancire hoc fœdere pacem :
Deperit hancce Paris , Paride eſt & Iberia digna :
Hoc ſupereſt , Alpheus ne Hymenæo aut Gerion obſit.

PARIS.

Annuat hiſce parens , in me mora non erit ulla ;
Et Zamarine tibi pecudem dabo, de grege lectam.

ALPHEUS.

Gerion antiquas dudum ſub pectore verſat
Sic inimicitias odiorum , & ſemina nutrit,
Et tot rapta dolet pecora & tot damna recenſet ,
Ut vix ulla queant ſancire hanc fœdera pacem.
Hæc quæcunque tuli mea ſunto damna , nec ulla
Detrimenta gregis poſthac repetenda reclament.

LEO-

LEODARUS.

In me eſt iſte labor, dura olim corda ſubegi.
Gerion ille meis conceſſerit artibus ultro,
Ecce ſed inſolita ſpecie ſuccurris anhelus;
Tu Pari, tuque Alpheu paulum ſecedite ſylva.

§. 4

Supervenit GERION.

Ergone tot raptus ſic nos patiemur inulti?
Hinc Alpheus, diruſque Paris rapit: inde latronum
Agmina detrimenta gregi ſive lege tulerunt.
Et nunc ecce lupi vel me ſpectante, capellas,
Balanteſque decem canibus rapuere fugatis,
Nonne modus potis eſt tam crebris eſſe rapinis?
Conſilium ô ſocii, & tu care Leodare nobis
Nunc date, ne poſthac inopes nos vincat egeſtas.

LEODARUS.

O vos indigetes peſtem prohibete nocentem;
Aut patrios ſaltus, & Gallica linquimus arva.

ZAMARINUS.

Paſtoris modo conſilium, mi Gerion, audi,
Conſilio valuit multum iſte Leodarus olim.

GERION.

Dum vacat, & nobis quando gregibuſque favere
Incipit umbra meis, tepiduſque Favonius afflat,
Et nunc rivus aquæ tenuem requieſcere ad umbram
Invitat, rectèque mones, Zamarine, ſedebo.
Arbiter hic Rhenus fuerit, noſterque Palæmon.

LEODARUS.

Nuper ego ſylvas errans & ovilia circum,
Paſcentem tauros juvenem frondentis ad oram
Conſpexi nemoris, modulantem & carmen avenas:
Mox repetens modulos Galateam voce canebat,

Digitized by Google

Et falsis iterat Galateam vocibus Echo.
Dum canit, en pecoris lupus oppugnator opimi
Irrumpit stimulante fame, cupiduſque cruoris.
Hoc ſuper armentum, pinguem vaſto impete taurum
Luctantem ſatis abducens, fugit avius, atras
In ſylvas, latebrasque petit; caudamque remulcens
Conſcius audacis facti magnum ille juvencum
Proſternitque minax, & dente exterret acuto.
At ſubito paſtor fruſtra latrante moloſſo
Inſequitur tumidum, avellitque à dente juvencum;
Tum ſuper incumbens fauces illidit acerbas
Unguibus, & promptum capulo tenus inſerit enſem;
Namque enſem vigil ſic paſtor plerumque gerebat,
Scilicet adverſus Mauros juvat enſis, & arma,
Atque lupi timitu enſis quam ſape fugantur.
Dentibus avulſo redit, intactumque juvencum
Paſtor agens ſecum ad perculſa armenta reducit.
Poſtera lux Solem per noſtra reduxerat arva
Cum genus inſolitum conſpexi forte virorum:
Inſidias illi gregibus tauriſque ſtruebant.
Veſtitumne loquar? fuit illis barbara veſtis,
Barbara vox, circumque ſui vectare timorem
Hos videas: arcum dextram, levamque ſagittas
Armabant; gradus ipſe celer, palmæque rapaces.
Mox tremor, atque meos ſudor circumdedit artus;
De me, deque meo pavidus grege namque fremebam,
Vicini paſtoris oves, tauroſque minaci
Dum ſpectant oculo, nulla eſt mora, plurima raptant
Cum teneris armenta ovibus Num paſtor inultus
Noſter erit? rapit hic gladium, volucresque ſagittas,
Inque ducem excutiens, reliquos dare terga coëgit.
Pauper ego ſimul evaſi, atque armenta reduxi
Ad ſortem hunc cuſtodem ovium, pecorumque magiſtrum.
Tum memor accepti pro vindice vota ferebam
Immenſas referens grates & geſta celebrans.

GE-

Digitized by

GERION.

Quantus amore ſui percellit pectora paſtor!
Attamen ille mihi qui ſit, da quæſo roganti:
Qui graſſatores fuerint quos impete tanto
Ruſticus è noſtris potuit depellere campis.

LEODARUS.

Hoſce Scythas Arabesque vocant, paſtoria pubes
Hæc fuit: armentis verum, gregibusque comeſtis
Exercere artes illi dicuntur iniquas,
Et pingues vaſtare agros, & vivere rapto:
Finibus extorres patriis trans cærula currunt.
Gerion ergo tuis, nec ſit mora, conſule rebus,
Ille unus paſtor potis eſt furioſa fugare
Agmina, resque tuas multo augere juvencis,
Ac ovibus; plures poteris numerare capellas.
Fortior hoc toto non eſt, nec pulchrior agro
Ille mihi, jam paſce boves, jam lude cicuta.
Non lupus aut fur inſidias meditatur ovili.
Hoc genero, hoc ſponſo non eſt hi dignior agris.

GERION.

Et genus & nomen liceat dixiſſe precanti.

ZAMARINUS.

Dummodo nunc inimicitias, & ſemina litis
Deponas, miteſque animos in pectore ſerves.

LEODARUS.

Antiquum genus eſt, abſitque injuria verbo.
Hunc Paridem dixere ſui, dixere parentes.

GERION.

Cur veteres renovas, ingrate Leodare, queſtus.

ZAMARINUS.

Non opus eſt verbis; Arabes in limine veſtro
Eſſe puta, hos ſolus poterit Paru iſte fugare.
Jungite vos ergo dextras, & jungite vires.

GERION.

Qua me cumque fero jaculis circumdor acerbis;
Hinc urgent inimicitiæ, noſtro inde minantur
Detrimenta gregi latrones. Ergone gnatam
Huic Paridi placuiſſe putas, placuiſſe parenti?

ZAMARINUS.

Et placuit Paridi ſponſa hæc, nec diſplicet Alpheo
Illa nurus; liceat mentes utriuſque probaſſe.
Non procul eſt Alpheus, non eſt Paris hinc procul; ambo
Ilice ſub patulæ captant, natuſque, paterque
Feßi umbram, nilque ambo magis quam fœdera poſcunt.

GERION.

Imus, & obliti damnorum in ſancta coimus
Fœdera: ſint Dryades teſtes, ſit pronuba Naïs.
Ergo Alpheï quando iſta placent tibi fœdera, firmo
Fœderibus longam pacem: ſit Iberia noſtra
Sponſa tuo Paridi: Nox pax æterna coronet.
Jungere ſtat dextras, noſtras ſtat jungere vires
Externoſque iſtis arcere mapalibus hoſtes.

ALPHEUS.

Fœdera nec renuo, Hymen Paris ipſe recuſat.

PALÆMON.

Et Paris eſt dignus ſponſa hac, & Iberia ſponſo.

LEI-

LEIRION ECLOGA.

ARGUMENTUM.

Pacifici paſtoris inauguratio, dotes, virtus. Et de aſſerenda ab illo pace in agris, necnon de victoriis futuris, eodem auſpice Leirione reportandis fauſtum paſtorum vaticinium.

SYLVANUS, THYRSIS

Proh dolor! ergo meæ cecidiſti gemma coronæ,
Et tu cæca nimis Mors, lilia ſentibus æquas.
Sublato terris infando funere Leiri
In lachrymas gemituſque coit chorus ecce ſororum,
Plangunt Nereides Leirin, Dryadeſque puellæ:
Muta ſuper virides Muſarum nablia ramos
Pendent, & mœſtæ Aonides juga ſacra relinquunt:
Pro viridi lauro frontem cinxere Cupreſſo,
Triſtis Apollineis ſucceſſit nænia plectris.
Et vos ite meæ nemorum decus, ite capellæ,
Non ego vos poſthac molitus arundine muſam
Collibus errantes montano gramine paſcam:
Carmina nulla canam, triſtiſque ſilebit avena;
Graſſantum in ſylvis etenim paſſim ingruit horror,
Leiris obit, plenis lachrymas date lumina rivis:
Plange tuum, paſtor, defunctum funere Leirin.

THYRSIS.

Quid te ſollicitat, quæ pectus cura remordet?
Quid Sylvane gemis, quid fœdas gramina fletu?
Leiris erat nuper ſupremo dignus honore,
Quod Venus hunc nuſquam, nuſquam veſana voluptas
Juſtitiæ recto detraxit limite: magni
Huic erat Æneæ pietas, mens qualis Iulo.
An potis ille mori cui fas, rectumque, piumque,

Per-

Perpetuas lauros, nomenque perenne dedere?
Macte animo, & cantu, qui Leiride digna canebas:
Pelle metus; quid vana times? tibi riſit ab alto
Leiris; nam rutila Cœli ſed & arduus arce:
Hunc & nectar alit ſocium ſtellantibus aſtris.
Eia ergo nymphæ Dryades, vos ruſtica Fauni
Numina, quotquot aquas, quotquot fonteſque, lacusque
Incolitis, glomerate gradus, huc cogite cœtum;
Veſter amor Leiris cœleſtes attigit orbes.

SYLVANUS.

Thuris adhuc libetur honos; naſcatur Amomum
Leiridis ad cineres: violæque & lilia ſurgant
Quando noſter amor rutilantibus aſſidet aſtris.

THYRSIS.

Non prius ille ſolo moritur, quam vivere cœlo
Noverit, & Divûm mores vitamque referre.
Neve ſuum deſit Gallis ſuper æthera ſydus,
Leiris ad aſtra volat; micat inter ſydera Leiris,
